C-340112

S P 3401/2
T.N. 129977
C.D. 3693 F.D.

2645

NO SE PRESTA

CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

Volumen II

3728

CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

Volumen II

A. 111808

CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

JUXTA REGULAS ECCLESIAE AC S.S. PATRUM;

Hodierno progressui scientifico accommodatus

ET AD RATIONALISTARUM EMOLIMENTA EVERTENDA DISPOSITUS

A

Dr. D. Isidoro Mugica et Mugica

Eccl. Cathed. Palentinae Canon. Lector.
et Semin. Conciliaris ejusdem Civit. S. Scripturae Professore.

Isidro de Mugica y Mugica

VOLUMEN II

Introductio Particularis In Utrumque Testamentum

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y RECTORADO DE LA UNIVERSIDAD LITERARIA PALENCIA

PALENTIAE:
Typis Gutierrez, Liter et Herrero,
VIA CESTILLA, 6

1902.

Nemini sine Auctoris facultate praesens opus edere liceat.



CURSUS SCRIPTURAE SACRAE

PARS II

SEU

INTRODUCTIO PARTICULARIS

SECTIO I

De Veteri Testamento

177. Prolegomena.--178. Schema de auctoribus et aetate librorum Veteris Testamenti.

177. Quot et qui sint libri Veteris Testamenti, tum Canonis Esdrae, tum etiam posteriores, et in quot classes ab hebraeis dividerentur, jam diximus in Introductione generali. His ergo suppositis, animadvertendum est, Vetus Testamentum esse fundamentum Novi Testamenti; nam ea quae in libris Novi Testamenti habentur, ut plurimum praenuntiata fuere in Veteri Testamento: unde utrumque Testamentum mutuo illustrantur et complentur. Idcirco evidentissimum est studium Veteris Testamenti multum conferre ad doctrinam catholicam illustrandam et tuendam. Attenta relatione prophetica librorum utriusque Testamenti, facile perspicitur, eo majorem esse librorum Veteris Testamenti auctoritatem quo major sit eorum antiqui-

tas: hinc maximus rationalistarum labor est, hujusmodi antiquitatem minuere, adhibitis ad id mediis criticis et exegeticis. Cum plurima in his libris narrentur miraculosa et etiam non pauca ad antiqua gentilium regna pertinentia, rationalistae sive ex scientiis naturalibus sive ex profana historia et chronologia, negare conantur, auctoritatem divinam et historicam librorum Veteris Testamenti. Demum, multitudo prophetiarum quae in libris Veteris Testamenti continentur, natura linguae qua hi libri exarati sunt, et diversitas styli juxta diversitatem auctorum, magnam gignunt difficultatem ad eorum intelligentiam.

Ergo unusquisque liber duplex studium exigit: alterum *criticum* quo ostendantur auctor, aetas et integritas ejus, et solvantur objecta a rationalistis proposita: alterum exegeticum, quo aperiatur et declaretur legitimus sensus quorumdam locorum obscuriorum, praesertim in libris propheticis et poeticis: sed quandoque ita studium criticum et exegeticum sunt connexa, ut ab invicem sejungi nequeant. Propterea in quolibet libro separatim duplex studium, criticum nempe et exegeticum instituemus, et cum natura rei vel libri exigit utrumque simul faciemus.

178.

LIBER	AUCTOR	LOCUS	TEMPUS	LINGUA
Pentateuchus	Moyses	In deserto	Ab ann. 1490-50	Hebraica
Josue	Josue?	In Chanaan	1442	ead.
Judicum	Samuel?		1100-1050	ead.
Ruth	Samuel?		id. id.	ead.
Primus Regum	Samuel?	In Ramatha	id. id.	ead.
Secundus id.	Id. cum Nathan et Gad?		1030-1000	ead.
III et IV. Regum	Jerem. vel Esdr.		590 vel 460	ead.
2 Paralipom	Esdras?		460	ead.
I Esdrae	Esdras		460	ead.
II Esdrae	Nehemias		420	ead.
Tobias	Uterque Tobias?		630	Chaldaica?
Judith	Eliachim Pont?		650	Chaldaica?
Esther	Mardochaeus?	In Susan	480	Chaldaica?
Job	Job?	In terra Hus	1600	Semitica
Psalterium	David, saltem quoad max. part.		1060-1010	Hebraica
Proverbia	Salomon		1010-967	Hebraica
Ecclesiastes				
Cant. Cant.				

Liber	Auctor	Locus	Tempus	Lingua
Sapientia	Unus ex LXX interpretibus?		270	Graeca
Ecclesiasticus	Jesus fil. Sirach		280	Hebraica
Isaias	Isaias		770-710	eadem
Jeremias	Jeremias		725-560	ead.
Baruch	Baruch	In Judaea	584	ead.
Ezechiel	Ezechiel	Babylone	570	ead.
Daniel	Daniel	Babylone	580-540	Hebraica et partim Chaldaica
Oseas	Oseas		770-710	Hebraica
Joel	Joel		770-710	ead.
Amos	Amos		770-710	ead.
Abdias	Abdias		id. id.	ead.
Jonas	Jonas		id. id.	ead.
Michaeas	Michaeas		600	ead.
Nahum	Nahum		630	ead.
Habacuc	Habacuc		600	ead.
Sophonias	Sophonias		630	ead.
Aggaeus	Aggaeus	Hierosolymae	516	ead.
Zacharias	Zacharias	Ibid	516	ead.
Malachias	Malachias	Ibid	470	eud.
I. Machab.			124	ead.
II. Machab	Jasonis nepos		100	Graeca

In hoc schemate auctores incerti, hoc signo? designantur: quoad locum et tempus quae diximus, ut probabilia accipienda sunt. Totum Pentateuchum tribuimus Moysi, quamvis ultimi versiculi Deuteronomii, ipsius Moysis non sint: idem dicendum de libro Josue. Quoad linguam, consignamus illam qua liber primitus exaratus fuit, et qua major libri pars scripta est.

Caput I

De Pentateucho.

PARS CRITICA.

179. Notio etymologica Pentateuchi.—180 Libri qui ipsum constituunt et modus quo a judaeis palaestinensibus et hellenistis designabantur. 181. Summatim exponitur quid unusquisque liber contineat. 182. Magna utilitas studii Pentateuchi sub adspectu religioso, historico, morali, litterario ac philosophico.

179. Haec vox *Pentateuchus* venit a vocibus graecis πεντε (pente, id est quinque) et τευχος (teuchos, id est volumen): unde

Pentateuchus, idem est ac *Liber quinque voluminum*. Ipsum vocabant hebraei «*Quinque quintae partes Legis*, et etiam *Thorah*, quae vox apud graecos idem est ac *nomos* (νομος) et apud latinos *Lex:* quae impositio nominis optima est, eo quod totam legislationem religiosam, civilem et politicam hebraeorum contineat.

180. Judaei palaestinenses, quinque libros Pentateuchi denominabant a primo quo inchoantur vocabulo; unde primus liber dicebatur *Beresith* (In principio); secundus, *Vellesmoth* (Haec sunt nomina) tertius, *Vaiera* (Et vocavit); quartus *Hammesphecodim*, significationis incertae: et demum quintus, *Ellehadabarim* (Haec sunt verba) (1) Judaei hellenistae, libros Pentateuchi, a praecipuo cujuslibet libri argumento eos denominarunt, unde primum librum vocarunt *Genesim* (origo) quia de origine omnium rerum agit: secundum, *Exodum* (exitus) quia principaliter agit de exitu hebraeorum ex Aegypto: tertium *Leviticum*, quia ejus principale objectum sunt leges pro tribu Levi: quartum *Arizmoi* seu *Numeri* quia ab ennumeratione populi et Levitarum incipit: et demum quintum appellarunt *Deuteronomium* (secunda lex) quia est quasi nova promulgatio Legis.

Inter hos quinque libros vera datur unitas: nam primus fundamentum historicum pro caeteris omnibus praebet: tres sequentes nobis patefaciunt institutionem et legislationem politicam et religiosam populi hebraei; et quintus demum, physiognomia propria, resumit, explicat vel complet legislationem a Deo hebraeis traditam.

181. *Genesis* continet 50 capita et 1530 versus, et narrat historiam a creatione mundi usque ad mortem Patriarchae Joseph. Dividi potest in duas partes, juxta duplex ipsius argumentum: 1.ª pars, a cap. I ad XI inclusive narrat humanitatis historiam usque ad electionem Abrahae: 2.ª pars, a cap. XII usque in finem libri, historiam describit Abrahae ejusque posteritatis, usque ad obitum Joseph.

Sed Cornely et Vigouroux putant, hunc librum divisum fuisse a Moyse in decem sectiones, quarum quaelibet incipit

(1) S. Hieron. Prol. gal. ait: «Primus apud eos (judaeos) liber vocatur *Beresith* quem nos Genesim dicimus: secundus, *Veelle semoth*, qui Exodus appellatur: tertius *Vajikra*, id est, Leviticus; quartus *Vajedabber*, quem Numeros vocamus: quintus *Elle hadebbarim*, qui Deuteronomium praenotatur.»

his verbis, «Hae sunt generationes...:»; quae verba, non stricto sensu de *generatione* intelligenda sunt, secus Moyses scribere non potuisset:» Hae sunt generationes coeli et terrae»: ergo accipienda sunt pro *historia*, ita ut sensus praecedentium verborum sit «Haec est historia productionis coeli et terrae.» Decem sectiones quas commemoravimus sunt: 1.ª historia coeli et terrae, creationis hominis et lapsus ipsius, fratricidii Cain et historia ejus posteritatis usque ad septimam generationem: 2.ª historia Adam, filii sui Seth et hujus descendentium usque ad Noe: 3.ª historia Noe: hominum corruptio: constructio Arcae et diluvium; 4.ª historia filiorum Noe, quae est fundamentum omnis historiae: 5.ª historia Sem ejusque posterorum usque ad Thare: 6.ª historia Abraham usque ad obitum suum: 7.ª historia Ismael ejusque posteritatis. Animadvertendum est Moysem semper ponere historiam seu genealogiam progeniei secundariae, primo loco: 8.ª historia Isaac, et filiorum ejus Esau et Jacob usque ad mortem Isaac: 9.ª generationes Esau: et 10.ª generationes Jacob usque ad mortem ipsius et Josep in Aegypto. (1)

Exodus dividitur in tres partes: 1.ª ad cap. I ad XII, 36, Oppresio hebraeorum in Aegypto: liberatio Moysis ab iniquo Pharaonis decreto: plagae Aegypti: 2.ª a cap. XII, 37, ad XVIII: exitus de Aegypto: transitus maris Rubri: miracula in deserto: victoria adversus amalaecitas, et adventus Jethro: 3.ª a cap. XIX ad XL; promulgatio Legis in monte Sinai, et constructio Tabernaculi. Habet hic liber 40 capita et 1211 versus.

Leviticus, continet 27 capita et 858 versus, et dividi potest

(1) «Id omne autem, ait Caminero, ea vivi litate et ingenuo candore narrat, talibus adjunctis domesticis, topographicis, psychologicis, tantis veracis narrationis et nullo studio factae notis, ut animum a praejudiciis omnibus vacuum ac nullo systemati praeconcepto servientem necessario rapiat, atque omnem assensum extorqueat Hinc praestantissimi Germaniae historici etiam minime aut parum credentes, characterem plane historicum hujus libri, sicut et aliorum quatuor, admittunt, ac suorum *sapientum hypercriticorum* rationem nullam aut fere nullam habent· ita inter alios Heeren, J. Muller, Luden, Wacler, Schlosser, Leo, ipse de Roteck rationalistis incredulis fere in omnibus consentiens: nec ullus invenitur alicujus nominis, qui contrariam teneat sententiam Quae facile explicantur, si distinguas inter eos qui historiam graviter, et monumentis diligenter excussis pertractam, ac eos qui systemati religioso aut philosophico praeconcepto eam vel invitam quadrare cogunt.» Manual. Isag., Sect. III, Cap. I.=Sed de his, cum de auctoritate historica Pentateuchi quaestio instituatur.

BIBLIOTECA PROVINCIAL VALENCIA

in tres partes: 1.ª a cap. XI, classes et ritus sacrificiorum, sacerdotes, victimae, et animalia munda et immunda: 2.ª a cap. XII, ad XXII, munditiae et immunditiae legales; et 3.ª a cap. XXII ad XXVII, sabbata et festa.

Liber Numerorum, dividi potest etiam in tres partes: 1.ª a cap. I ad X, parantur Israelitae ad peregrinationem prose quendam: numerus israelitarum qui apti erant ad bellum, et numerus levitarum. Oblationes principum uniuscujusque tribus pro tabernaculi constructione: levitarum consecratio: columna ignis et fumi; exitus de Sinai: 2.ª a cap. XI ad XX; lapsus et rebeliones populi in deserto: missio exploratorum in terram Chanaam: Maria soror Moysis a Deo punitur: rebelio Core, Dathan et Abiron: diversae praescriptiones: 3.ª a cap. XX ad XXXVI: obitus Mariae et Aaron: victoriae adversus chananaeos: Balaam: idololatria israelitarum eorumque percussio: Josue succesor Moysis: tribus Ruben, Gad et dimidia Manases se constituunt trans Jordanem: civitates leviticae et refugii: praescriptiones quoad matrimonium filiarum heredum. Habet hic liber 36 capita, et 1288 versus.

Deuteronomium continet 34 capita et 959 versus. Refert diversas orationes Moysis ad populum, cui, ut fideliter legem Dei servet, in memoriam revocat beneficia a Deo accepta; increpat ingratum animum populi, meminit praecipuarum legum; ex quibus aliquas explicat, alias mutat, aliis derogat, et novas statuit juxta novam conditionem populi parati transire Jordanem: canit magnificum canticum: benedicit populum benedictione solemni et prophetica, ascendit in monte Nebo, ibique moritur, et sepelitur ignoto loco, et israelitae fleverunt eum triginta diebus, et successit ei Josue.

182. Pro homine catholico et christiano, et etiam pro homine mere historico magna est hodie utilitas studii Pentateuchi. et 1.° quidem sub adspectu religioso: nam sub hoc adspectu est basis ac fundamentum totius Veteris testamenti, quia in ipso habent historia primitiva et fundamentalis legislatio hebraeorum suum initium suamque explicationem, quae quidem, quibusdam mutatis, constituit physiognomiam populi judaici usque ad adventum Christi. Ex alia parte, Pentateuchus est etiam fundamentalis basis Novi Testamenti. Hujus enim testamenti doctrinae, necessario supponunt unitatem humanae speciei, lapsum hominis, diluvium, electionem Abrahae ad

novum populum constituendum, etc quae sunt fundamenta Incarnationis, Redemptionis, aliorumque dogmatum.

2.° Sub adspectu historico: nam Pentateuchus est historia inter omnes antiquissima: nam *Vedae* seu libri sacri Indorum, Zend-Avesta Zoroastri, et Chu-King Confucci, posteriores sunt Pentateucho, justa omnes criticos. Tantummodo aliqui papyri aegypti et lateres assyrio-chaldaei, Pentateuchum antiquitate superant. (1)

3.° Sub adspectu morali, Pentateuchus offert pulcherrima virtutis exempla, ex. gr. fidei, Noe, Abraham, Isaac et Jacob: castitatis, Joseph; obedientiae Moyses etc: etiam ipsa peccata et crimina quae narrantur in Pentateucho, nos ad detestationem peccati movent ob terribiles plagas quibus Deus ea punivit.

4.° Sub adspectu litterario, plura inveniuntur ob suam sinceritatem et simplicitatem pulcherrima; ut terribilis narratio fratricidii Cain et diluvii; mirabilis descriptio historiae sacrificii Isaac, vitae Jacob; venditio Joseph, ejus elevatio: orationes viriles in Deuteronomio: poesis sublimis et innimitabilis in canticis Moysis, in prophetiis Jacob et Balaam etc.

Demum 5.° etiam sub adspectu philosophico, nemo negabit, quaestionem inter omnes transcendentalissimam et difficillimam philosophiae, illam nempe quae originem mundi respicit, neminem philosophorum solvisse, sicut eam solvit Moyses: unde bene dici potest, vel ipsum fuisse divinitus inspiratum, vel omnes omnino philosophos superasse.

(1) El Pentateuco, ait Vigouroux, es uno de los libros más antiguos que hay en el mundo. Fué escrito en el siglo XVI ó en el siglo XV antes de nuestra era. 1.° Los Vedas ó libros sagrados de la India se remontan á lo sumo, en su forma actual, al siglo XIV antes de J. C.: Colebrooke, tomando por base un cálculo astronómico falso, creía que habían sido escritos cuatro mil años antes de J. C.: pero hoy se conviene en que la parte más antigua de dichos libros, el Rig-Veda, no es anterior al siglo XV antes de J. C.—2.° En lo que se refiere al Zend-Avesta, o libro sagrado de Zoroastro, Spiegel afirma que los libros Zendas, escritos en la lengua más reciente, son sobre poco más ó menos de la época de Alejandro el Grande; y que los que están escritos en el antiguo zenda no son ya anteriores, pero ni siquiera contemporáneos de Ciro.—3.° El Chu-King de Confucio es del siglo VI ó del siglo V antes de J. C. La cuestión de saber si contiene partes más antiguas no está aún resuelta.—4.° Solo algunos papiros egipcios y algunas tabletas asirio caldeas son más antiguos que el Pentateuco.» Manual Biblic. Antig. Testam. P. I. Sec. I. Cap. I. Art. I.

Caput II

183. Utrum Moyses fuerit persona historica et realis.—184. Num sit de fide Moysem esse auctorem Pentateuchi.—185. Errores quoad Pentateuchi auctorem.—186. Systemata rationalista documentorum, fragmentorum et supplementorum.--187. Opiniones quorumdam catholicorum.--188. Ostenditur Pentateuchum, exceptis quibusdam partibus, esse opus Moysis: 1.° testimoniis desumptis ex ipso Pentateucho: 2.° ex aliis libris V. T.: 3.° Ex quibusdam libris N. T.: 4.° traditione judaeo-christiana: 5.° monumentis Aegypti: 6.° ex ipsa lingua qua exaratus est Pentateuchus.

183. Voltaire et quidam critici et rationalistae, Moysis realem existentiam in dubium revocarunt, eo quod historici Aegypti, ut Manethon, Herodotus aliique de ipso sileant.

Tamen realem Moysis existentiam probare facillimum est. Quia traditio judaeorum a nostris temporibus ascendens per omnes generationes usque ad illa tempora in quibus dicitur Moysem vixisse, testatur Moysem fuisse verum ac realem ducem et legislatorem populi hebraici: testes vero hujus traditionis sunt fere omnes libri tum V. tum N. Testamenti: recentioribus vero temporibus Thalmud aliaque scripta rabbinica.

Neque verum est, ut Voltaire affirmat, omnes scriptores aegyptios siluisse de persona Moysis deque ejus factis; nam Manethon, antiquissimus aegyptiorum scriptor, ait: «Politiam et leges composuit eis (hebraeis) quidam sacerdos Eliopoleos qui vocabatur Moyses.» (1)

184. Quidam rationalistae et critici fatentur Moysem fuisse quidem personam realem et legislatorem hebraeorum, non autem scriptorem historicum et auctorem Pentateuchi. Salva fide negari nequit Moysem fuisse legislatorem hebraeorum: secus enim, Pentateuchus esset falsus, et haec falsitas pessumdaret omnem Scripturam omnemque religionem. Num vero sit etiam de fide, Moysem esse auctorem Pentateuchi, nonnulli

(1) Apud Josephum Lib. I. contra App.=Et Cesar Cantú ait: «Moisés ha sido en efecto el más grande hombre que se conoce en la historia: figuró á la vez como poeta y profeta insigne, como el primero de los historiadores, legislador, politico profundo, libertador *Hist. Univer.*» Lib. II. Cap. VI.

negant, ut De Broglie, quia Ecclesia nihil *dogmatice* de hac re definivit. Tamen haec sententia, absque temeritatis nota, defendi non potest: nam Ecclesia, in canone *dogmatico* Moysi ut auctori tribuit Pentateuchum, sicut etiam plures libri utriusque Testamenti, Patres, Theologi et universalis traditio: ergo probabilius de fide est, Moysem esse auctorem Pentateuchi. (1)

185. Primis Ecclesiae saeculis, teste S. Epiphanio, quidam haeretici, ut Nazaraei, Valentiniani, Manichaei aliique originem mosaicam Pentateuchi, vel potius ejus originem divinam negarunt. Caelsus et auctor Psalm. S. Clementis docuerunt plures esse auctores Pentateuchi: vel Moysem doctrinam Pentateuchi dictasse septuaginta viris, qui post mortem illius hoc opus conscripserunt. Saeculo XII haeretici *Bogamili* duce Basilio medico, dicebant Pentateuchum esse opus diaboli. Hoc eodem tempore, duo rabbini, nempe Isaac b. Salomon et Abem Ezra, plures Pentateuchi partes Moysi abjudicarunt. Serius Carlostadius et etiam Andreas Masius, optimus interpres catholicus, admittentes Moysem fuisse *praecipuum* Pentateuchi auctorem, tamen docebant, post Moysis mortem, plures partes et fortasse integra capita ab extraneis manibus fuisse addita.

Saeculo XVII et sequentibus Hobbes, Spinoza aliique afir-

(1) Pero ante todo, ait Duplessy, veamos qué grado de certeza *dogmática* alcanza este aserto de que el Pentateuco es de Moisés. «La Teología, dice el presbítero Sr. de Broglie, la Teología, que generalmente deja una gran libertad en las discusiones relativas á la autenticidad humana de los libros sagrados, y se contenta de ordinario con pedir que se respete su canonicidad y su inspiración, se muestra más rigurosa en lo concerniente á los libros de Moisés, y la mayor parte de los teólogos consideran la tradición que refiere á ese Profeta la composición íntegra de las obras al mismo atribuidas como una tradición de caracter semi-dogmático, y no creen permitido apartarse de ella. La Iglesia, sin embargo, no ha pronunciado oficialmente sobre esta cuestión, y... el límite exacto de lo que permite la ortodoxia respecto á este punto no parece pueda, en tanto que la Iglesia no haya hablado, señalarse con una completa exactitud.» Ciertos católicos, exagerando tal vez la libertad que la Iglesia deja en este punto á sus hijos, muestran de algunos años á esta parte una muy marcada tendencia á romper con la tesis tradicional que señala á Moisés como autor del Pentateuco, considerado ya en el conjunto, ya en cada una de las partes. Creyendo siempre en Moisés legislador, punto que miramos como dogmático, tienden, según parece, á suprimir ó disminuir, al menos en parte, la representación de Moisés como historiador, no obstante la íntima relación de este punto con el anterior. No habremos de seguirles por tal camino, etc. *Diccion. Apolog.*, Jaugey, *Pentateuco.*

marunt, Pentateuchum esse opus posterius Moysi. Medicus hispanus Pereira docuit nostrum Pentateuchum non esse nisi compendium librorum Moysis. Juxta Ricchard Simon, Moyses solum legem scripsit; res vero historicas, notarii publici, divinitus inspirati scripserunt.

Ex quo rationalismus suum pestiferum influxum, per omnes scientificas sphaeras extendere coepit, jam absque scrupulo negatur omnis ordo supernaturalis et etiam negatur *a priori* omne illud quod supernaturalismum sapiat. Hoc supposito, systemata quae ad negandam originem mosaicam Pentateuchi inventa fuere, innumera sunt: et quidem, juxta Tuch, duo sunt auctores Pentateuchi; juxta De Wette, sunt tres: juxta Hupfeld sunt quatuor, juxta Dillmam sunt quinque auctores etc. Secunduum diversas rationalistarum opiniones, opus Pentateuchi absolutum fuit temporibus Josue, vel Saul, aut Davit, aut Salomon, vel Esdrae, vel Alexandri aut Ptolemaeorum: quaelibet harum sententiarum, suum habet patronum. (1)

186, Claritatis et brevitatis gratia omnia rationalistarum systemata, ad tria revocari posunt: 1.um documentorum: 2.um fragmentorum, et 3.um supplementorum.

Auctor systematis *documentorum* fuit Joannes Astruc, medicus parisiensis (1684-1766) qui docuit Moysem adhibuisse ad Genesim conscribendum documenta originalia antiquissima; eaque dividebat in duas classes, nempe *Elohistica* et *Jehovistica* et diversis auctoribus tribuebat. Evvald aliique rationalistae hanc opinionem patrocinarunt, asserentes, Pentateuchum tantum a Capita VI Exodi esse opus Moysis: sed juniores auctores, aliqua operi Moysis addidisse. Si vero a rationalistis quaeras quando haec documenta exarata fuerint, a quo et ubi, in mille dividuntur sententias.

Vater proposuit systema *fragmentorum:* juxta hunc criticum *documenta* praecedentis systematis dispesci debent in plura fragmenta quae ad diversos auctores et aetatem pertinent, quaeque notas genealogicas, facta historica, leges ect. continent, quibuscum aliquis auctor ignotus actualem Pentateuchum constituit. Vater tribuit quaedam fragmenta Moysi; reliqua vero scripta sunt temporibus David et Salomon, et eorum collectio facta est in captivitate Babylonica. Nec desunt, qui cum

(1) Cons. Cornely. Introd. Special de Pentateu., cap. I.

Volney asserant hanc collectionem factam fuisse a Sacerdote Helcia (4 Reg. XXII)

Cum tamen absurdissimum sit, supponere ex diversis fragmentis fortuito collectis exurgere opus in quo mira unitas et pulcritudo elucent, rationalismus non destitit a negatione originis mosaicae Pentateuchi, sed novum systema proposuit, nempe *supplementorum*. Auctor hujus systematis fuit Evvald seu Esvald, qui cum esset juvenis originem mosaicam Pentateuchi defendit, sed postea statuit, Peutateuchum constare: 1.° vestustissimo quodam documento, quod historiam continet ab initio mundi usque ad mortem Moysis, et in quo semper Deo tribuitur nomen Elohim usque ad Cap. VI Exodi: et 2.° alio recentiori documento alicujus scriptoris hebraei, et variis scriptis diversorum temporum, ut *Liber bellorum Domini*, *Liber foederum*, et *Liber originum* de quibus mentio fit in Pentateucho.

Neque in hoc systemate unitas totius Pentateuchi explicatur; et idcirco ipsum modificare intentarunt Stahelia et Tuch, sed neque hac modificatione difficultas solvitur. Si ab his omnibus quaeras, quis vestutissimum illud documentum scripserit, et qui sint auctores supplementorum, et quando et ubi exarati fuerint, omnino silent.

187. Omnes catholici fatemur, tria postrema capita Deuteronomii, vel fortasse tres ultimos versus postremi capitis, non a Moyse sed ab alio scriptos fuisse, probabiliter a Josue. Etiam salva fide dici potest, Moysem a Deo inspiratum adhibuisse libros vel documenta seu scripta antiquissima: hoc enim ostendunt diversitas plurium locutionum inter Genesim et alios libros Pentateuchi, et etiam usus nominum Elohim et Jehova. (1)

(1) Ad rem Vigouroux. «Varios críticos han sostenido efectivamente que Moisés había tenido en su poder antiguas memorias de las cuales se había servido. *Shedas et scrinia Patrum* (ὑπομνήματα *Patriarcharum*) apud Israelitas conservata, Mosen opinamur collegisse, digesisse, ornasse et ubi deficiebant, complevisse, atque ex iis primum librorum suorum confecisse,» decía Vitringa ya en el siglo XII. Los recientes descubrimientos confirman esta hipótesis... Y es más, el mismo estilo del Génesis confirma esta explicación, puesto que en dicho libro campean ciertos arcaismos que no se encuentran ya en los demás libros del Pentateuco. Del punto de vista *gramatical* no hay diferencia alguna sensible entre los cinco libros de Moisés; pero del punto de vista *lexicográfico*, el primero contiene cierto número de palabras que ya no se usaban en tiempos de Exodo.... Que Moisés se haya servido de documentos anteriores, es cosa

Juxta alios catholicos, Moyses propria manu magnam Pentateuchi partem scripsit, sed plura ab aliis exarata sunt sub directione Moysis, et post ipsius mortem aliquis haec omnia collegit, et formatus est Pentateuchus. Hae opiniones ab Ecclesia damnatae non sunt.

His omnibus suppositis deveniamus ad ostendendam veritatem sequentis propositionis: *Pentateuchus, exceptis quibusdam partibus, est opus Moysis.*

Supra diximus quae partes a Moyse scriptae non fuerint.

Probatur itaque thesis, 1.° ex ipso Pentateucho: nam quoad *partem legislativam*, scimus leges a Deo Moysi fuisse revelatas et a Moyse populo promulgatas de mandato Dei, sub hac generali formula: «Et dixit Deus ad Moysem: Haec dices filiis Israel.» Sed haec promulgatio non modo facta fuit viva voce, sed etiam signo scripto: nam legitur Exod. XXIV, 4, «Scripsit autem Moyses universos sermones Domini.» et Deut XXXI, 9. «Scripsit itaque Moyses legem hanc, et tradidit eam sacerdotibus.» Et quidem consequens erat, ut Moyses, leges adeo necessarias scriptis consignasset.

Idem dicendum de *parte historica:* nam post victoriam super amalaecitas, Deus dixit Moysi: «Scribe hoc monumentum in libro» (Exod. XVII, 14): ubi Moyses jubetur scribere, non in quolibet libro, sed *in libro*, quod evidenter significat existentiam alicujus libri in quo historia populi hebraici consignabatur. Denuo renovato foedere inter Deum et populum, post hujus idololatriam, dixit Dominus Moysi: «Scribe tibi verba haec.» (Exod. XXXIV, 27). Etiam (Num. XXXIII, 2) legitur: «Descripsit (mansiones filiorum Israel,) Moyses juxta mandatum Domini.»

Stricte loquendo, ex his testimoniis tantum infertur, ea a Moyse scripta fuisse, non autem hunc fuisse auctorem totius Pentateuchi: hoc tamen sine fundamento solido dicitur: nam

---

que se confirma aun: 1.° por ciertos relatos que parecen incompletos, sin duda porque Moisés no encontró más detalles en la fuente de que se sirvió, por ejemplo en la historia de Lamec. IV, 23, y en la de Nemrod, X, 9.— 2.° el *Dixit Dominus ad Moysen*, que hallamos con tanta frecuencia en los cuatro últimos libros del Pentateuco, para indicar las revelaciones que Dios hace á su servidor, no se encuentran nunca en el primero, porque Dios, por más que lo haya inspirado, no revela al autor los hechos que en dicho libro se narran.» Manual Bibl. Ant. Test. Pentat. Cap. I. Art. III.

etiam Prophetae, vaticinia scriptis consignabant; sed cum ageretur de aliquo vaticinio quod ratione suae excellentiae affigere memoriae oporteret, a Deo expresse jubebantur scripto consignari, et hoc Dei mandatum in ipso libro apponebatur. Jam vero, tum victoria super amalaecitas quae erat prima adversus hostes populi Dei, tum descriptio mansionum filiorum Israel, opportunissimum fuit memoriae Israelitarum affigere, et idcirco scriptis mandare.

Sed alia sunt testimonia, quibus ostenditur, Moysem fuisse auctorem non modo praecedentium testimoniorum, sed etiam totius Legis: et quidem Deut. XXXI, 9 et seq. legitur: «Scripsit itaque Moyses *legem hanc* et tradidit eam sacerdotibus filiis Levi, qui portabam arcam foederis Domini, et cunctis senioribus Israel. Praecepitque eis dicens: Post septem annos, anno remissionis in solemnitate tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Israel, ut appareant in conspectu Domini Dei tui, in loco quem elegerit Dominus, leges verba legis hujus, coram omni Israel, audientibus eis.» Sed juxta criticos modernos, Moyses hic nomine *legis* solum designat Deuteronomium: et idcirco hoc testimonio non aliud probatur nisi Moysem fuisse auctorem Deuteronomii. Sed probari potest, Moysem nomine *legis* significasse totum Pentateuchum.

1.° Quia juxta traditionem judaeorum, qui optimi interpretes erant ideae Moysis, legi debebat septimo quoque anno, non modo Deuteronomium, sed etiam totus Pentateuchus, vel saltem aliqua majoris momenti omnium librorum, teste Josepho Flavio.

2.° Quia Deut. I, 5, incipit suas orationes, quae nihil aliud sunt nisi repetitiones vel compendia trium librorum praecedentium, ut legenti manifestum est. Jam vero, finitis his orationibus, dicitur Moysem praecepisse sacerdotibus ut legerent *hanc legem* anno remissionis, et ipsam legem scripsisse: ergo Moyses non modo Deuteronomium, sed etiam tres libros praecedentes scripsit, quorum Deuteronomium non est nisi synthesis vel compendium. Hi vero quatuor libri, absque dubio, unum opus efformant; quod si a Genesi sejungantur, praesertim Exodus, opus relinquitur acephalum et inexplicabile; ergo Moyses est auctor non modo Deuteronomii, sed etiam totius Pentateuchi.

Ex aliis libris Veteris testamenti etiam probatur Penta-

BIBLIOTECA PROVINCIAL PALENCIA

teuchum esse opus Moysis, vel saltem aetate Moysis fuisse scriptum. Nam apud Malachiam, ultimum prophetarum legitur: «Mementote legis Moysi servi mei, quam mandavi ei in Horeb ad omnem Israel, praecepta et judicia.» (1) Similia testimonia inveniuntur apud Nehemiam et Esdram: tempore captivitatis, Daniel laudat librum Moysis dicens: «Sicut scriptum est in Lege Moysi, omne malum hoc venit super nos.» (IX, 13). Esdrae III, 2, legitur: «Et surrexit Josue filius Josedec et fratres ejus sacerdotes..... ut offerrent in eo holocautomata, sicut scriptum est in lege Moysi»: et Nehemiae, VIII, 1: «Et dixerunt Esdrae scribae ut afferret librum legis Moysis quam praeceperat Dominus Israeli.» Quoad libros Regum, celebris est iste locus «Cumque efferret pecuniam, quae illata fuerat in templum Domini, reperit Helcias sacerdos Librum legis Domini, per manum Moysi.» (4 Reg. XXII, 8 et 2 Paralip. XXXIV, 14.) David morti proximus inquit filio suo Salomoni: «Observa custodias Domini Dei tui ut ambules in viis ejus, ut custodias caeremonias ejus, et praecepta ejus, et judicia, et testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi.» (3 Reg. II. 3.) Demum libri Josue, VIII, 30, legitur: «Tunc aedificavit Josue altare Domino Deo Israel in monte Hebal: sicut praeceperat Moyses famulus Domini filiis Israel, et *scriptum est in volumine legis Moysi.*»

3.° Eadem veritas evincitur ex Novo Testamento: nam aetate Christi, judaei unanimiter credebant, Pentateuchum esse opus Moysis: jam vero Christus Dominus hanc judaeorum fidem confirmat in diversis locis Novi Testamenti: ex. gr. «De mortuis autem quod resurgunt non legistis in libro Moysi super rubum, quomodo dixit illi Deus... etc» (Marc. XII, 26.) Alio in loco docens discipulos ait Christus Jesus: «Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et Psalmis de me.» Luc XXIV, 44.)

Praeterea in Novo Testamento quaedam divina praecepta Moysi tribuuntur ut promulgatori, neque alibi scripta inveniuntur nisi in Pentateucho: ex. gr. juxta Christum Dominum «Moyses praecepit leprosis mundatis, ut se sacerdotibus ostenderent»: Moyses dixit «Honora patrem tuum» Moyses scripsit

(1) **Malach. IV, 4.**

«praeceptum de libello repudii»; Moyses dedit legem circumcisionis... etc.

Quidam huic argumento vim adimere volunt, dicentes Christum se accommodase judaeis qui credebant Pentateuchum esse opus Moysis, et adhibuisse argumentum, ut dicunt, ad *hominem:* sed sequens testimonium sufficienter ostendit, etiam Christum habuisse Moysem ut auctorem Pentateuchi: «Si enim crederetis Moysi, crederetis et mihi: de me enim *ille scripsit:* si autem *illius litteris* non creditis, quomodo verbis meis credetis?» (Joan. V, 45.)

Eadem fuit etiam apostolorum persuasio et sententia; nam Paulus ait: «Sed usque in hodiernum diem, cum legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum.» (II. Corint. III, 15.) S. Lucas (II, 22): «Et postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi (Levit XII) tulerunt illum in Jerusalem etc.» S. Joannes ait: «Quia lex per Moysem data est.» (I, 17.) Plura alia testimonia missa facimus: haec enim sufficiunt ad ostendendum Apostolos Moysem habuise ut auctorem Pentateuchi, consentiente Christo Domino.

4.° Haec ipsa veritas probatur traditione judaeo-christiana: notum est, tum ante tum post Christum, judaeos Pentateuchum in magnam venerationem habuisse, ipsique se accommodasse in omnibus sive religiosis, sive politicis et civilibus. Sed non minus certum est, magnam hanc venerationem tributam fuisse Pentateucho a Judaeis, quia ipsum Moysem habebant ut supremum legislatorem et auctorem Pentateuchi. Sic Thalmudistae dicunt «Moysem scripsisse librum suum... Josue librum suum scripsisse et octo versus (de Moysis morte) in lege.» Haec erat etiam persuasio Saducaeorum et Pharisaeorum tempore Christi. Josephus Flavius et Philo asserunt Moysem prophetico spiritu scripsisse in Deuteronomio relationem sui obitus.

Demum, christiani omnes, tum catholici et protestantes, semper crediderunt Moysem fuisse auctorem Pentateuchi: et haec universalis fides et persuasio anteponenda est procul dubio, gratuitis assertionibus criticorum modernorum.

5.° Probatur etiam thesis monumentis Aegypti: nam postquam Champolion invenit artem legendi hieroglyphica Aegypti, et comparatio statuta est inter historiam hujus populi et historiam Pentateuchi, statim perspicitur Moysem fuisse eruditissimum et optime calluisse geographiam et historiam, omnes-

que scientias et artes aegyptiorum; nunc vero, relationes Moysis de Aegypto, de moribus, de relationibus internationalibus, de civitatibus, de exercitu etc Aegypti, optime conveniunt historiae non Pharaonum proprie dictorum, sed Ramses qui multo antea regnaverant, et insuper ostendunt, auctorem harum narrationum fuisse coaevum factis quae narrat. (1)

(1) Ad rem Vigouroux: «Los *monumentos egipcios* nos suministran nueva é importante prueba de la autenticidad del Pentateuco. "Está hoy fuera de duda que la narración de la historia de José, de la residencia de los Israelitas en Egipto y del Exodo, es decir, la parte del Pentateuco que comprende desde el capítulo XXIX del Génesis hasta el XV del Exodo, no es posterior, en esencia, á la misma fecha de la salida de Egipto, ó en otros términos, que fué escrita cuando el recuerdo de los acontecimientos estaba aun vivo en la memoria. La minuciosa exactitud del texto no tendría explicación si se hubiera escrito en época menos antigua. No solamente prueba que el autor conocía perfectamente el Egipto, sino que lo conocía tal como era en la época de los Ramsés y aún antes. Lo que se dice del estado del país, de las principales ciudades de la frontera, del ejército, se aplica perfectamente á la época de los Ramsés, mas no cuadra en modo alguno á la época de los Faraones contemporáneos de Salomón y de sus sucesores. Si los documentos hebreos datan de fines del periodo de los reyes de Judá, ¿cómo se explica que describan con tanta fidelidad y exactitud el estado del antiguo Egipto y no el estado en que se encontraba en la época de dichos reyes? ¿Cómo se hace que el Egipto del Pentateuco sea tan diferente del de los profetas y que éstos y aquel pinten tan bien el estado real de aquel país, que estén perfectamente de acuerdo con los documentos indígenas de las dos épocas? ¿De dónde viene que el Pentateuco nos presente á Egipto formando un solo imperio y no haga alusión alguna á los múltiples y diminutos reinos de que nos habla Isaías, XIX, 2? ¿Por qué los nombres propios que cita el Pentateuco son todos de la época de Ramsés y de épocas anteriores, sin que en él encontremos ni un solo ejemplo de esos nombres semíticos que tan de moda estaban en Egipto con la dinastía contemporánea de Salomón? ¿Por qué no menciona el Pentateuco los mercenarios extrangeros, tales como los Lubim, de los cuales se dice que formaban parte del ejército en la época del reino de Judá? Las relaciones de Egipto con los paises extrangeros no son menos características. El reino de Etiopía que domina á Egipto antes de Ezequías y durante el reinado de éste, no está mencionado siquiera en los documentos anteriores. Tampoco se hace mención del primer imperio asirio, que se elevó al decaer Egipto. Todo esto ha llamado poderosamente la atención de los egiptólogos, que han comparado los documentos hebreos con los egipcios y los han hallado de acuerdo. Pues bien, semejante exactitud no puede ser resultado de una tradición que se habría conservado durante varios siglos. Y si la parte considerable del Pentateuco que trata del periodo egipcio de la historia de los Hebreos y que contiene fragmentos

6.° Veritas de qua agimus, probatur demum ex ipsa lingua qua exaratus est Pentateuchus: nam inter omnes V. T. libros Pentateuchus distinguitur puritate dictionis et quibusdam *archaismis* sive in vocibus sive in formis grammaticalibus, quae nusquam vel rarissime in Libris Davidis, Salomonis et recentioribus inveniuntur. (1)

Caput III

189. Eadem veritas evincitur ex Pentateucho Samaritano. Qui fuerint Samaritani.— 190. Inter opinionem quae asserit Samaritanos nonnisi temporibus Alexandri Magni Pentateuchum accepisse, et eam quae docet ipsos possedisse ab initio schismatis ¿quae ut vera amplecti debet?—191. Daturne vera contradictio inter chronologiam Pentateuchi Samaritani et Hebraei?

189. Samaritani in usum habebant Pentateuchum Moysis, sed duplici modo, nempe ipsum textum hebraicum characteribus samaritanis conscriptum, (2) et versionem hujus textus in lingua samaritana, quae ex commixtione linguae syriacae cum arabica prodiit. Scopus hujus Capitis est ostendere magnam Pentateuchi samaritani antiquitatem ut sic antiquitas Pentateuchi Moysis probetur. Sed prius sciendum est qui fuerint Samaritani.

190. Cum Salmanassar rex Assyriorum, expugnata Samaria, regem Oseam cum magna populi parte in Assyriam tulisset, paucos reliquit incolas pauperes et plebejos; unde ad habitan-

---

elohistas y fragmentos jehovistas es de una antigüedad tan remota, nadie puede poner en duda que los cuatro primeros libros de Moisés son substancialmente de la misma época.„ El quinto libro del Pentateuco no contiene menos alusiones que los precedentes á los usos y costumbres de Egipto,» *Manual Bíblico*, Ant. Test., P. I, Sec. I, Cap. I, Art. III, § 1.=Conf. etiam Valbuena, *Egipto y Asiria resucitados*, praesertim Lib. III, Cap. I et seq.: et *Man. de Arqueol.*, Prehist. D. M. de la Peña, P. Apolog., Cap. VI, Art. V.

(1) Cons. Ubaldi *Introd. in S. Scripspt.* Par. I. Sect. II. Cap. II. Art. III.=Card. Zigliara *Propaed. ad Sac. Theol.* Lib. III. Cap. VIII.

(2) Origenes et Hieronymus Pentateuchum Samaritanum cognoverunt: sed postea deperditus est donec initio saeculi XVII italus Petrus Della Valle, ipsum Damasci reperiit, et in lucem editus est in Polyglottis Parisiensi et Londinensi.

dam colendamque illam regionem immisit colonos ex suis provinciis, Avah, Emath, Sephasvaim et praecipue ex Cutha. Israelitae ibi degentes admisserunt paganas superstitiones novorum incolarum, et idcirco Dei consitio a leonibus plurimi vexati et interfecti sunt. Cum Assarhaddon hoc cognovisset, sacerdotem quemdam Israelitam captivum ad eos misit *ut habitaret cum eis*, et *doceret eos legitima Dei terrae*. Hic itaque populus, ex Israelitis et Assyriis compositus, dictus est populus Samaritanus. Ad rem nostram hoc aliud factum adnotare oportet: Manasses sacerdos judaeus, frater Summi Pontificis Jaddo, sacerdotio privatus eo quod nollet dimittere uxorem gentilem, ad Samaritanos transiit, et facultate ab Alexandro Magno obtenta, templum in monte Garizim aedificavit, ibique sacrificia juxta ritus a Moyse praescriptos offere coepit.

His suppositis quaeritur num Samaritani habuerint Pentateuchum tantummodo a tempore Manassis sacerdotis, an ipsum multo antea possedissent.

Quidam cum Gesenio docent, Pentateuchum non allatum fuisse ad Samaritanos nisi a sacerdote Manasse tempore Alexandri Magni, et haec argumenta adducunt: 1.um Manasses *potuit* secum afferre Pentateuchum. Sed hic non agitur de *potentia* sed de *facto;* jam vero de posse ad esse non valet illatio nisi in his quae necessario operantur. 2.um Dicunt, decem tribus nec ante nec post captivitatem habuisse cultum religiosum usque ad aedificationem templi Garizim. Sed jure negamus decem tribus nullum habuisse religiosum cultum, quamvis fateamur, superstitionibus et idololatriis gentium admixtum fuisse; neque admittere nobis licet, decem tribus post schisma oblitos omnino fuisse legis Moysis; contrarium enim docet historia biblica ut statim ostendemus. 3.um Juxta Pentateuchum Samaritanum, mons in quo aedificatum est novum templum dicitur Garizim; et tamen mons hoc nomen non accepit nisi tempore Manasses, quia antea vocabatur Hebal. Sed hic agitur de quadam interpolatione quae fieri potuit, sive Samaritani haberent jam Pentateuchum sive non haberent. Joannes Bern. De Rossi volens excusare Manassem et Samaritanos a fraudis crimine ait: «Optime enim, interpolatio haec, salva publica fide nationis, a drivato aliquo critico sive samaritano, sive israelita fieri potuit, qui ex conjectura locum emendarit. Aptius enim electioni congruit, mons benedictionis, quam Hebal.»

Sed Samaritanos non accepisse a Judaeis Pentateuchum, ipsumque ante tempora Manassis habuisse, evidenter probat historia biblica. Nam post schisma, regna Judae et Israel se mutuo oderant: quod si quandoque aliquae concordiae factae sunt, vere ephimerae et transitoriae fuerunt, et a prophetis improbatae. Nam II Paral. XVIII-XIX legimus regem Josaphat favisse Achab regi Israel: sed cum Josaphat rediisset in Jerusalem, quidam propheta acriter ipsum reprehendit. Odium de quo loquimur amplius adhuc confirmatum est, occasione bellorum inter utrumque populum, nempe inter Judam et Israel; et Jeroboam rex Israel ad schisma religiosum fovendum duo erexit altaria idolis, scilicet, alterum Dan, alterum vero in civitate Bethel (3 Reg. XII) ita ut qui verum cultum Deo tribuere vellet, occulte in Jerusalem ire teneretur. Hoc odium crevit, cum judaei post reditum de captivitate babylonica civitatem et templum aedificare coeperunt, sed adjutorium Samaritanorum rejecerunt; propter quod hi, ope Sanaballat, consecuti sunt ut judaei in suo opere cessarent spatio quindecim annorum. Evidens testimonium hujus simultatis inter Judam et Samaritanos habemus Cap. L, 27-28 Ecclesiastici: «Duas gentes odit anima mea, tertia autem non est gens quam oderim: qui sedent in monte Seir et Philisthiim, et stultus populus qui habitat in Sichimis» Demum ex colloquio Jesu Christi cum muliere Samaritana scimus, odium de quo loquimur perdurasse usque ad tempora Christi. Certum est partem quamdam populi Samaritani audivisse praedicationem eorum qui ab Ezechia et Jossia missi sunt, sed hoc factum est «illis irridentibus et subsanantibus eos».et nonnisi paucissimi ex tribubus Asser, Manasses et Zabulon ad pristinam fidem redierunt. Verum est etiam quosdam Israelitas cum Judaeis Pascham celebrasse: sed hi Israelitae erant ex his qui se refugerunt in Jerusalem ne in captivitatem a Salmanassar ducerentur.

Jam vero, hoc odio, hacque simultate inter judaeos et samaritanos supposita, minime concipitur quod samaritani a judaeis Pentateuchum recepissent.

Praeterea si Manasses primum tradidit samaritanis Pentateuchum, ¿cur id ipsum non fecit cum caeteris libris canonis hebraeorum qui jam aetate Manassis scripti erant. Neque verissimile est Manassem tradidisse samaritanis Pentateuchum, cum constet ipsum e sacerdotio ejectum fuisse eo quod Pentateuchi

leges non servasset. Ergo opinio Gesenii admitti nullatenus potest.

Quidam ut Bergier dicunt samaritanos, id est, Israelitas qui in regione Samariae relicti fuerant, Pentateuchum jam habuisse ab initio schismatis: neque dicas, illos Israelitas fuisse infimae plebis, et insuper non fuisse necessarium sacerdotem mitti ab Assarhadone, ut doceret eos «*legitima Dei terrae*» si Pentateuchum possedissent; nam ad primum quod attinet probabile est, Israelitas nobiliores qui in captivitatem fuerant ducti, aliqua exemplaria Pentateuchi reliquisse Israelitis plebejis, ut legis Domini non obliviscerentur. Ad aliud vero dicemus, nullum esse inconveniens in quod samaritani haberent Pentateuchum, neque tamen juxta ipsum agerent.

Tamen opinio generaliter recepta est illa juxta quam Samaritani acceperunt Pentateuchum a sacerdote misso ab Assarhadon. Hunc vero sacerdotem non emendicasse a judaeis Pentateuchum ex eo constat quod Israelitae, saltem captivitatis, ante schisma libros Moysis habuissent, idque probatur his rationibus: 1.° «quod, ut ait Caminero, eamdem fere cum populo judaico constitutionem socialem, politicam, easdem leges, consuetudines, mores, easdem religiosas caeremonias servarent, iis tantum exceptis quae a regibus mutata sunt, ad politicam utriusque populi separationem fovendam: 2.° quod plurimi fuerint prophetae Israelem objurgantes ob legem non *unaequaque rite adimpletam*, nusquam vero ob mosaismum prorsus desertum: 3.° quod multi semper fuerint inter israelitas homines pii, qui *non curvaverunt genua sua ante Baal:* 4.° quod tempore pessimorum regum, v. g. Achab, cultus Jehovae cum idolorum cultu mixtus servaretur, quod luculentissime constat ex historia Eliae (3, Reg. XVIII, praesertim vv. 21-22) 5.° quod plures essent sacerdotes locorum excelsorum, ubi, etsi non rite, vero tamen Deo cultus fiebat: nec Jeroboamum objurgant in hoc libri sacri, nisi *quia non erant de genere levitico*, sed quisquis ex infima plebe in sacerdotium initiabatur manuum unctione: 6.° demum ex Elisaei historia discimus Jehovam Deum Israel fuisse (4 Regum V, 11, 16-18), scholas prophetarum extitisse (ib. 6) aliaque hujusmodi sexcenta in decem tribuum historia leguntur, cultum et religionem mosaicam servatam fuisse demonstrantia, licet idololatria, superstitione et neglectu plurium rituum adulteratam a populo, non tamen a prophetis veris

et piis hominibus. Haec autem omnia qui fieri poterant absque libro legis? ¿Quomodo *filii prophetarum* instruebantur nisi lectione et meditatione Pentateuchi? Ergo apud ipsos mansit, et in Assyriam adsportatus fuit indeque revertit in patriam, ope sacerdotis illius ab Assaradone missi. Hinc novimus cur solum Pentateuchum samaritani servent, quia nempe antecessores sui in religione, populus nempe Israel, nullum posteriorem librum receperat, non nisi a Davide, Salomone, aliusque viris ex Juda scriptum aut vulgatum vel etiam a Samuele, Davidis parti addictissimo, ob idque decem tribulus inviso.» *Man. Isag.*, Sect. II, Cap. VII.

Ex dictis infertur, Pentateuchum non fuisse scriptum temporibus Alexandri, nec Esdrae, sed ante captivitatem jam fuisse scriptum, et Israelitas ipsum possedisse ante aetatem Salomonis, Davidis et Samuelis. Quae si non probant Pentateuchum esse Moysis, tamen sufficienter ostendunt, hoc opus ad tempora Moysis accedere.

191. Differentiae quaedam existunt inter Pentateuchum Samaritanum et hebraicum: et praecipua differentia est chronologica: nam juxta textum hebraicum ab Adamo ad Christum transierunt 4004 anni: sed juxta textum samaritanum 4235. Sed hae diferentiae, ut alibi dictum est ad fidem non pertinent, et generatim aequivocationibus librariorum et amanuensium tribui debent.

Hodie critici in magnam aestimationem habent Pentateuchum samaritanum, et invenitur in Polyglottis Parisiensi et Londinensi: neque confundi debet cum versione samaritana Pentateuchi, quae etiam in praedictis polyglottis invenitur.

Integritatem Pentateuchi samaritani testantur Origenes S. Hieronymus, S. Cyrillus Alexandrinus aliique, propter quod magna gaudet auctoritate.

Caput IV

§ II.

PARS EXEGETICO-CRITICA.

192. Solvuntur quaedam objectiones quibus adversarii ostendere conantur Pentateuchum non esse opus Moysis, vel ipsum non fuisse totius Pentateuchi auctorem: 1.ª Aetate Moysis scriptura erat ignota. 2.ª In Pentateucho de Moyse loquitur in tertia persona, quaedam laudes ipsi tribuuntur, et de ejus morte fit mentio.—193. Inveniuntur fragmenta Elohistica et Jehovistica quae uno auctori minime adscribi possunt.--194. Dantur repetitiones et contradictiones inter caput I et II Geneseos ubi de origine rerum: cap. X ipsius libri asseritur Hevila, Saba, Dadan et Ludin a Cham descendere, et statim dicitur ipsos esse de progenie Sem.: cap. VI. 19. Gen. legitur: «Et ex cunctis animantibus universae carnis bina induces in arcam», et cap. VII, 2 legimus, «Et ex omnibus animantibus mundis tolles septena et septena, masculum et feminam.» —195. Non immerito prima Pentateuchi compositio Sacerdoti Helciae tribuitur, non enim alio modo intelligitur quod libri legis lectio sic Regem populumque commoveret.

191. Voltaire in suo *Dictionario philosophico* asseruit, Moysem non scripsisse Pentateuchum, quia inter aegyptios educatus nesciebat linguam hebraicam, et insuper quia in illa aetate scriptura erat ignota.

Haec objectio hodie a nemine proponitur: nam in primis, certum est Moysem in sua infantia a propria sua matre educatum fuisse: et etiam certissimum est hebraeos non obstante captivitate suam linguam conservasse. Hebraeos vero artem scribendi ignorasse, ridiculum est affirmare nostris praesertim temporibus. Nam juxta S. Augustinum jam aetate Abrahae scriptura in usu erat: ait enim sapientissimus Doctor: «Non itaque credendum est hebraeas literas a Lege coepisse, quae data est per Moysem, sed potius per illam successionem Patrum memoratam linguam cum suis literis custoditam.» Praeterea in saxis et rupibus deserti plures inveniuntur inscriptiones hebraeorum. Et demum in Patriarcharum historia plura inveniuntur testimonia quae existentiam scripturae ostendunt· et quidem, Gen. XXIII mentio fit de libello emptionis; Num. XXI, 4, commemoratur *liber Bellorum Domini;* et demum Job Moyse antiquior scripturam noverat: ait enim (XIX): «Quis mihi det ut *scribantur in libro* sermones mei... etc.»

Alterum argumentum adversum authentiam Pentateuchi, hoc est: Pentateuchus loquitur de Moyse in tertia persona, ipsi laudes tribuit, ipsiusque mortem narrat: quae omnia probant Pentateuchum non esse opus Moysis. Hoc argumentum proposuit Spinoza, sed nullius et roboris. Nam auctores historici solebant et solent de se ipsis scribere in tertia persona cum in narratione partem habent. Laudes quae Moysi tribuuntur, necessariae erant ut ejus auctoritas firmaretur coram populo, ut fecit Apostolus scribens ad Galatas et ad Corinthios (Epist. 2.ª) Relationem vero de Moysis morte, jam alibi diximus scriptam fuisse probabiliter a Josue.

193. Rationalistae ut negent Moysem fuisse auctorem saltem totius Pentateuchi, docent in Pentateucho inveniri fragmenta *Jehovistica* et *Elohistica*. Astruc, Vater, Evval aliique hoc argumentum proposuerunt, quod tamen facile solvitur. Nam ex eo quod a capite VI Exodi generatim adhibeatur nomen *Jehova*, cum de Deo agitur, minime infertur Moysem non scripsisse Genesim, nisi probetur aetate Moysis omnino ignotum fuisse nomen Jehova: hoc vero probari non potest: sed potius ex Sacra Scriptura contrarium evincitur: et quidem Exod. III, 14, Deus se revelat Moysi ut *Jehova* (Ego sum, qui sum), hoc enim significat nomen *Jehova* seu *Jahve* juxta Cornely. Jam vero hoc nomen partem constituit nominis matris Moysis, *Jochabed* quod significat «*Jehova est gloria.*» Ergo nomen Jehova non erat ignotum aetate Moysis. Cum tamen antea Deus non se revelasset Moysi ut *Jehova* sed ut omnipotens, terribilis etc, idcirco Moyses non est usus ita frequenter illo nomine Jehova. Cum ex alia parte, nomina Jehova et Elohim, stricte et philosophice loquendo non se mutuo contradicant, idcirco Moyses indistincte adhibere potuit sive unum sive alterum.

Praeterea, aliqua sunt in Pentateucho loca in quibus adhibetur *solum* nomen Jehova, et *solum* nomen Elohim, et utrumque simul, scilicet Jehova-Elohim (Dominus Deus); ergo rationalistae tenentur ostendere quaenam sint fragmenta pure Jehovistica et Elohistica.

Praeterea usus nominum Jehova et Elohim facilem habet explicationem: nam 1.° Moyses fortasse adhibuit antiqua documenta in quibus Deus vocabatur Elohim, et noluit hoc nomen divinum mutare quia sui scopo non erat necessarium. Et haec opinio absque dubio admitti potest.

2.° Quoad plura loca, adduci potest ratio qua adhibitum est nomen Jehova vel Elohim. Apud hebraeos, nomen Elohim non designat tantum verum Deum sed etiam falsa numina juxta vulgarem usum. Sed Deus voluit apud hebraeos nomen proprium habere, et hoc nomen fuit Jehova. Generatim in Pentateucho nomen Elohim sumitur pro Deo omnium hominum et gentium, et Jehova pro Deo populi hebraei, id est, populi a Deo electi. Jam vero si attente considerentur loca Pentateuchi in quibus adhibetur sive nomen Jehova, sive Elohim facile quis perspiciet, ibi adhiberi nomen Elohim ubi agitur de Deo quatenus est Dominus omnium populorum; et nomen Jehova, ubi sermo est de Deo quatenus est Dominus hebraeorum. (1)

194. Adversarii authentiae Pentateuchi inveniunt in hoc opere quasdam repetitiones, et contradictiones, ex quibus duos saltem fuisse Pentateuchi auctores deducunt. Duobus enim locis refertur raptum Sarae in Aegypto et Rebeccae, et expulsio Agar.

Sed hujusmodi repetitiones explicationem habent facilem, modo attendas et consideres in diversis locis unum idemque factum referri, sed fortasse in aliquo eorum circumstantiae quaedam adducuntur quae alio omissae sunt. Demum in memoria revocandum est, Pentateuchum scriptum fuisse spatio quadraginta annorum, unde mirum non est quod in ipso aliquae repetitiones inveniantur.

Sed rationalistae asserunt, etiam veras contradictiones in Pentateucho dari: prima eorum apud eos invenitur inter Caput I et II Geneseos. Sed legenti patet inter haec duo capita nullam adesse contradictionem; sed quod I Capite brevius narratur, capite sequenti fusius explicatur.

Etiam cap. X Geneseos asseritur Hevila, Saba, Dadan et Ludin a Cham descendere, et statin dicitur ipsos esse de progenie Sem.

Sed in hoc, nulla est vera contradictio, quia plurimi ex progenie Cham et Sem eadem nomina habuerunt.

En alia contradictio juxta rationalistas: cap VI, 16 Gen. legitnr: «Et ex cunctis aminantibus universae carnis bina induces in arcam», et cap. VII, 2 legimus: «Et ex omnibus ani-

(1) Conf. «*El Exameron y la ciencia moderna* P. Arintero, pág. 178 et seqq.

nantibus mundis tolles septena et septena, masculum et feminam.»

Sed si comparatio cum Pentateucho samaritano instituatur, non difficulter apparet, cap. VI designari tantum sexum animalium sequenti vero capite determinari numerum ipsorum.

195. En demum aliud argumentum rationalistarum: Non immerito prima Pentateuchi compositio tribuitur sacerdoti Helciae, non enim alio modo intelligitur quod libri Legis lectio sic Regem populumque commoveret.

Sed falsissimum est Helciamfuis se Pentateuchi auctorem; nam 4 Reg. Cap. XXII, tantum legitur: «Librum Legis reperi»; et II Paralip legimus: Cap. XXXIV, 14; «Reperit Helcias sacerdos librum legis Domini per manum Moysi.» Jam vero, ex hoc non infertur Elciam composuisse vel scripsisse Pentateuchum, sed tantum invenisse: illa vero commotio tum regis, tum populi, facile intelligi potest, si quis consideret, omnes hebraeos, duce Manasse oblitos fuisse legis Dei, ita ut neque minimam notitiam Legis haberent; unde Rex Josias postulat a sacerdotibus ut clementiam a Deo impetrent «eo quod patres nostri non custodierint verba Domini, ut facerent omnia quae scripta sunt in isto volumine.». ¿Quis negavit etiam apud populum catholicum, praedicationem non novae sed veteris doctrinae quandoque speciali modo audiri et suscipi, ipsamque populum commovere?

Caput V

196. Ostenditur auctoritas historica Pentateuchi.—197. Num auctoritatem hanc minuant episodium Balaami aliaque miracula de quibus in Pentateucho fit mentio.

196. Quoad Exodum et caeteros libros posteriores Pentateuchi, Moyses eamdem auctoritatem habet ac Xenophonte, Tucidides, Caesar aliique scriptores historici, quia in his libris narrat non modo ea quae ipse vidit et gessit, sed etiam ea legit coram omni populo, ut ex ipsis libris constat: unde hic, falsitas impossibilis est, nisi admittatur populum judaicum adeo fuisse stolidum ut quaslibet narrationes ut veras acciperet. Si plagae Aegypti, si transitus maris Rubri, aliaque mirabilia quae Moyses refert facta non fuissent, vere mirabile fuisset populum hebrai-

cum haec omnia credidisse, et propter haec miracula legem adeo difficilem accepisse. Ergo auctoritas historica Exodi, Levitici, Numerorum et Deuteronomii in dubium revocari non licit.

Quoad Genesim tamen fatendum est, facta quae in ipso narrantur antiquissima esse: nam mors Joseph quae ultimo loco refertur in Genesi, locum habuit saeculo praecedenti Moysi, et ab Adamo usque ad Joseph plurima saecula transierunt. Hac de causa rationalistae affirmant, relationes Geneseos esse fabulo- ut narrationes historicae Sinensium, Indorum, etc.

Aversus rationalistas demostrabimus librum Geneseos vere esse historicam: 1.um ex conditione personae ipsius Moysis qui apparet quasi a Deo missus ut populo hebraico legem divinam promulgaret, et ipsius legis observantiam promoveret: ad hoc primitus offert librum Geneseos, ut populus ad servandam legem Dei moveretur ob specialem providentiam qua Deus ipsum elegit inter omnes mundi gentes. Hoc supposito, videbitur alicui verosimile hominem pium ac gravem, ut erat Moyses mythos et fabulas excogitasse ut essent basis et fundamentum illius legislationis divinae?

2.° Aliud argumentum pro veracitate historica Pentateuchi dessumitur ex eo quod cum propius auctor accedit ad tempora Abrahami, narrationes factorum minutiores sunt: sed cum de factis antiquioribus agitur narrationes breviores et non adeo minutiores sunt: ubi videbis, Moysem vera facta referre, quorum notitia plus vel minus clarior vel obscurior est, juxta eorum antiquitatem, et majorem vel minorem perfectionem mediorum quibus Moyses eorum notitiam adsecutus est. Haec autem media fuerunt vel vestussima documenta anteriora Moysi, vel traditio oralis, quae facile factorum memoriam conservare et transmittere fideliter potuit quia tunc paucae generationes ad longum spatium temporis implendum sufficiebant. Ex. gr. Lamech vixit cum Adam et Sem; Abraham fuit coaevus Sem et Jacob; Moyses autem saeculo 2.° post Jacob vixit.

3.° Singulare est quod hodie critici missas faciant quaestiones de originibus Indorum, Sinensium aliorumque antiquorum populorum, quia ipsi hujusmodi origines ut mythologicas et fabulosas habent: sed cum de origine rerum juxta Genesim agitur, a saeculo XVIII, rationalistae historiam, chronologiam, geologiam, Palaentologiam, geographiam etc. etc. consuluerunt

ut relationem Moysis falsam esse ostenderent: tamen scientia quo magis progreditur, eo clarius et evidentius ostendit veritatem et realitatem narrationis Moysis de origine rerum.

4.° Etiam tabula genealogica cap. X, characterem historicum Pentateuchi confirmat. Antiqui populi orientales ut Aegyptii, Assyrii etc omnes alios populos sibi inferiores putabant, nihilque commune cum illis habere credebant. Etiam Graeci et Romani, in philosophia et historia adeo illustres, numquam declararunt unam esse omnium hominum familiam, omnesque linguas ab una primitiva procedere. Et quamvis Moyses sibi proponat historiam populi Dei texere, tamen ipsi communem originem cum reliquis populis tribuit. Praeterea Moyses in sua tabula genealogica populorum affinitatem proponit quae tunc cognosci non poterat ope mediorum scientificorum quae tunc deerant, quae tamen nunc existunt, et veritatem narrationum Moysis ostendunt. Fatemur affinitatem quorumdam populorum quos Moyses affines facit non esse adhuc demonstratam; sed etiam certum est tabulam genealogicam Moysis nullum continere errorem, et ea quae aliquando erronea visa sunt, nunc vera apparere ope progressus linguistici. Nunc vero, abstractione facta a divina inspiratione Moysis, ¿nonne fatendum est, ea quae Moyses narrat in sua tabula genealogica, non mythologica et fabulosa, sed vere realia et historica esse?

197. Unica ratio, vel potius praetextus, quo rationalistae negant characterem historicum Pentateuchi, est quod opus Moysis contineat mirabilia et supernaturalia: rationalistae vero haec impossibilia esse ostendere debent, nempe episodium Balaami aliaque similia.

Caput VI

198. Solvuntur objectiones adversus divinam Geneseos inspirationem, et ad vindicandum 1.um versum, cap. I. ostenditur 1.° materiam non esse, nec posse esse aeternam.—199. 2.° ipsam non nisi per creationem oriri potuisse. —200. 3.° hanc creativam actionem nullam involvere repugnantiam.—201. 4.° Deum mundum creasse non ab aeterno sed in tempore.—202. Et 5.° ipsa strata seu terrena geologica evidenter ostendere mundum non esse aeternum.—203. Adducitur schema terrenorum et formationum geologicarum.

198. Cap. I. v. I. Gen. legitur: «In principio creavit Deus coelum et terram» ex quibus verbis evidenter infertur, omnia

hujus mundi esse producta, et idcirco nihil esse in mundo quod sit aeternum *a parte ante*. Contrariam sententiam tuentur omnes hi qui docent materiam esse aeternam. Haec fuit sententia Platonis, juxta quem Deus fecit mundum ex materia infecta: hodierni rationalistae non nisi materiam agnoscunt eamque aeternam et improductam esse affirmant. Contra hos omnes sit thesis: *Materia non est, nec esse potest aeterna et improducta.*

Prob. 1.° Materia infecta, esset ens a se, ac proinde perfectissimum quia ens necessarium et a se limitari non potest nec a se nec ab alio: atqui repugnat materiam esse ens perfectissimum: nam est undequaque composita, divisibilis, intellectu carens, etc: ergo nequit esse infecta.

2.° Materia, quae omnino independens est quoad esse, pendet, in sententia Platonis, a Deo quoad ordinem seu actualem modum essendi: nam materia hujusmodi esset ens necessarium; ens vero necessarium independens est non solum quoad esse sed etiam quoad modum essendi. Ergo si materia pendet a Deo quoad suum ordinem, a Deo pendere etiam quoad esse fatendum est.

3.° Praeterea, materia de qua loquimur, natura sua vel est infinita vel finita: atqui infinita non est, nam magnitudo infinita repugnat; et insuper, materia natura sua non exigit quantitatem infinitam, sed quamlibet quantitatem. Nec dici potest, materiam habere determinatam quantitatem finitam, id est determinatis limitibus circumscriptam; nam materia, natura sua indifferens est ad quamlibet quantitatem: ergo determinatio quantitatis ab agente extrinseco provenit. Cum vero, materia numquam existere potuisset absque determinata quantitate, ab illo a quo hanc determinationem accepit, etiam ipsum esse accepisse fatendum est.

4.° Demum materia numquam potuit existere nisi determimata ad motum vel ad quietem: sed materia ex se indifferens est ad motum vel ad quietem: ergo ab extrinseco determinationem accepit et idcirco et ipsam existentiam; ac proinde materia mundi non est infecta, et consequenter dici nequit mundum a Deo esse formatum ex materia infecta. (1)

(1) Conf. Liberatore. Intr. Philos. Cosmol. Cap. I, Art. 3, Audi etiam sapientissimum philosophum hispanum Hernández y Fajarnés: «Porque si la materia representa los fenómenos materiales, compuestos de fases sucesivas, esencial y evidentemente incapaces de esta identidad perma-

«Et haec quidem sententia, ait Tilman Pesch, cum doctrinis physicis optime cohaeret. Docent enim Clausius, W. Thomson, Helmholtz, aliique vim mechanicam, postquam semel in calorem fuerit mutata, totam in mechanicam non redire. Quod si ita res se habet, evidens est, jam diu omnem vim mechanicam in calo-

---

nente, que nos hace decir, por ejemplo, de un teorema de aritmética que es una verdad *eterna;* que la materia comenzó á existir, ó que por esencia está privada del atributo de la eternidad, demuéstralo el mismo escritor (P. Carbonelle *Les Confins de la Science*, etc.) de este modo. "Un suceso pasado, un fenómeno material, por ejemplo, no puede ser real sino á condición de haber sido ejecutado en una época determinada en el pasado: cada una de sus fases debe corresponder á un instante determinado, de igual manera que las fases de los fenómenos que se realizan actualmente á nuestra vista. Decir que se realizó en un instante indeterminado (no decimos desconocido, subjetivamente indeterminado, sino indeterminado en sí mismo, objetiva, esencialmente indeterminado); es quitarle toda su realidad, es declarar que no existió jamás, es relegarlo, no entre las fábulas, sino entre las quimeras y las cosas imposibles. Es así que hemos visto que dos instantes determinados no pueden estar separados más que por un intérvalo finito. Luego ningún suceso real, ningún fenómeno material puede corresponder á un pasado infinito. Luego la eternidad de la materia es una imposibilidad intrínseca, un puro contrasentido, y la serie de los fenómenos, que constituyen el mundo material, necesariamente ha tenido comienzo.»

Et alibi ait: «Del mismo fundamento doctrinal participa la demostración que de la no eternidad de la Materia y de la Fuerza ha trazado con «argumentos físicos» el docto agustino P. T. Rodríguez: «Si los átomos materiales y las fuerzas ó movimientos á ellos inherentes, escribe, fueran eternos, hubieran ya agotado todas las combinaciones posibles hace ya muchos años.... Si la materia y la fuerza fuesen eternas, se hubiera ya repetido nuestra existencia sobre la tierra un número infinito de veces... Como una duración eterna es mayor que cualquiera otra cantidad de tiempo por muy grande que sea, fácilmente se ve que sólo después de repetirse un número infinito de veces... una cantidad finita, podría llegar á formar una duración eterna, ó lo que es lo mismo, solo déspuès de haberse repetido en número infinito de veces las mismas combinaciones y formas del Universo, ó en otros términos, sólo admitiendo los más estupendos absurdos, y poniéndose en contradicción con los principios científicos universalmente establecidos, puede negarse el origen absoluto de la Materia y de la Fuerza por acción de una causa supra-cósmica.» Estos dos caracteres de que el movimiento es adjetivo de la materia, y no es eterno, aparecen también reconocidos explícitamente por los amargos *enigmas* del mismo Boisreymond, diciendo ante la Academia de Berlín: «No siendo el movimiento esencial á la materia, la necesidad de una causa exige, ó la eternidad del movimiento, y en tal caso hay que renunciar á comprender cosa alguna, dificultad absoluta para todo hombre sano de espíritu: ó

rem debere esse mutatam, si mundus, qui nunc est, esset ab aeterno.» (1)

Aeternitas materiae est etiam fundamentum systematis cosmici Epicuri, Democriti et quorumdam recentiorum qui formationem mundi tribuerunt et tribuunt fortuito atomorum concursui. Atomi, juxta ipsos, sunt particulae minutissimae, aeternae et infectae, variis figuris ornatae et infinitae numero. Praeterea admittunt vacuum infinitum in quo atomi ab aeterno movebantur: hac motione et agitatione, atomi inter se conjunctae fuerunt, et ex hoc concursu casuali et fortuito prodiit mundus mundanaque omnia. Hoc systema quod dicitur *casualismi,* his rationibus rejicitur: In primis totum systema ad haec capita revocari potest: 1.um atomi sunt aeternae et infectae: 2.um sunt numero infinitae: 3.um moventur motu essentiali: 4.um habent diversas figuras, et 5.um datur infinitum vacuum in quo atomi moventur: atqui haec omnia absurda sunt; ergo...

Prob. Min, per singulas partes: 1.° *Atomi non sunt aeternae et infectae.* Nam quod non est factum, in sua essentia habet rationem suae existentiae; sed in essentia atomi non includitur existentia; optime enim concipimus atomum non existentem. Praeterea, quod non est factum, est a se, ac ideo infinitum; nam limitari nequit ab alio cum sit omnino independens, nec a se, quia quidquid habet necessario habet; atqui atomi non sunt infinitae quoad essentiam, ut adversarii ipsi fatentur; ergo neque sunt infectae et aeternae.

2.° *Atomi non sunt infinitae numero.* Nam numerus infinitus in probabiliori sententia repugnat. Praeterea numerus infinitus atomorum repleret omnino vacuum, et sic atomorum motus seu continua agitatio esset omnino impossibilis: ergo impossibilis dicendus est etiam atomorum concursus, et idcirco, vel hic concursus non datur, vel atomi non sunt infinitae numero.

3.° *Non moventur motu essentiali.* Nam atomi materiales procul dubio sunt; jam vero, in conceptu materiae, motus nullo

---

una impulsión sobrenatural, y entonces hay que admitir el milagro, dificultad desesperada para el Positivismo.» Bien resumió Naville el argumento: «ó una potencia motora en la materia, contra la ley de inercia. ó un movimiento sin causa, contra el principio de toda ciencia.» *Princip. de Metafis. Cosmol.*, Cap. XIX.

(1) *Inst. Philos. Natural*, Lib. III, Disput. I, Sect. I.

modo includitur sed potius inertia: corpus enim ex se statum suum mutare nequit, sive hic status sit motus sive quietis; cum ergo corpus seu materia indifferens sit ad motum vel ad quietem, nequit actu moveri nisi ad motum determinetur ab aliquo agente ab ipsa materia distincto: motus vero corporis, qui impulsui exterioris causae debetur, nequit esse corpori essentialis.

4.° *Atomi nequeunt habere diversas figuras:* Nam 1.° si atomi sunt infectae, ut casualistae asserunt, necessario existunt; et idcirco, quidquid est in atomis, necessario existit: unde et determinata figura est necessaria et essentialis cuilibet atomo. Num vero determinata figura dicitur atomo essentialis, quia atomus necessario existit: sed haec necessitas existendi omnibus atomis eodem modo convenit: ergo etiam determinatio figurae seu determinata figura omnibus atomis eodem modo convenit; ergo omnes eamdem figuram necessario habebunt. 2.° Materia indifferens est ad quamlibet figuram; ergo determinatio figurae debetur non essentiae atomi, sed agenti extrinseco: atqui in ente necessario et a se, nihil est nec esse potest quod ab extrinseco proveniat: ergo vel atomi non sunt necessariae et a se, ideoque nec infectae, vel secus, non habent diversas figuras. 3.° Ut ex diversis figuris, mutua atomorum cohaesio exurgeret, necesse fuit in quibusdam atomis dari angulos intrantes: sed cum extra atomos non sit nisi vacuum, anguli intrantes erant omnino impossibiles: nam inter anguli latera distantia profecto datur: sed distantia aliquid est: vacuum vero est nihilum. (1)

5.° *Dari non potuit infinitum vacuum in quo atomi moverentur.* Nam in primis, vacuum est omnimo impossibile: nam necessario concipitur ut quaedam capacitas extensa: sed omne extensum est corpus, cum spatium nihil aliud sit quam ipsa corporis extensio.

Praeterea, in vacuo, motus dari nequit: nam motus dari non potest absque eo quod corpus in diversis positionibus

(1) «Se infiere de lo dicho, ait Balmes, que un cuerpo con ángulos entrantes, existiendo solo es un absurdo. Porque su figura exije que el punto A, vértice de un ángulo saliente, diste del punto D, vértice de otro ángulo, la distancia A D. Esta distancia no puede existir, porque donde no hay cuerpo no hay distancia. Luego existiría y no existiría la distancia á un mismo tiempo, lo que es contradictorio.» *Filos. Fund.* Lib. III. Cap. XIII.

Et quamvis loquatur de corpore unico, tamen nostram sententiam confirmat, nam quilibet atomus supponitur vacuo circumdata, quod idem est ac si esset sola seu unica.

constituatur: sed hae diversae positiones, distantiam majorem vel minorem exigunt: in vacuo autem nulla distantia dari potest; ergo dari non potest vacuum in quo atomi moverentur.

6.° Quidquid perfectionis est in effectu, continetur in sua causa adaequata; atqui in mundo est ordo, sensus et intelligentia, et nihil horum est in atomis: ergo rejicienda est omnino sententia eorum qui asserunt mundum ortum habuisse ex fortuito atomorum concursu. (1)

199. Supposita non aeternitate materiae hujus mundi, nunc probatur non aliter ipsam produci potuisse quam per creationem.

Nam si materia mundi non est aeterna nec infecta, ergo Deus condidit mundum vel ex seipso, quasi ex materia, vel ex nihilo. Primam partem hujus disjunctivae tuentur pantheistae emanatistae, qui mundum habent tanquam profluvium vel emanationem a divina substantia, ita ut materia hujus mundi sit ipsa subtantia divina, quae ab aeterno et necessitate naturae se evolvens mundum mundanaque constituit omnia, quae idcirco a Deo ipso non distinguuntur. Hunc errorem plus minusve docuere plures apud Indos et Persas et schola Pytagorica; apud Christianos, Gnostici; et inter modernos, apostata Jordanus Bruno aliique.

Inter emanatismi defensores, quidam putant hanc emanationem esse immanentem, ita ut mundus et Deus non sint duae realitates distinctae. Alii vero agnoscunt, Deum a mundo realiter distingui, sed non tamquam substantia a substantia, sed tamquam substantia a suo accidente; et haec emanatio dicitur *transiens*.

---

(1) Ad rem Sanseverino: «Idem de rebus ratione, aut quavis alia facultate sentiendi, cognoscendique pollentibus potiori jure idem Lactantius diserte adnotavit. Ex quo haec pauca»: Quid ego de animalibus loquar in quorum corporibus nihil sine ratione, sine ordine, sine utilitate, sine specie figuratum videmus, adeo ut solertissima, et diligentissima omnium partium, membrorumque descriptio casum, ac fortunam repellat? Sed putemus artus et ossa, et nervos et sanguinem de atomis posse concrescere. Quid sensus, cognitio, memoria, mens, ingenium, quibus seminibus coagmentari possunt?.... Quomodo ergo sine ratione coeuntia, possunt aliquid efficere rationale?.... Quis artifex potuit aut cor hominis, aut vocem, aut ipsam fabricare sapientiam? Quisnam igitur sanus existimat, quod homo ratione et consilio facere non possit, id concursu atomorum passim cohaerentium perfici potuisse?» *Element. Philos. Christ. Cosmol.* Cap. VII. Art. 2.

Contra quos sit

Thesis. Mundus oriri non potuit per emanationem a substantia divina, sive immanentem sive transeuntem.

Prob. *quoad emanationem immanentem*. In hoc enim systemate, omnia hujus mundi, non aliud sunt quam modificationes divinae substantiae: ex quo infertur: 1.° substantiam divinam esse subjectum modificationum, ac proinde vere et realiter mutabilem: 2.° substantiam divinam simul habere posse modificationes inter se contrarias; nam in mundo sunt corpora et spiritus; ignorantia et scientia; bonitas et malitia, etc, etc.; unde Deus simul esset corporeus et spiritualis, ignarus et sapiens, bonus et malus, etc; atqui repugnat, 1.° substantiam divinam, ut omnino immutabilem modificationes habere; et 2.° repugnat unum idemque esse simul subjectum modificationum oppositarum: ergo emanatio immanens mundi a substantia divina absurda est.

Quoad emanationem transeuntem. Tunc enim, substantia hujus mundi esset pars divinae substantiae, ad modum quo filamenta sunt partes bombycis: unde Deus haberet partes, neque esset simplicissimus, quod omnino erroneum est.

Praeterea si mundus esset pars divinae subtantiae, easdem conditiones haberet ac substantia divina, ac proinde esset infinitus, perfectissimus, a se, immutabilis etc: quae omnia absurditate plena sunt.

Juxta defensores *emanationis immanentis* nullum est inconveniens, in hoc quod Deus simul habeat attributa opposita: nam etiam in homine hujusmodi attributa dantur, cum sit simul spiritualis et corporeus.

Sed magna interest differentia inter Deum et hominem. Nam quidquid in Deo invenitur, infinitum est; et idcirco quodlibet divinum attributum in toto Deo est: hoc autem non contingit in homine; nam ubi est ejus spiritualitas, non est ipsius corporeitas.

Ex dictis infertur, Deum mundum non condidisse ex se ipso quasi ex materia, neque ex alia materia praejacente, cum materia mundi non sit aeterna; ergo Deus mundum condidit ex nihilo, id est, per creationem.

Ad cujus pleniorem intelligentiam quaedam in memoriam revocare oportet. Itaque creatio definiri potest: *Productio rei ex nihilo;* vel *Actio effectum producens ex nullo praejacente*

subjecto, ita ut nulla sit materia praeexistens in qua actio causae efficientis recipiatur.

Cum dicitur *ex nihilo*, non designatur causa materialis, sed mera successio a nostro intellectu concepta. Nam ut habet S. Thomas: «Cum dicitur aliquid ex nihilo fieri, haec propositio *ex* non designat causam materialem, sed ordinem tantum; sicut cum dicitur, *ex mane fit meridies*, id est, post mane fit meridies.» (1)

Creatio in hoc praesertim a reliquis actionibus discriminatur, quod hae subjectum supponant in quo efficientis actio recipiatur: creatio vero, nullum subjectum, nullamque materiam, sed causam efficientem tantum exigit. Praeterea creare, idem est ac totam rei substantiam producere; aliae vero actiones non nisi mutationes causant sive substantiales sive accidentales in subjecto praexistente.

200. His suppositis probabimus *hanc creativam actionem esse possibilem, seu nullam involvere repugnantiam.*

Et quidem, hujusmodi actio non repugnat *ex parte causae*, nempe Dei: nam creatio est operatio omnino independens, eo quod nullum subjectum postulet receptivum actionis; atqui datur causa, nempe Deus cui hujusmodi actio non repugnat, sed potius convenit: ergo. Prob: Min. Operatio sequitur esse: atqui datur causa, nempe Deus, cujus esse est omnino independens: ergo Deo convenit, ac proinde non repugnat operatio omnino independens: haec autem est creatio; ergo creatio non repugnat ex parte causae.

Neque regugnat *ex parte effectus*. Res mundanae necessario non existunt nec quoad accidentia, nec quoad substantiam, nec quoad materiam nec quoad formam; ergo si accidentia, produci possunt, et etiam forma substantialis vere producitur, dicendum est ipsam materiam, et idcirco totam rem produci posse: sed tota res nequit produci nisi per creationem; cum enim ad effectum producendum aliquod subjectum praeexistit, tota res non producitur: ergo creatio non repugnat ex parte effectus; et idcirco est possibilis.

201. Quidam philosophi admissa creatione mundi a Deo, hanc tamen non aliter concipiunt nisi aeternam. Tamen probari potest nullam esse necessitatem creationis aeternae neque ex parte Dei, neque ex parte mundi. *Non ex parte Dei:*

(1) *Summ. Theol*, P. I. q. 45, art. 1.°

nam cum Deus sit infinite perfectus et sibi ipsi sufficiens, neque ejus perfectio augeatur productione creaturarum, ideo liberrime eas produxit; si ergo Deus libere creaturas condidit, earumdem longior aut brevior duratio a libera Dei voluntate pendet. *Non ex parte mundi:* cum enim mundus sit contingens vel indifferens quoad existentiam, etiam est contingens vel indifferens quoad quamlibet durationem.

Demum historiae omnes vetustissimae traditionesque omnium populorum, propositionis nostrae veritatem invictissime confirmant. (1)

Idem dicendum de investigationibus geologicis. Et quidem juxta has investigationes, homo est ultima creatura quae in terra apparuit, ejusque reliquiae inveniuntur in terrenis recentioribus, non vero in terrenis *tertiariis;* quod evidenter non aeternitatem hominis, ostendit. Et etiamsi daretur homo tertiarius, hoc tantum probaret majorem antiquitatem hominis, non vero ipsius aeternitatem.

Quod dictum est de homine, dici etiam potest ac debet de caeteris viventibus sive animalibus sive vegetalibus; nam eorum fossilia inveniuntur in terrenis etiam *secundariis* et *primariis*, non autem in terrenis *azoicis;* ergo fuit tempus in quo nullum omnino vivens erat in terra; ergo nullum vivens est aeternum. Nunc vero erit ne licitum aeternitatem tribuere mineralibus? In his enim etiam apparent diversae et successivae formationes, quae initium aliquod necessario postulant, nisi velimus admittere seriem infinitam *a parte ante,* quae omnino repugnat. Et re quidem vera: in his successivis formationibus, praecedens formatio est causa saltem instrumentalis sequentis formationis; jam vero, causa ultima non producit suum effectum, nisi activitatem accipiat a praecedenti: causa haec similiter eget activitate recepta a sua causa praecedenti: ergo ut activitas perveniat ad ultimam usque causam, transire debet per omnes causas praecedentes; sed series infinita causarum numquam pertransiri potest; ergo admittenda est necessario aliqua prima formatio terrae, quae cum Deus non sit, neque est aeterna. (2)

(1) Cons. Liberatore *Inst. Philos. Cosmol.* Cap. I. Art. 4.

(2) Conf. *Summ. Theol.* S. Thomae P. I. q. 2. art. 3.=*Summ. Philos.* Card. Zigliara. *Cosmol.* Lib. I. Cap. III. Art. III.=Urraburu. *Inst. Philos. Cosmol.* Lib. I. Disp. 2.ª Cap. 3.ᵘᵐ Art. II.

Adversarii, admissa creatione mundi, tamen pro aeternitate creationis hoc argumentum proponunt.

Actio creativa Dei est aeterna; ergo effectus seu mundus est etiam aeternus.

Res. Neg. Conseq. Quando relatio causae ad effectum est necessaria, tunc actione supposita effectus ex necessitate naturae sequitur; dum autem relatio causae ad effectum est contingens et libera, tunc ex positione actionis, effectus non sequitur nisi juxta liberam determinationem agentis. Deus autem libere mundum creavit: ergo quamvis actio creativa sit aeterna, tamen suum effectum sortitur juxta liberam determinationem voluntatis divinae.

Inst. Inter actionem creativam et primam existentiam mundi, nullum est intervallum vel duratio quae potuisset transiri; non *tempus*, quia adhuc tempus non erat; non *aeternitas*, quia haec numquam transit; ergo posita actione creativa, mundus statim incepit esse, et idcirco mundus est aeternus, sicut ipsa actio creativa.

Resp. cum S. Thomas Neg. Nam «Deus est prior mundo duratione. Sed *ly prius* non designat prioritatem temporis sed aeternitatis. Vel dicendum quod designat aeternitatem temporis imaginati et non realiter existentis, sicut cum dicimus *supra* coelum nihil est, *ly supra* designat locum imaginatumt antum secundum quod possibile est imaginari dimensionibus coelestis corporis dimensiones alias superaddi.» (1)

Supposita creatione mundi in tempore, quoad possibilitatem creationis ab aeterno, philosophorum variae sunt sententiae; quidam ut S. Thomas, Suarez aliique stant pro possibilitate, saltem quoad *res permanentes;* alii cum S. Bonaventura contrariam tuentur opinionem. (2)

202. Supra innuimus, etiam ex investigationibus geologicis demonstrari mundum non esse aeternum; sed ad hujus probationis pleniorem intelligentiam, haec ex sapientissimo philosopho Urraburu transcribere, opportunum judicavi. «Post extimam globi terrestris partem, quae terra fluvialibusque crassamentis aut vulcanicis ejectionibus coalescit, jacet series plurium stratorum,

(1) *Summ. Theol.*, P. I, q. 46, ad I, ad 8.=Confer etiam Balmes *Filos. Fundam.*, Libr. VII, Cap. X.

(2) Conf. Billuart. *Summ. S. Thom. De op. sex dier.* Dissert. I, Art. VI.=Lege etiam Goudin, *Philos. Thomist. Physic.* P. II, Disp. unica, q. I, art. 3 et 4.

quae alia aliis ordine superposita cernuntur. Strata haec *terrena* vocarunt Geologi, e quibus, quae profundissima sunt, olim *primitiva* appellabantur: succedunt terrena *transitionis*, media inter primitiva et ea, quae *secundaria* dicta sunt. Secundariis superinsident *tertiaria*, tertiariis *quartaria* vel *quaternaria*, quae supra caetera eminent. Divisio haec terrenorum progredientibus geologicis observationibus, derelicta fere nostris diebus est, inque ejus locum alia suffecta respondens periodis temporum *azoicae*, *palaeozoicae*, *mesozoicae* et *quartariae*. Ad aetatem azoicam pertinent terrena primitiva, quae continent graniticarum rupium multitudinem et opera plus minus perfecta crystallizationis, super quae jacent formationes Laurentina (1) et Cambrica (dicta a *Cambria*, regione Angliae, ubi multum abundat ista formatio.) Aetas haec ideo vocatur *azoica*, quia cum nulla reperiantur in imis terrenis primitivis fossilia viventium, jure concluditur illam vitae omnis expertem fuisse, saltem si excipias summas Cambriae formationis straturas, in quibus quaedam prostant organicorum corporum vestigia, ac nominatim trilobitum, seu animalium crustatorum et molluscorum ac zoophyti, cui nomen est factum *Oldhamia*. Palaeozoicae aetati respondent terrena transitionis ex marino sedimine efformata et ab igne modificata, in quibus multi inveniuntur organismi in petram conversi, ab iisque, qui nunc terram ornant, quam maxime diversi. Huc revocantur formationes *silurica*, *devonica*, *carbonica* et *permica*. Silurica, a Silurum insulis in Anglia dicta, continet plurimas marinarum plantarum, fere algarum, exuvias et animalium aquaticorum, quae typum crustaceorum prae se ferunt, ac decem fere millium specierum varietatem exhibent; extare quoque dicunt in eminentiori parte siluricae regionis prima animantium vertebratorum piscium placoidum, vestigia. Devonica formatio, quae a provincia Angliae (Devonshire) ubi haec strata abundant, nomen est sortita, praeter plurimas aquaticas praesertim plantas, tercentos fere piscium species praebet, animalium vero quinque millia, in quibus prima apparent insectorum exempla. Carbonica periodus immania suppeditat crassamenta fossilis carbonis, cujus tantus est nostris temporibus usus: plantarum etiam cryptogamarum vascularium typus deprehenditur. Et quamquam numerus animalium imminutus esse videatur, adest tamen altior amphibiorum typus; adsunt araneae, scorpiones, locustae, scolo-

(1) E. flumine S. Laurentii, in Canadá.

pendri et, ut quibusdam videtur, primi saurii vel reptilia de multiplici genere lacertorum. Permica demum formatio, primum Permiae in Russia inventa, ex animalibus vix continet tercentas species earum, quae in praecedentibus stratis cernuntur: novae tamen speciei exhibet specimen in proterosauro Speneri, qui ad saurios squamatos pertinet. In plantis vero multae filices numerantur, calamitae atque etiam coniferae.

Nova prodeunt magisque perfecta organismorum genera in periodo *mesozoica*, ad quam revocanda videntur terrena secundaria. In hac periodo tres distinguunt Geologi formationes diversas, *triassicam*, *jurassicam* et *cretaceam*. Triassica, quam ideo sic plures appellant, quia in tres alias iterum partes dividunt, mille ac tercentas numerat animalium species, in quibus praecipua sunt conchifera, echimo dermata, batrachii et ingentes saurii et chirotherium. Primae etiam apparent aves primaque mammalia, speciatim marsupialia et brontozoon giganteum. In genere plantarum reperiuntur filices et aliae primaeque monocotyleae. Jurassicae formationes abundant in monte Jura, unde nomen acceperant, et frequentissimae sunt in tota Europa. Multa sauriorum genera praebent haec strata, itemque alia animalia, quorum quinque mille species notae sunt eruditis viris. Cretacea formatio plantas primum fert coniferas cycadeasque, mox etiam ingenten numerum dicotylearum. Animalium autem continet species quinquies mille et quingentas. Quae in hactenus descriptis terrenis cernuntur animalia, a generibus nunc terram incolentibus non parum differunt.

Mesozoicae succedit aetas caenozoica, quasi *novae vitae;* quae molluscorum et mammalium ingentem porrigit copiam plantarumque dicotylearum. Haec continent terrena tertiaria, et in tres alias formationes, *eocaenam* (aetatem novam), quae etiam parisiensis appellata est, *miocaenam* (minus novam), et *pliocaenam* (magis novam) a Geologis dispescitur. Animalium mille et septingentae species numerantur in hac aetate, e quibus copiosiores sunt foramini ferae, eminent tamen inter formas antiquiores mammalia pachydermata et ingens quoddam cetaceum, quod *zenglodon cetoides* dixere. At inter formas recentiores multa prostant reptilia et mammalia, ut mastodon, dinotherium et rhinoceros, atque animalia quaedam equina, suina et cervina itemque simiae. Plantarum quoque magna suppetit copia, in quibus palmae, cypressi, platani, ficus, laurus et cinamomum numerantur.

In hac proinde aetate magnam assecutum est perfectionem utrumque regnum et vegetale et animale. Sub fine caenozoicae periodi tempore, quod quidam vocant *postpliocaenum* vel *pleistocaenum* putant Geologi advenisse tempus glaciale ac magnum aliquod diluvium diversum et anterius Noetico, cui tribui solent variae formationes et effectus, quod vide, si lubet, apud cl. Reusch (La Bible et la Nature, lect. 21, pag. 335 seqq.) Periodus haec postpliocaenica confunditur cum quartaria, quam sequitur, nisi velis cum ipsa identificari, aetas terrae recens, in qua globus terraqueus perfectum ad definitivum, ut ita dicam, apparatum nactus est in plantis et animalibus, ut convenientem generi humano praeberet habitationem et alimenta vestesque ac caetera, quibus eget ad mortalem hanc sustentandam vitam, ac postremum denique complementum accepit a Deo per creationem hominis.» (1)

203. Schema terrenorum et formationum geologicarum.

AETAS	TERRENA	FORMATIONES
Azoica	Primitiva	Laurentina, Cambrica
Palaeozoica	Transitionis	Silurica, Devonica, Carbonica, Permica
Mesozoica	Secundaria	Triassica, Jurassica, Cretacea
Caenozoica	Tertiaria	Eocaena, Miocaena, Pliocaena
Pleistocaena	Quaternaria	Superior, media, inferior
Moderna	Moderna	Tofacea, Alluviana, Detritica, Turbacea

Caput VII

204. Sequentes solvuntur objectiones: Relatio Moysis est falsa: 1.° Quia supponit, mundum spatio sex dierum fuisse formatum, cum tamen hodierna scientia ostenderit, hanc formationem nonnisi longissimis periodis geologicis factam fuisse. Systemata ad explicandos dies genesiacos.—205. 2.° quia Moyses supponit existentiam lucis, ante productionem solis.—206. 3.° quia videtur Moysem proponere solem et lunam ut astra superioris magnitudinis, cum tamen hodie certum sit alia esse astra multo majora.

204. Primam rerum productionem et formationem, sic Moyses describit, Gen. Cap. I et II v. 1-2: «In principio creavit Deus coelum et terram. Terra autem erat inanis et vacua, et

(1) Op. cit. *Cosmol.*, Lib. I, Disp. 2.ª, Cap. 2.um Art. 4.us Conf. *Manual de Arqueol. prehist.* D. Emman. de la Peña, *Geología*.

tenebrae erant super faciem abyssi: et Spiritus Dei ferebatur super aquas. Dixitque Deus: fiat lux. Et facta est lux. Et vidit lucem quod esset bona: Et divisit lucem a tenebris. Appellavitque lucem Diem, et tenebras Noctem: factumque est vespere et mane, dies unus. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: et dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum divisitque aquas quae erant sub firmamento, ab his, quae erant super firmamentum.

Et factum est ita. Vocavitque Deus firmamentum, Coelum; et factum est vespere et mane, dies secundus. Dixit vero Deus: Congregentur aquae, quae sub caelo sunt, in locum unum: et appareat arida. Et factum est ita. Et vocavit Deus aridam, Terram, congregationesque aquarum appellavit Maria. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait: Germinet terra herbam virentem, et facientem semen, et lignum pomiferum faciens fructum juxta genus suum, cujus semen in semetipso, sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem, et facientem semen juxta genus suum, lignumque faciens fructum, et habens unumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere et mane, dies tertius. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento coeli, et illuminent terram. Et factum est ita. Fecitque Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut praeeset diei: et luminare minus, ut praeeset nocti: et stellas. Et posuit eas in firmamento coeli, ut lucerent super terram; Et praeesent diei ac nocti, et dividerent lucem ac tenebras. Et vidit Deus, quod esset bonum. Et factum est vespere et mane, dies quartus. Dixit etiam Deus: Producant aquae reptile animae viventis, et volatile super terram sub firmamento coeli. Creavitque Deus Cete grandia, et omnem animam viventem atque motabilem, quam produxerant aquae in species suas, et omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus, quod esset bonum. Benedixitque eis, dicens: Crescite, et multiplicamini, et replete aquas maris: avesque multiplicentur super terram. Et factum est vespere et mane, dies quintus. Dixit quoque Deus: Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, et reptilia, et bestias terrae secundum species suas. Factumque est ita. Et fecit Deus bestias terrae juxta species suas, et jumenta, et omne reptile terrae in genere suo. Et vidit Deus quod esset bonum. Et ait: Faciamus hominem ad imaginem, et similitudinem nos-

tram: et praesit piscibus maris, et volatilibus coeli, et bestiis, universaeque terrae, omnique reptili, quod movetur in terra. Et creavit Deus hominem ad imaginem suam: ad imaginem Dei creavit illum: masculum et feminam creavit eos. Benedixit, illis Deus, et ait: Crescite, et multiplicamini, et replete terram, et subjicite eam, et dominamini piscibus maris, et volatilibus coeli, et universis animantibus, quae moventur super terram. Dixitque Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam afferentem semen super terram, et universa ligna, quae habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam: Et cunctis animantibus terrae, omnique volucri coeli, et universis quae moventur in terra, et in quibus est anima vivens, ut habeant ad vescendum. Et factum est ita. Viditque Deus cuncta quae fecerat: et erant valde bona. Et factum est vespere et mane, dies sextus. Igitur perfecti sunt coeli et terra, et omnis ornatus eorum. Complevitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: et requievit die septimo ab universo opere, quod patrarat.»

Animadvertendum est, Moysem in Pentateucho non sibi proposuisse finem aliquem cientificum, ac proinde geologorum more productionem rerum exponere: sed finis quem sibi proposuit fuit mere religiosus, et locutus est ita ut a suo populo intelligi posset. Unde relatio Moysis, quamvis scientiae minime opponatur, tamen non secundum scientiae principia, sed secundum vulgarem sensum accipienda est.

Cum Moyses dicat, mundum formatum fuisse spatio sex dierum, varia systemata inventa sunt ad hujusmodi dies explicandos.

1.° Systema idealista, juxta quod dies genesiaci non sunt reales temporis successiones, sed tantum significant ordinem vel diversas periodos quibus Moysi mundi ortus revelatus est. Juxta S. Augustinum, hujusmodi dies sunt totidem cognitiones angelorum: angeli vero dupliciter res cognoscunt: nempe in seipsis per species sibi impressas, et in Verbo per visionem essentiae divinae; et hinc divisio cujuslibet diei in *vespere* et *mane*. *Vespere*, seu cognitio vespertina est illa imperfecta quam angeli per species sibi impressas acquirunt: *mane* autem vel cognitio matutina est illa clarissima rerum cognitio, quam habent angeli ipsum Verbum divinum intuentes.

Juxta Clifford Episc. Clifton. Moyses suo arbitrio divisit opus creationis in sex dies, ut distinctis Dei operibus dies heb-

domadae consecraret, ad modum quo Aegyptii hos dies consecrabant suis Numinibus.

Stoppani et P. Lempl putant narrationem sex dierum esse allegoriam, parabolam aut poesim a Moyse inventam ad hebdomadam instituendam.

P. Hummelauer inquit narrationem sex dierum esse descriptionem non *realis* productionis rerum sed potius revelationis *subjectivae* quam Moyses habuit de tali rerum productione. Nulla est igitur pugna inter cosmogoniam mosaicam et scientias naturales: hae enim de ipsa reali rerum productione agunt, illa autem non nisi de visione prophetica a Moyse habita loquitur. (1)

Systema S. Augustini videtur supponere productionem simultaneam totius mundi. Hanc sententiam docuere, S. Clemens Alex., Origenes, S. Athanasius, S. Basilius, et S. Hilarius: ipsique favent B. Albertus Magnus, et S. Thomas, qui eam habet ut rationabiliorem et magis ab irrisione infidelium sacram Scripturam defendentem; non tamen rejicit sententiam de rerum successiva productione. (2) Juxta Card. Cajetanum, dies genesiaci sunt idem dies septies repetitus.

Fundamenta scripturaria hujus systematis, sunt primus versus Geneseos: «In principio creavit Deus coelum et terram» et v. 1. cap. XVIII, Ecclesiastici: «Qui vivit in aeternum creavit omnia simul.»

Non negamus Deum, de potentia absoluta, potuisse omnia simul producere: sed hoc in primis videtur involvere aliquid superfluum; nam causae secundae, vi propriae activitatis potuerunt alias res successive producere. Praeterea, investigationes geologicae productioni simultaneae rerum contradicunt; nam diversa strata terrae lente et succesive formata sunt: fossilia quae in hujusmodi stratis inveniuntur, absque dubio ad diversa viventia pertinent quae diversis temporibus exstiterunt.

Haec successiva productio rerum, etiam ex his locis Sacrae Scripturae infertur: «Terra autem erat inanis et vacua» (3) «Omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa.» (4) Hanc sententiam secuti sunt, S. Joan.

(1) Vid. *El Exameron y la ciencia moderna*, P. Arintero, pág. 252 et seqq.
(2) Conf. *Summ. Theol.* P. I. q. 74, art. 2.
(3) Gen. I. v. 1.
(4) Sap. XI, v. 18.

Chrysostomus, S. Gregorius M., Naziancenus et maxima pars interpretum.

Demum, Scripturae loca ab adversariis proposita non probant quod ipsi putant: nam primus versus Geneseos compendiose continet rerum productionem, quae sequentibus versibus distinctius explicatur Quod attinet ad locum Ecclesiastici, illud verbum *simul* non refertur ad verbum *creavit*, sed ad *omnia*, ita ut sensus sit: «Qui vivit in aeternum creavit omnia *omnino*, seu absque ulla exceptione.»

Neque admitti potest sententia S. Gregorii Nysseni aliorumque qui asserunt, Deum omnia simul produxisse, non tamen in statu perfecto sed tantum secundum suas rationes seminales.

Si enim hoc verum est ¿quomodo semina illa conservari potuerunt cum terra adhuc esset in statu ignito vel liquido? Neque ad miraculum confugias, quia est omnino superfluum; absque illo enim Deus potuit viventia producere, secundum quod in natura successive apparebant elementa necessaria ad eorum subsistentiam et augmentum.

Fundamentum systematis Clifford, est existentia hebdomadae apud aegyptios, quod tamen falsum est. Nam Sallier, Maury et Biot jam demonstrarunt, omnes populos hebdomadam ab hebraeis accepisse. (1)

Opinio Stoppani et P. Lempl admitti non potest; minime enim concipitur quod primum caput libri historici, ut est Genesis, sit alegoricum, aut poeticum aut mera fabula: hoc enim casu

et etiam modum instrumenta ferrea construendi. Etiam in Mexico quaedam sunt familiae, quae non aliis instrumentis nisi lapideis utuntur. Antiquissimi populi, ut aegyptii a remotissimis temporibus adhibent instrumenta tum metallica tum etiam lapidea, teste aegyptologo Mr. Chabas. Etiam hebraei utebantur cultello lapideo ad circumcisionem. Ex investigationibus in Gallia factis, infertur, etiam romanos simul adhibuisse instrumenta lapidea, aenea et ferrea.

Demum, ut ait Mr. Schlieman strata (capas) aetatis lapideae profundiora esse deberent quam alia omnia: hoc tamen non contingit; sed e contra signa civilizationis, in quibusdam locis, eo insigniora sunt, quo profundiora strata introspiciuntur.

Falsa est igitur doctrina rationalistarum, juxta quam omnes populi successive transierunt per aetatem petream, aeneam et ferream, quarum unaquaeque ingentem numerum saeculorum supponit.

5.° Demum rationalistae, ad aetatem hominis indefinite protendendum, adducunt chronologias antiquorum populorum, et praesertim Aegypti. Populi qui majorem sibi antiquitatem tribuunt sunt Chaldaei, Indi, Sinenses et Aegyptii. Sed ut videbimus, omnes hae chronologiae, mytologicae sunt, ideoque nullius roboris.

Et 1.° Juxta fragmenta Berosi, chaldaei sibi attribuunt antiquitatem 500.000 annorum. Ante diluvium fuerunt decem reges, qui regnaverunt 432.000 annos: post diluvium extiterunt octoginta et quatuor reges, qui regnaverunt 33.091: sed omnia haec fabulosa sunt, eaque derident Cicero et alii tum graeci tum romani. Laplace ostendit observationes astronomicas chaldaeorum non assurgere plus quam 800 annos ant. Christum Cylindrus Nabonidis, regis Babyloniae, anno 1882 inventus, assignat imperio vel dominatui regis Naram-Sim annum 3.500 ant. Chr., et asserit babylonios cognovisse diluvium 4.000 annis ant. Chr.: sed fundamenta hujusmodi supputationum nullibi apparent. Ergo vera chronologia chaldaea initium sumpsit ab imperio Nabonasar, 747 ann. ant. Chr. (1)

(1) Ad rem: De la Peña «Acerca del origen de estos pueblos (Chaldaei) que blasonan como los egipcios, chinos é indios de una antigüedad fabulosa, marchan de acuerdo la historia bíblica y la etnografía moderna. El *Génesis* nos refiere «que los hombres, no teniendo más que una lengua y un lenguaje, y habiendo salido del Oriente, hallaron un campo en el pais

India etiam sibi vindicat antiquitatem plurium milliorum annorum: sed omnes orientalistae, hanc chronologiam rejiciunt ut absurdam et ridiculam, et ajunt initium historiae Indiae non esse anterius saeculo XII ant. Chr., et idcircos Indos fuisse coaevos Abrahae. Habent Indi, *Librum scientiarum (Surga Sid hanta)* cui tribuunt milliones annorum: sed observationes astronomicae quas continet non sunt anteriores saeculo XII, vel ad summum XVI ant. Chr. Indorum sacri libri, nempe Vedae sunt ad summum saeculi XV ant. Chr. Leges vero Manu, vel *Manarva-Dharma-Lastra* saeculi X vel XI ant Chr. sunt. (1)

3.° *Sinenses* putant suum populum 3.270.000 annos aetatis habere. Fundamentum unicum antiquitatis Sinensium est Chou-King, a Confucio conscriptum. Incipit ab historia Yao, qui vixit anno 2.557 ant. Chr.: caetera vero omnia antiquiora quae ipsis Sinenses addunt falsa et ridicula sunt.

Haec historia magnam fidem non meretur, cum scripta

---

de Sennaar y moraron en él» (Gen XI, v. I, 2). En el seno de aquella población, que cubrió el suelo de Babilonia y Caldea después del diluvio, formáronse bien pronto dos elementos principales, dos grandes naciones, los *Sumer* y los *Amed*. La primera de dichas poblaciones era de raza turaniana, la segunda de raza kuschita, los turanianos introdujeron en Babilonia y en la Siria el singular sistema de escritura cuneiforme. «De Kus, dice el *Génesis*, nació Nemrod El origen de su imperio fué Babel, Erec, Accad, y Chalanna, en el país de Sennaar. De este país salió Asur, que edificó á Ninive y Calach » Tal es el relato bíblico, bien claro y preciso por cierto: después nada sabemos á punto fijo de la historia de los príncipes sucesores de Nemrod, ni de los primitivos tiempos de la Asiria. De estas leves indicaciones históricas sugeridas por la Biblia y la Geografía etnográfica colígese que la cronología caldea está calcada esencialmente en la narración mosaica y que su duración y antigüedad dependen de las fechas y épocas de la cronología vulgar.» Op. saep. cit. P. Apol. cap. Art. X.

(1) Ad rem C. Cantú: «Las *calpas* son las edades del mundo: ha multiplicado su duración la imaginación de los indios de una manera desmesurada, como si obligada á responder acerca de los grandes problemas del origen de las cosas y de la causa del mal, hubiera querido alejarlo con un intérvalo incalculable. Consta el año humano de los indios de 360 días; el de los dioses consta de 360 años humanos: de consiguiente, la vida de cada dios es de 12.000 años y equivale á 4.520.000 de los años nuestros. Tan inmenso número de años no forma mas que un día de Brama; calcúlese, pues, de cuantos días consta un año. Cada edad del mundo es la vida de un dios, es decir, 12.000 años divinos. Se divide en cuatro *yugas* ó épocas durante las cuales el espíritu creador se aleja cada vez más de su energía primitiva.» Hist. Univ. Lib. II. Cap. XI.

sit a Confucio qui vixit saeculo V vel VI, id est 2.000 ann. post Yao.

Praeterea saeculo II ant. Chr. Chou-King sicut et omnes libri sinensium destructae sunt jussu cujusdam regis: sed anno 57 ant. Chr. quidam senes sinensis, qui memoriter retinebat omnia quae in Chou-King continebantur, restauravit ipsum. ¡En fundamentum chronologiae sinensium! Juxta Abel Remusat, teste Vigouroux historia imperii Sinensium incipit anno 2367 ant. Chr.

4.° *Aegyptii* agnoscunt quatuor dynastias: prima deorum primi ordinis; secunda deorum secundi ordinis vel heroum: tertia semi-deorum, et quarta hominum seu humana. Dii regnaverunt 13.900 annis, et semidii 4.000 annis. Ut evidens est, hujusmodi dynastiae sunt mithologicae ideoque et rejiciendae. Primus humanae dynastiae fundator fuit Menes rex Tis vel Abidos. Chronologia Aegypti habet pro fundamento tabellas Manethonis, sacerdotis Aegyptii, saeculi III ant. Chr. quae tabellae diversimode inveniuntur apud Josephum, Julium Africanum, Eusebium, et papyrum taurinensem.

Rennan aliique rationalistae, magnam his tabulis auctoritatem concedunt. Sed recenriores et sapientiores aegypthologi ipsis omnem auctoritatem negant quoad dynastias mytologicas quas continent: quoad dynastias humanas, quarum summa durationis constituit chronologiam Aegypti, putant probabiliter aliquas dynastias fuisse simultaneas. Hoc videtur aliquo modo innuere quod dynastiae designentur a suo origine, ut *Thebana*, *sahidica* etc.; ex quo probabiliter infertur, bella civilia seu intestina extitisse, vi quorum quandoque unus Rex dominabatur in toto Aegypto, sed non numquam, diversae provinciae proprios habebant reges.

Praeterea ex ipsis tabulis Manethonis infertur aliquas dynastias fuisse syncronas seu simultaneas. Nam juxta Manethon, a Rege Menes usque ad invasionem pastorum transierunt 2.800 anni: haec invasio probabiliter locum habuit anno 2.200 ant J. C.: unde a Menes usque ad Alexandrum M. transierunt 4.700 anni: et tamen juxta Manethon non sunt nisi 3.550 anni; ergo videtur innuere aliquas dynastias fuisse simultaneas. Sed etiam si admittatur a Menes ad Alexandrum transiisse 4.700 annos, et usque ac J. C. 5.000, facile conciliatur hic numerus annorum cum chronologia biblica, praesertim secundum textum Samaritanum et Alexandrinum.

Demum historiae profanae diversis epochis assignant imperium Menes: nam juxta Heune, regnavit anno 6.467 ant. J. C.; et juxta Palmer Menes regnavit anno 2.224 ant. J. C. Ex quo infertur chronologiam Aegypti esse valde incertam. (1) Juxta Laplace, observationes astronomicas aegypti non sunt anteriores saeculo VIII ant J. C.

223. In quadam expeditione a gallis facta in Aegyptum, invenerunt in templis Denderah et Esne duos zodiacos, in quibus constellationes ita erant dispositae, ut repraesentarent statum coeli, qualis erat anno 7000 ant. J. C; et juxta Dupuis anno 20.000 ant. J. C. Sed adsportato zodiaco Denderah in Lutaetiam Parissiorum, demonstravit Biot, talem zodiacum repraesentasse statum coeli anno 700 ant. J. C. Praeterea examini subjecti sunt zodiaci non modo sub adspectu astronomico sed etiam archaeologico: praeterea Champollion interpretatus est inscriptiones hieroglyphicas graecas templorum Denderah et Esne, et ex his omnibus observationibus deduxerunt, illa templa structa fuisse sub dominatione Romanorum; porticum unius eorum dicatum esse imperatori Tiberio, et ipsum zodiacum hoc titulum secum tullise *autocreator*, quod Neroni tribuitur.

Caput XIII

224. Loca illa Pentateuchi in quibus agitur: 1.° de formatione mulieris, 2.° de serpente tentatore: 3.° de gigantibus: 4.° de longevitate Patriarcharum: 5.° de lege á Deo scripta et Moysi tradita in monte Sinai: 6.° de Deo loquente in rubo ignito: 7.° De plagis Aegypti: 8.° de transitu maris Rubri, aliaque similia exponuntur, simulque ostenditur quaenam metaphorice, quaenam vero litteraliter accipienda sint.

224. Rationalistae ad labefactandam auctoritatem divinam et historicam Pentateuchi, asserunt in hoc libro plura contineri absurda et ridicula, quae nec a Deo inspirari, nec reipsa fieri potuerunt.

(1) "Venerable es por su antigüedad, ait cl. J. Mir, la civilización egipcia; las pirámides anteriores á Moises, tal vez al patriarca Abraham, pregonan á voces lo remoto de su infancia, y dán motivo á los egiptólogos para exigir gran número de años antes de la existencia del pueblo de Israel: mas ni la paleontología, ni la arqueología prehistórica ofrecen modo seguro como fijar la antigüedad de su origen. *La Creación*, XLV. Art 3.

Et 1.° quidem ipsis videtur absurdum et ridiculum, quod corpus mulieris formatum fuerit ex una ex costis Adam.

Moyses dicit: «Immissit erg› Dominus Deus soporem in Adam: cumque obdormisset, tulit unam de costis ejus, ex replevit carnem pro ea. Et aedificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem: et adduxit eam ad Adam. Dixitque Adam: Hoc nunc, os ex ossibus meis, et caro de carne mea: haec vocabitur Virago, quoniam de viro sumpta est.» (1) Cajetanus putat hunc locum inteligendem esse metaphorice, quod si verum esset, tunc certe nihil absurdi invenire possent in ipso rationalistae. Sed praedictum locum litteraliter accipiendum esse constat: 1.° quia secus Adam dicere non potuisset: «Hoc nunc os ex ossibus meis etc.»

Id ipsum probatur ex aliis Scripturae locis: nam Eccli. XVII, historiam referens formationis viri ex mulieris, dicit «Creavit ex ipso (homine) adjutorium simile sibi.» Et, Apost. Act. XVII, ait: «Deus fecit ex uno genus hominum», quod falsum esset, si Eva non esset ex Adamo.

Hunc textum etiam litteraliter acceperunt Patres, ut S. Ambrosius, S. Augustinus, Hieronymus et omnes alii (2)

Cajetanus sic argumentatur: vel illa costa ex qua Eva dicitur formata erat necessaria Adamo vel superflua; si primum, ea sublata Adamus mansit mutilus; sin alterum, ergo ante subtractionem Adamus erat monstrum.

Respondet S. Thomas, costam illam fuisse homini necessariam, non prout erat individuum particulare, sed prout erat caput totius humanitatis; sicut semen est necessarium non quatenus est aliquod individuum particulare sed quatenus est principium generationis; sicut ergo, homo non est monstrum ex semine, nec mutilus ex ejus substractione, sic Adamus nec monstrum erat ex illa costa, nec mutilus ex ejus defectu. (3)

Etiamsi supponatur illam costam fuisse Adamo absolute necessariam, non tamen mansit mutilus, quia Deus loco illius aliam posuit.

---

(1) Gen. Cap. II. v. 21 ad 23.

(2) Inter alios S. Hieronymus ait: «credit quispiam, in conditorem Deum: non potest credere, nisi prius crediderit de sanctis ejus vera esse quae scripta sunt: Adam a Deo plasmatum, Evam ex costa illius fabricatam etc.» *In Comment. Epist.-ad Philem.*

(3) Summ. Theol. P. I. Q. XCII. art. 3. ad 3.^{um}

Nunc vero, si praedictus textus litteraliter accipiatur ¿sequiturne aliquod absurdum vel ridiculum? minime gentium; non absurdum, quia res in se intrinsece possibilis est supposita utique, additione novae materiae; et praeterea Deus est omnipotens. Ex alia parte hujusmodi formatio corporis non est ridicula, sed valde significativa: mulier enim non est facta ex capite viri, ne dominetur; nec ex pedibus, ne serviret; sed ex latere ut sit adjutorium charissimum viri. (1)

2.° Neque minus absurdum et ridiculum videtur quod scribit Moyses de serpente tentatore, rationalistis.

Cajetanus haec intelligit metaphorice, et dicit diabolum tentasse mulierem per solam suggestionem interiorem, ut cum nos tentare solet.

Sed hunc textum litteraliter accipiendum eese, et ideo Evam tentatam fuisse a diabolo per verum serpentem, probatur 1.° ex Sacra Scriptura: nam legitur Gen. III. 1, «Sed et serpens erat callidior cunctis animantibus terrae.» ubi comparatio instituitur cum veris animalibus. Ejusdem capitis v. 14. legitur: «Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animantia et bestias terrae; super pectus tuum gradieris, et terram comedes cunctis diebus vitae tuae,» ubi tum comparatio cum animantibus et bestiis terrae, tum poena imposita, satis denotant agi de vero serpente.

S. Augustinus ait: «Locutus est serpens mulieri, sicut asina, in qua sedebat Balaam locuta est homini, nisi quod illud fuit diabolicum, hoc Angelicum.» (2)

Id ipsum probant traditiones populorum (3)

Neque ullum est inconveniens in hoc quod diabolus moveret organa serpentis, et aliqua verba proferret, sicut fecit Angelus bonus per asinam.

---

(1) Conf. S. Aug. *Lib 12 de Civit Dei*, cap. 16.=*Summ. Theol* S. Thomae P. I. Loc. sup. cit.=Lege *El Exameron* etc. P. Arintero, pág. 200 et seqq.

(2) *De Genes. ad lit.* Lib. II. cap. 29.

(3) Audiatur cl. Valbuena: «Lo referido por los historiadores (circa cultum serpentis) está confirmado por los descubrimientos modernos. «El símbolo *Cnophis*, escribe Champolliou, ó el alma del mundo, se presenta bajo la forma de una serpiente con piernas humanas; y este reptil, emblema del *buen genio*, el verdadero Agathodemon, es con frecuencia barbudo. Al lado de esta serpiente los monumentos egipcios llevan la siguiente inscripción: *Dios grande, Dios supremo, Dios de la religión superior.*» «En las orgías solemnes hechas en honor de Baco, dice Clemente de Alejandría,

Mirum quidem videtur quod Eva ad locutionem serpentis non exhorruisset et statim fugisset. Sed notandum est, tunc omnia animalia hominibus subjecta esse, neque nocere potuisse. Revera cum Eva audivit serpentem loquentem et dicentem contrarium huic quod ipsis dixerat Deus, Eva debuit se abstinere a colloquio: quia vero non fecit, ideo, aliquo modo incepit peccare. (1)

3.° Gen. Cap. VI. v. 4 legitur; «Gigantes autem erant super terram in diebus illis: postquam enim ingressi sunt filii Dei ad filias hominum, illaeque genuerunt, isti sunt potentes á saeculo viri famosi.»

Nomine filiorum Dei, quidam intellexerunt Angelos Dei, sed hoc est contra illam Christi sententiam: «Neque nubent, neque nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.» (2) Alii, ut S. Iraeneus putant fuisse Angelos malos: sed angeli mali numquam vocantur filii Dei. Unde juxta communem et veriorem opinionem, filii Dei sunt *filii Seth*, qui Deo servierant sicut et pater eorum: filiae vero hominum sunt *filiae Cain*, perversae et infideles ut earum pater, ex quarum vetito conjugio cum filiis Seth nati sunt gigantes, id est homines potentes et famosi ob sua latrocinia et crimina; hoc enim significat vox *nephilim*.— Nec ullum est inconveniens in hoc quod nomine gigantum intelligamus homines mirae magnitudinis corporalis; nam eorum existentiam testantur, tum Sacra Scriptura, ubi agit de terrore exploratorum terrae promissionis, qui in comparatione incolarum hujus terrae se videbantur esse quasi locustae; et ubi refert mortem Goliath; tum etiam historia profana. S. Augustinus ait; «De Gigantibus, id est, nimium grandibus atque fortibus, puto non esse mirandum, quod ex hominibus nasci potuerint, quia et post diluvium tales fuisse reperiuntur; et quaedam corpora hominum ad incredibilem modum ingentia nostris quoque

---

los sacerdotes, que parecen agitados por un estro furioso, se rasgan las carnes, y *coronados de serpientes* llaman á *Eva* con grandes gritos, á Eva que fué la primera en abrir la puerta al error. Ahora bien; el objeto particular de los cultos báquicos es una *serpiente* consagrada por ritos secretos. Si ahora quereis saber la verdadera significación de la palabra *Eva* encontrareis, que pronunciada con fuerte aspiración *Heva*, significa *serpiente hembra.*» *Egipto y Asiria* etc. P. I. Lib. I. Cap. II. Art. II.

(1) Lege Wouters, *Dilucidationes* etc. in Gen. Cap. III. Quaest. I.

(2) Matth. XXII, 30.

temporibus extiterunt, non solum virorum, verum etiam feminarum.» (1)

4.° Incredulis etiam impossibilis videtur longaevitas patriarcharum. Revera aetas primorum patriarcharum fuit extraordinaria: dicit enim Moyses: «Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nongenti triginta, et mortuus est.... Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni... Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, et mortuus est... Et facti sunt omnes dies Mathusala nongenti sexaginta novem anni, et mortuus est.» (2)

Diversae causae huic longeavitati locum dederunt. nam in primis, cum tunc polygamia esset prohibita, fuit voluntas Dei, ut ad propagationem humani generis, longior esset duratio hominum. Praeterea status atmosphaericus qui procul dubio purior erat quam nostris hisce temporibus, vita campestris seu agricola, quae non parum corporali saluti favet, et aliae cir-

(1) In Gen. Q. 3.= Ad rem Valbuena: «Los gigantes desempeñan un gran papel en la mitología de las Indias, de la China, de la Grecia, del Egipto y en general en todas las mitologías antiguas, lo mismo que en las tradiciones de los pueblos del Norte. Además, todas ellas están conformes en las cualidades que atribuyen á los gigantes. Todas nos los presentan como hombres malvados y de formas extraordinarias y desproporcionadas, que sucumbieron en la lucha emprendida contra los dioses. Esta concordancia, dice con razón Moigno, es tanto más extraordinaria, atendido que los hombres de elevada estatura son por lo común amables y dóciles en dejarse gobernar.—En el capítulo XIII de los Números se lee la exploración hecha en la tierra de Canaán por los enviados de Moyses desde el desierto, la cuenta que dieron de su comisión los exploradores, quienes «vinieron á Moisés y Aaron y á todo el pueblo de los hijos de Israel al desierto de Pharan, que está en Cades. Y habláronles y á todo el pueblo mostraron los frutos de la tierra, y les contaron diciendo. Hemos venido de la tierra á donde nos enviasteis..... pero tiene unos habitantes fortísimos y ciudades grandes y muradas; allí vimos la estirpe de Enac..... Allí vimos ciertos monstruos de los hijos de Enac, de la raza de los gigantes, con los cuales comparados nosotros parecíamos langostas.» Como se ve en este pasaje, había una raza de gigantes en la Palestina cuando arribaron á ella los hebreos. Moises solo los llama *Nephilim*; los demás escritores sagrados les dán el nombre de *Rephaim*, y aún en el mismo legislador hebreo les hace conocer por ese nombre en el capítulo XIV del Génesis, donde cuenta la victoria de los reyes coligados con Chodorlahomor contra los Rephaim en Astaroth-Carnaim; y en el capítulo siguiente promete Dios á Abraham la tierra de los Hebreos y también la de Rephaim.» Op. saepe cit P. I. Lib. II. Cap. III. Art. II.

(2) Gen. Cap. V.

cumstantiae nobis ignotae, causam fuere hujusmodi extraordinariae longaevitatis.

Neque in historia profana desunt documenta quae hanc longaevitatem verissimilem faciant. (1)

Ad hujusmodi longaevitatem negandam, quidam dixerunt, annos patriarcharum non fuisse sicut sunt anni nostri, sed unumquemque annum unum tantum mensem habuisse; sed hoc minime admitti potest; tunc enim Henoch ex. gr. genuisset filium, cum adhuc non haberet nisi sexaginta et quinque menses, id est, quinque annos et aliquid amplius.

5.° Exodi Cap. XXXI, legitur, Dominum dedisse Moysi, duas tabulas lapideas, scriptas digito Dei.

Qui existentiam Dei, ipsiusque extraordinariam providentiam agnoverit, nihil impossibilitatis in hoc facto videbit. Certum est Deum digitos non habere; sed neque minus certum est Ipsum per se facere posse in tabulis cujuscumque generis sint, quod nos ope digitorum facimus. Igitur haec verba ex parte Dei metaphorice intelligenda sunt; litteraliter vero ex parte effectus.

Sed fortasse quis dicet: ¿Cur Deus Legem in tabulis scripsit, cum jam scripta fuerit in cordibus hominum vi Legis naturalis.

Respondebo cum S. Augustino, «ne sibi homines aliquid defuisse quererentur, scriptum est et in tabulis, quod in cordibus non legebant, non enim et scriptum non habebant, sed legere nolebant... quia homines appetentes ea quae foris sunt, etiam a se ipsis exules facti sunt, data est etiam scripta lex, non quia in cordibus scripta non erat, sed quia tu fugitivus eras cordis tui.» (2)

6.° Exod cap. III, v. 2. legimus: «Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi: et videbat quod rubus arderet, et non combureretur.»

Admissa Dei omnipotentia, nec est impossibile Ipsum Moysi apparuisse sub specie corporali, neque rubum incombustum permansisse: haec non nisi atheus vel deista negabit.

Sed juxta interpretationem catholicorum, non ipse Deus

---

(1) Lege op. *Egipto y Asiria* etc. Valbuena. P. I. Lib. II. Cap. III. Art. I.

(2) *In. Psal.* LVII.

apparuit, sed aliquis Angelus, ut ex textu hebraeo, chaldaeo, et graeco LXX infertur. Hoc tamen, meo saltem judicio, auctoritatem scripturariam S. Hieronymi labefactat, juxta lectionem Vulgatae; nec ullam invenio necessitatem admittendi interventionem angelicam; quia si angelus sub corporali specie apparere potest, hoc minime Deo negandum est.

Tamen communis est theologorum sententia omnes Dei apparitiones de quibus mentio fit in Veteri Testamento factas fuisse per Angelos. (1)

Juxta hanc sententiam, si quis argueret, illum qui apparuit in rubo, sese Deum vocasse, dicens: «Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham etc.» dicendum foret, Angelum locutum fuisse nomine Dei.

Si autem quaeras, ¿quomodo rubus arderet, et tamen non combureretur?

Respondebo cum Wouters: 1.° Non posse dici, rubum non fuisse combustum, quasi hic fuisset mera apparentia: nam verum fuisse ignem, suadetur hac duplici ratione. 1.ª Quia alias deceptus fuisset Moyses, putans verum esse ignem; 2.ª Non fuisse miraculum, si simulatus vel larvatus ignis rubum combussisset: quinimo potius miraculum fuisset, si illum combussisset. Itaque Resp. 2.° Rubus non comburebatur, quia hic ignis rubo contiguus, ita proxime ramos et folia ejus ambiebat, ut rubus quidem flammas vomere videretur, sed tamen rubum non pervadebat, ut a parte rei esset ignitus: unde quod dicitur *et videbat quod rubus arderet, et non combureretur*, non propterea dicitur quod proprie arderet rubus, sed quod quisquis eum vidisset, ardere dixisset: Scriptura enim de Phaenomenis rebusque apparentibus loquitur, prout homines de his vulgo censent et loquuntur: concurrebatque Deus cum hoc igne, ul luceret seseque diffunderet, sed in ordine ad combustionem rubi, concursum suum substrahebat, ut in camino Babylonico postea contigit. Quamvis ergo rubus flammis circumdaretur, magno tamen Dei miraculo non comburebatur, (2)

7.° Relatio plagarum Aegypti habetur in Exodo a cap. VII ad XI.

Hujusmodi plagae vera fuerunt miracula, quae nemo ne-

(1) Conf. *Sum. Theol.* S. Thom. P. I. Q. LI. art. 2.
(2) *Sum. Theol.* P. I. Q. CXIV, art. 4.

BIBLIOTECA PROVINCIAL VALENCIA

gabit qui Dei omnipotentiam, ejusque erga populum hebraicum specialem providentiam agnoscat.

Juxta rationalistas, haec phaenomena sunt mere naturalia, cum ea fecerint etiam magi Pharaonis.

Certum est magos Pharaonis aliqua phaenomena plagis vere vel apparenter similia fecisse. Dico *vere vel apparenter* quia non defuerunt Patres, ut S. Justinus, Tertullianus, et S. Hieronymus qui dixerunt talia phaenomena fuisse tantum apparentia, seu magos praestigiis suis illusisse oculis spectantium. Sed verior est opinio S. Augustini et Sti. Thomae, docentium illa phaenomena vera et realia fuisse. (1) Sed magi non omnes plagas imitari potuerunt, ut contigit in plaga sciniphum: insuper non fuit in ejus potestate, ranas expellere ut fecit Moyses. Demum scimus serpentem in quem transformata fuit virga Moysis devorasse serpentes in quos conversae sunt virgae magorum; quod factum est ut ostenderetur, Deum non permittere diabolo, ut talia mira faciat, quae homines necessario inducant in errorem. (1)

---

(1) Doctissimus Valbuena, disserte et sapienter loquitur de plagis, contra rationalistas. Specciminis gratia, hac de prima plaga transcribo: «Era al fin de una noche larga y pesada, (loquitur Osburn) al menos en mi juicio. En el momento en que me levantaba de un sofá, sobre el que en vano había intentado dormirme, á bordo de nuestra góndola, sorprendida por la calma á lo largo de Benisiief, ciudad del Alto Egipto, el sol asomaba la parte superior de su disco por cima de la cordillera arábiga. Quedé sorprendido al ver que en el instante en que los rayos hirieron la superficie de las aguas, un reflejo de un rojo profundo se produjo en el momento. La intensidad del tono no cesó de aumentar con la intensidad de la luz, y aún antes de que el disco solar se desprendiera por completo de las colinas, el Nilo ofrecía el aspecto de un río de sangre. Sospechando alguna ilusión, me levanté apresuradamente, é inclinándome sobre el bordaje, me confirmó lo que veía en mi primera impresión. La masa entera de las aguas era opaca, de un rojo obscuro y más semejante á sangre que á otra materia con que la hubiera podido comparar. Al mismo tiempo observé que el río había crecido algunas pulgadas durante la noche, y los árabes me explicaron que aquello era el *Nilo rojo*..... Nunca el agua de aquel río es más sana, más deliciosa y más refrescante que mientras dura la inundación..... Un vaso de agua sacado entonces por mi del río y puesto en reposo por algún tiempo, me dió los siguientes resultados: la parte superior del líquido siguió perfectamente opaca y de color de sangre, mientras que un precipitado de cieno llenaba la cuarta parte aproximada del vaso. No falta entre los modernos quien atribuya aquella coloración á las materias terrosas, arrastradas por el río á su paso por Sennaar, mientras que Ehremberg,

8.° Moyses refert transitum Maris Rubri, Cap. XIV, Exodi. Hic transitus procul dubio miraculosus est, et hac tantum de causa ipsum rejiciunt rationalistae; sed prius ostendere deberent impossibilitatem miraculi.

Causa principalis hujus miraculi fuit Deus; instrumentalis vero Moyses, qui «cum extendisset manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi et urente, et vertit siccum.» Quidam tenent ventum immisum fuisse a Deo ad alveum maris lutosum exsicandum. Sed quidam putant, ventum fuisse etiam causam instrumentalem, vel etiam principalem, ut rationalistis placet, suspensionis aquarum. Sed nulla harum opinionum admitti potest: si enim tanta fuit vehementia venti, ut immensas aquarum moles suspenderet, ¿quomodo huic vento vehementi resistere potuerunt hebraei qui per medium maris transierunt? ¿Nonne et hoc est majus miraculum quam ipsa aquarum divisio et suspensio? (1)

---

después de examinar el agua de la inundación por medio del microscopio, asegura que el color rojo procede de ciertos infusorios, en número prodigioso que en ella se forman y desarrollan..... Sentado lo cual, no es difícil, comparando ambos casos, demostrar la insubsistencia de la teoría racionalista. Para ello basta ir comparando los distintos hechos referidos por Moyses, que se refieren á la conversión del agua en sangre, con los que hemos visto relativos al *Nilo rojo*. Este fenómeno tiene lugar en el mes de Julio, mientras que el milagro de la conversión del agua, según consta del Exodo, se verificó hacia mediados de Febrero, época en que jamás crece el Nilo ni se enrojecen sus aguas..... Además de ésto, las cualidades del agua enrojecida por el arrastre de materias terrosas en las avenidas del Nilo y las de este mismo río á consecuencia del contacto de la vara de Moises, son enteramente opuestas; pues aquéllas más parecido tenían con lo que hemos dicho del *Nilo verde* que con lo que sabemos del rojo, cuyas aguas, según el testimonio de Osburn, son de una frescura y gusto encantadores. Las aguas del Nilo rojo no matan los peces ni les perjudican, como aconteció en tiempo de Menephtah (Pharao): verificándose entonces otro fenómeno, que tampoco tiene lugar en las crecidas ordinarias del río de Egipto. Fué la conversión en sangre, no solamente de las aguas del Nilo y de los depósitos que con él comunicaban y de él las recibían, sino también de otros que existían sin comunicación, tales como los estanques, los pozos y los depósitos que tenían en su casa los egipcios para el servicio de las mismas: hasta la que había en los cántaros y cubos fué alcanzada por la maldición.» Op. saep. cit. Lib. IV. Cap. I. Art. V.

(1) Clarissimus Valbuena, hanc quaestionem proponit: ¿Num transitus maris Rubri fuerit naturalis an miraculosus? Et sic ipsam resolvit: «Dos son los sistemas favoritos de los racionalistas para explicar el paso del mar Rojo, sin necesidad de hacer intervenir el milagro: el primero consiste en decir que

Caput XIV

De libro Josue.

PARS CRITICA

225. Notitiae biographicae Josue.—Duplex ejus missio.—226. Idea generalis hujus libri.—227. Ejus unitas et distinctio a Pentateucho —228. Ostenditur 1.° auctorem hujus libri fuisse Josue coaevum. - 229. 2.° Hunc auctorem fuisse probabiliter ipsum Josue.—230. Fides seu auctoritas historica hujus libri.

225. Josue, fuit filius Nun, ex tribu Ephraim: graeci ipsum vocant *Jesum filium Nave*. Ante mortem Moysis vocabatur Oseas: sed post mortem primi Legislatoris Israel electus est a Deo ut esset dux populi, et in signum hujus electionis mutavit ejus nomen Oseas in Josua vel Josue.

---

los israelitas, conocedores como nadie de las mareas, se aprovecharon del reflujo para hacer su camino desde la parte africana á la asiática, y que cuando los egipcios, ó ignorantes de la hora del reflujo, ó cegados por la ira y la codicia del botín que esperaban, se lanzaron en persecución de los fugitivos, comenzó la marea alta y las aguas les envolvieron. La otra explicación, partiendo de los vados que existen en el Golfo de Suez á su extremidad norte, supone que Moises conocía perfectamente estos vados; y con suma habilidad, aprovechando el viento de poniente que soplaba aquella noche, hizo vadear al pueblo la parte estrecha del Golfo: y este hecho sencillo, poetizado después por la fantasía popular, dió origen á la fábula del paso por en medio de las olas que se abrieron, dejando un camino seco en medio del mar.—Examinemos separadamente las dos hipótesis, empezando por la que supone que los hebreos pasaron durante la marea baja y los egipcios entraron en el mar cuando comenzó el flujo, por lo cual se ahogaron. Vemos desde luego, sin necesidad de gafas, que esta hipótesis es contraria al texto, es imposible y además no explica el hecho de ningún modo, produciendo dificultades á que no hay medio hábil de contestar. En las mareas el mar no se divide, ni tienen nunca lugar en medio del mar, sino á las orillas, retirándose las aguas hacia adentro y volviendo á subir y ocupar la parte de costa que había quedado en seco..... Sin embargo, los israelitas pasaron, no por la orilla, como se supone, sino por el medio del mar, que había quedado sin agua. Luego no pudo ser debido este fenómeno á la marea, sino á otra causa. Evidentemente, pues, la teoría de las mareas es opuesta al texto del Exodo. Más aunque no fuera, no lo sería menos inadmisible. Toda hipótesis que se opone á las leyes comunes, debe considerarse fuera de la posibilidad, porque claro está que no solamente hemos de atenernos á la posibilidad metafísica y física, como se explican los filósofos, sino también á la moral. Ahora bien: la teoría que pretende explicar el paso del mar Rojo por los flujos y reflujos de las aguas, quiere hacernos deglutir un imposible moral, y aún mejor, muchos imposibles.

Post exitum de Aegypto, fuit semper minister fidelissimus Moysis. Ipse duxerat exercitum hebraicum cum amalaecitae victi sunt: ipse cum Caleb, fuit unus ex exploratoribus terrae promissionis, qui non sicut alii terga verterunt, propter quod meruit hanc promissionis terram ingredi.

Porque imposible es que los egipcios no supieran el tiempo en que se verificaba el flujo y el reflujo, viviendo á orillas del mar y teniendo marinos expertos, cuyos conocimientos más rudimentarios son los que se refieren á las mareas; y era necesario que ignoraran por completo aquellos fenómenos conocidos de todos los habitantes de las playas, para que fueran á entrar en el mar persiguiendo á los hebreos al tiempo de la marea alta. Y aunque por un imposible hubiera esto sucedido, seguiríase otro imposible mayor, que es la muerte de todo el ejército, ahogado por el agua ¿Pues qué? ¿Eran menos los egipcios? ¿Se comprende que cuando vieron crecer la marea no se retiraran hacia fuera, como haríamos todos en igual caso? Para que el crecimiento de la marea hubiera podido ahogar á todo el ejército de Faraón, era preciso que el Golfo Arábigo estuviera limitado al norte por una montaña, en cuya base se detuvieran las olas en la alta marea. Entonces cabía que no hubieran podido huir los soldados egipcios, impedidos por las rocas de la costa. Pero sucede todo lo contrario: pues ya hemos dicho que la punta norte del Golfo está limitada por un extensísimo arenal hasta la trinchera de Chaluf, que la separa de la concavidad formada por los lagos amargos. ¿En qué cabeza cabe pensar que los soldados egipcios, viendo que las aguas avanzaban hacia el norte, no se retiraran al arenal, huyendo de la invasión marina? Se comprende que algunos de los que llevaban la derecha perecieran: ¿pero los demás? Este si que sería un milagro inexplicable. ¿Cómo pereció, pues, el ejército de Menephtat....? La teoría de las mareas no lo explica: lo que hace es complicar más el asunto, y dejarnos más á obscuras respecto á lo que buscábamos, que era el modo del tránsito..... Existía, pues, antes de la apertura del canal de Suez, un vado practicable en el extremo norte del Golfo; no hay porqué negarlo y nos complacemos en hacerlo constar; y aún diremos más: existían dos vados según hemos indicado; pero ¿eran suficientes para explicarnos el paso de los israelitas, según lo refiere el Exodo, y la pérdida total del ejército de Faraón? De ninguna manera, y las mismas dificultades, ó mejor, la misma imposibilidad que encontramos poco antes, al hacernos cargo de la explicación por medio de las mareas, la vemos aquí y quizá aumentada hasta el punto de quedar esta nueva hipótesis fuera enteramente de lo posible. Montados en camellos pasaban los árabes y los turistas y aún algunos más atrevidos á pié; pero era con el agua hasta medio cuerpo y con evidente peligro de perecer, si se separaban un poco del banco de arena que formaba el vado, ó si se descuidaban algún tanto y arreciaba el viento ó crecía la marea. El pueblo hebreo pasó al contrario, por medio del mar *seco*, sin mojarse siquiera las plantas de los piés, que para eso había ordenado Jehová al viento urente que soplara sobre aquella superficie cubierta al obscurecer por las aguas.» Op. cit Lib. IV. Cap. II. Art. II.

Cum jam dux esset populi Dei, post miraculosum transitum Jordanis, suam fecit civitatem Jericho; et postea plures vicit reges, et vi belli plures civitates et regna acquisivit populo sibi comisso. Una ex victoriis magis notatu dignis, illa est in qua vicit et captivos fecit quinque reges, quando, magno Dei miraculo, sol, vel potius terra gradum sistit in suo ordinario motu.

Cum jam totam Palaestinam, spatio sex annorum omnino dominasset, terras inter tribus distribuit. Posuit Tabernaculum in Silo: congregavit populum, et renovavit juramentum foederis cum Deo, et mortuus est, aetatis suae anno centesimo decimo, sepultusque est in civitate Hammat-Saré.

Duplex fuit missio Josue post ipsius electionem ad ducendum populum hebraicum: nam primo, armis obtinere debebat omnem terram promissionis, et deinde ipsam juste et recte inter tribus distribuere.

226. Quomodo Josue adimpleverit duplicem hanc missionem narratur in hoc libro, qui idcirco dividi potest in duas partes et epilogum: in prima parte quae complectitur duodecim prima capita, describitur ingressus in terram promisionis, missionem exploratorum in Aegyptum, miraculosum transitum Jordanis, et non minus miraculosa expugnatio Jericho. Narratur etiam expugnatio plurium aliarum civitatum, et profligatio quorumdam regum, praesertim vero, victoriam quam circa Gabaon obtinuit, adversus Gabaonitas, et quatuor reges Amorrhaeos et regem Jesusalem, modo miraculoso supra citato. Quasi epilogus hujus partis libri recensentur unus et triginta reges qui ex uno aliove littore Jordanis, ab Israelitis tempore. Moysis et Josue victi sunt.—In secunda libri parte, id est, a cap. XIII ad XXII, refert distributionem terrarum inter decem tribus et dimidiam Manasses, (nam tribus Ruben et Gad et alia dimidia Manasses, jam suam portionem acceperant tempore Moysis): distributio haec fit per tribus et familias, secundum aequitatem, ut in posterum non daretur locus litigiis et contentionibus. Deinde designantur tres civitates refugii in unoquoque littore Jordanis. Praeter sex has civitates, donantur etiam Levitis aliae quadragintae et duae ex quibus tredecim transiebant ad filios Aaron.-Paulo antea, constituerat Josue Tabernaculum in Silo.

Epilogus, qui complectittur duo postrema libri capita, refert, quomodo Josue, ad exemplum Moysis, hortatus fuerit populum ad adimpletionem Legis: postea in Sichem congregat populum,

et renovat juramentum foederis cum Deo: et demum narratur mors ex sepultura Josue et Eleazar filii Aaron

227. *Unitas hujus libri.* Nonnulli rationalistae unitatem hujus libri negant ipsumque diversis auctoribus tribuunt. Quidam ut Berthold, Heverden et alii confugiunt ad systema fragmentorum, quin tamen explicare possint, quomodo haec fragmenta in unum redacta sint. Alii qui systema complementorum amplectuntur, putant plures illos auctores qui Pentateuchum scripserumt, etiam hunc librum scripsisse: et non desunt qui affirment librum Josue cum Pentateucho unum tantum librum constituisse usque ad Esdram, vel fortasse usque ad tempora adhuc posteriora.

Argumenta quae ab ipsis adducuntur nullius roboris sunt; nonnulla tamen de ipsis postea dicemus. Sed prius positivo modo ostendemus unitatem libri Josue et distinctionem ipsius a Pentateucho.

Et quidem 1.°: Si liber Josue fuisset aliquando pars Pentateuchi, ¿quis explicabit antiquissimam hebraeorum consuetudinem dividendi Canonem librorum sacrorum in Legem, seu solum Pentateuchum, Prophetas, inter quos inveniebatur Josue, et Hagiographa?

2.° Admittimus quidem, librum Josue esse continuationem Pentateuchi; sed si verum esset unum cum Pentateucho librum constituisse, eumdemque esse horum librorum auctorem; ¿quare iteratur divisio regionum ultra-jordanicarum, et etiam enumeratio civitatum refugii quae jam facta fuerat in libro Numerorum?

3.° Certum est etiam linguam hebraicam hujus libri, non multum differre ab hebraeo Pentateuchi; sed mirum non est quod talis similitudo existat si quis consideret Josue, qui probabiliter hunc librum scripsit fuisse, Moysi coaevum. Sed si peritis in hebraica lingua fides adhibenda sit, in hoc libro non inveniuntur illi archaismi, qui valde communes sunt in Pentateucho. Praeterea civitas Jericho, a Moyse saepe vocatur *Jerekho,* a Josue vero saepissime *Jericho:* et id ipsum dici potest de pluribus aliis nominibus.

228. In confirmationem hujus veritatis veniunt quae dicturi sumus de auctore hujus libri. Hic liber diversis auctoribus attributum est; nam juxta Tostatum, scriptum fuit a Samuele: Massi docuit auctorem hujus libri fuisse Esdram: alii ut Sigthold ipsum tribuunt Eleazar, vel Phinaeae: rationalistae putant hunc librum scriptum fuisse longo tempore post Josue. Sed

recentiores scriptores catholici, ut Wouters, Glaire, Caminero, Lamy, Ubaldi, Vigouroux, Cornely, Schouppe, Fernández, etc., asserunt auctorem hujus libri fuisse Josue.

Fatemur quidem, ea quae de morte et sepultura Josue et Eleazar leguntur ab ipso Josue scripta non fuisse, sed ab alio scriptore hagiographo.

His igitur praemissis, ostendemos, 1.°; auctorem hujus libri fuisse Josue coaevum.

In primis hic liber scriptus fuit ante Achab: nam sub imperio «hujus regis, Hiel de Bethel voluit aedificare Jericho (3 Reg. XVI, 34); sed «in Abiram primitivo suo fundavit eam, et in Segub novissimo suo posuit portas ejus: juxta verbum Domini, quod locutus fuerat in manu Josue filii Nun.» (Jos, VI, 26).

Lib. 3. Reg. IX, 16, legimus, regem Aegypti exterminasse chananaeos, et acquisivisse civitatem Gazer, eamque in dotem tradidisse filiae suae Salomonis sponsae: sed in cap. XVI, 10 Josue, legimus adhuc chananaeos in civitate Gazer mansisse sub tributo, *usque in praesentem diem:* ergo liber Josue exaratus fuit ante tempora Salomonis.

Etiam ostendi potest, hunc librum jam extitisse ante septimum annum regni Davidis: hoc enim tempore (2. Reg. V, 6-8) David occupavit montem Sion et expulit jebusaeos: sed in libro Josue XV, 63, legimus jebusaeum habitasse in Jerusalem usque in illum diem, neque potuisse eos expellere e civitate Jerusalem. Verum est etiam temporibus Salomonis extitisse jebusaeos, sed non erant in Jerusalem, exceptis quibusdam qui veram religionem amplexi sunt, et ex quorum numero fuit fortasse ille Areuna, qui Davidi aream vendidit, quique á Vulgata rex appellatur, non vero secundun editionem sixtinam, neque in versione graeca, syriaca et arabiga.

Praeterea, liber Judicum exaratus fuit ante septimum annum regni Davidis: nam cap. I, 21 dicitur Jebusaeum habitare in Jerusalem usque in praesentem diem: sed anno septimo Davidis, Jebusaei e Jerusalem expulsi sunt, ut supra diximus: nunc vero, liber Josue, absque dubio, anterior est libro Judicum; nam hic liber sic incipit «*Post mortem Josue*, et deinde narrat expugnationem Palaestinae, distributionem terrarum, limites uniuscujusque etc, sed modo quodam compendiario: cum ergo ageretur de rebus adeo transcendentalibus, auctor libri Judicum non eas brevissime referret, nisi jam in aliquo anteriori libro consignatae

fuissent; hic vero liber non alius esse potest, nisi liber Josue.

Ex his quae diximus constat, auctorem hujus libri coaevum fuisse factis quae narrat, vel saltem coaevis documentis usum fuisse. Id ipsum evincunt orationes Caleb (XIV, 6-12) Phinees et legatorum (XXII, 16-20) de jurgio inter tribus quae erant trans Jordanem et caeteras tribus, ubi personarum et rerum adjuncta, ipsaque hominum verba minute referuntur, quae omnia conservari non potuerunt traditione tantum orali.

Hanc eamdem veritatem confirmant, locutio illa quae adhibetur dum agitur de transitu Jordanis, quaeque in hebraeo est *donec transiremus*, quamvis in Vulgata legatur *donec transirent*: affirmatio de permanentia lapidum in alveo Jordanis, quod fieri non potuit transacto longo temporis intervallo: quod Raab et domus ejus habitassent inter filios Israel *usque in praesentem diem*, quod intelligi nequit de progenie Raab, cum nulla mentio fiat de matrimonio ipsius cum Salmon: quod Sidon habebatur quasi metropolis Sidoniorum, cum tamen tempore David fuerit Tyrus; antiquitas remotissima linguae et plura alia indicia.

Videtur ergo auctorem hujus libri fuisse Josue coaevum.

229. Nunc ostendi potest, hunc auctorem probabiliter fuisse ipsum Josue: nam 1.° valde opportunum immo et necessarium erat, scriptis consignare possesiones tribuum et familiarum cum suis limitibus: hoc autem Josue non fecisse improbabile est: 2.° quia cap. XXIV, 26, legitur: «scripsit quoque (Josue) omnia verba haec in volumine legis Domini.» Neque dicas, juxta haec verba, Josue scripsisse tantum verba foederis, quod pepigit cum populo, et mandata quae illi dederat: nam haec pars libri cum reliquis quae praecedunt, tum quoad materiam, tum quoad formam seu stylum veram unitatem constituit. Neque ex his verbis «*in volumine legis Domini*, inferas Josue scripsisse in Pentateucho, et idcirco librum Josue a Pentateucho non distingui: si enim Josue aliqua scripsisset in Pentateucho, nemo ausus fuisset ea a Pentateucho sejungere.

Itaque dicitur Josue scripsisse in libro Legis, quia quandoque tota Scriptura appellatur *Lex*, ut ex. gr. Joan. X, 34, et XV, 25, et etiam quia liber Josue haberi debet, ut complementum Pentateuchi. Demum 3.° habemus testimonium Ecclesiastici (XLVI, 1) ubi Josue laudatur, et dicitur *successor Moysi in Prophetis*, quod innuere videtur Josue post Moysem scripsisse primum ex libris sacris, quos hebraei vocant *Prophetas*.

Haec etiam fuit sententia Patrum: nam inter alios, S. Isidorus Hispalensis ait: «Josue liber nomen accepit a Jesu filio Nave... scriptorem vero ejus eumdem Josue hebraei asseverunt» (1); et sic caeteri Patres.

Adversum auctoritatem historicam, quaedam adversarii proponere solent: itaque dicunt, 1.° in hoc libro loqui de montibus Juda et Israel, quae schisma vel divisionem duorum populorum supponit.

Respondeo dicendum, hanc distinctionem jam hebraeis notam fuisse optime temporibus Saul et David et etiam anterioribus: nam I Reg. XI, 8, legitur: «Fueruntque filiorum Israel trecenta millia virorum: autem Juda triginta millia.» Et 2.° Reg. XIX, 41, legimus: «Itaque omnes viri Israel concurrentes ad regem dixerunt ei: Quare te furati sunt fratres nostri viri Juda, et traduxerunt regem et domum ejus Jordanem, omnesque viros Davit cum eo?» In libro, Judicum cap. XX, nobis dicitur Judam futurum esse caput filiorum Israel qui praeliaturi erant adversus Benjaminitas. Et demum, in eodem libro, Cap. I, 12, legimus, post mortem Josue, «consuluerunt filii Israel Dominum, dicentes: Quis ascendet ante nos contra Chananaeum, et erit dux belli? Dixitque Dominus: Judas ascendet.»

Igitur haec distinctio et praedilectio, ut ita dicam, Judae respectu Israelis, originem habuit in hoc quod Jacob dignitatem filii primogeniti concesserit Judae, cum huic dixisset omnes filios patris sui eum adoraturos esse, ut revera contigit.

Praeterea, tribus Juda non nisi partem meridionalem illius regionis occupavit: caeterae antem tribus partem septentrionalem, ita ut medium locum teneret tribus Benjamim: et hinc distinctio montium Judae et Israelis.

2.° Adversarii etiam hoc proponunt argumentum: in hoc libro, ad ostendendum solem stetisse, citatur *liber justorum*, qui scriptus est diu post Josue, cum etiam gesta Davidis commemoret (2. Reg. I, 18.)

Jam alibi diximus, non omnia omnino quae in hoc libro continentur ab ipso Josue scripta fuisse: et ideo quod legitur in *libro justorum* ab Esdra vel ab alio scriptore hagiographo additum fuit, non quasi prima relatio facti coaeva, sed quasi confirmatio facti praeteriti. Tamen ex hoc quod aliquis libro

(1) *Aetimol.* Lib. 6. c. 2.

Josue aliqua verba interseruerit, non sequitur Josue non esse auctorem libri; secus vix daretur auctor alicujus libri.

Hoc ipsum respondendum est, his qui objiciunt, gesta Axae filiae Calebi (XV) et expeditionem filiorum Dam (XIX) accidisse post mortem Josue. Eadem responsio valeat, adversus eos qui dicunt in hoc libro, quaedam occurrere locorum nomina aetate Josue recentiora, ut *Hebron* quae aetate Josue vocabatur *Cariath Arbe: Dabis* quae tunc dicebatur *Cariath Sepher* etc: nam haec nomina probabiliter ab Esdra sacrorum librorum collectore, utpote obsoleta, et claritatis gratia cum recentioribus commutata sunt.

Tamen neque hanc suppositionem putat necessariam cl. Ubaldi, sed probat nomina illa non fuisse Josue recentiora, cum plures ex illis urbibus aetate Josue duo vel tria nomina gererent. (1)

Demum, quoad id quod adversarii adnimadvertunt circa aliqua facta quae videntur multo posteriora Josue, quae tamen dicuntur durasse *usque in praesentem diem* (Jos. IV, 9; V, 9; VI, 25; VIII, 29; IX, 27), dicemus fortasse aliqua ex ipsis ab auctore hagiographo addita fuisse, sed non omnia. «Cum enim Josue, ait Ubaldi, diu post res illas gestas superstes fuerit, et librum circa vitae suae finem scribere, vel absolvere et expolire potuerit, non incongrue observare poterat res illas, puta lapides duodecim in alveo Jordanis depositos (IV, 9) adhuc post tot annos perdurasse. Simile exemplum habemus in Matthaeo, qui licet paucis tantum annis post passionem Domini scriberet, loquens, tamen de agro, quem Sacerdotes ex pretio Judae proditoris coemerant ait; «Propter hoc vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, *usque in hodiernum diem.*» (Mat. XXVII, 8.) (2)

230. *Fides seu auctoritas historica hujus libri.* Indubium est fidem historicam huic libro nullo modo negari posse: nam auctor scientia et veracitate ornatur; refert enim facta quorum ipse fuit testis ocularis, eaque tali sinceritate ac ingenuitate narrat ut impossibile sit ipsum mentiri. Praeterea Scriptura ipsa laudat Josue his verbis: «Fuit magnus secundum nomen suum,

(1) *Introd. in. Sacr. Script. Introduc Crit.* P. I. Sect. II. Capitulo II. Art. II.

(2) Loc. cit.

maximus in salutem electorum Dei... quam gloriam adeptus est in tollendo manus suas et jactando contra civitates romphaeos?... Invocavit altissimum potentem in oppugnando inimicos undique, et audivit illum magnus et sanctus Deus.» (1)

Deinde facta quae Josae narrat confirmata sunt aliis Scripturae locis: sic distributio terrarum (Jos. XIII, 7) habetur Ps. LXXVII, 25 prodigia Jericho et salus Rahab (Jos. VI, 20, II, 3) apud Heb. XI, 30, et Ep. Jac. II, 25 etc. etc.

Praeterea facta a Josue narrata confirmantur ex monumentis, quorum Josue mentionem facit; sic transitus Jordanis, monumento duodecim lapidum perpetuatur (Jos. IV, 9); expugnatio Jericho per habitationem Rahab et domus suae, cum filiis Israel (VI, 23); lapidatio Achan per acervum lapidum (VII, 26); simile monumentum confirmat suspensionem regis Hai (VIII, 29), et quinque regum (X, 27).

Etiam historia profana et inventiones archaeologicae in Assyria factae, auctoritatem historicam libri Josue confirmant. Et quidem, Victor Guerin anno 1863 invenit sepulcrum Josue; et M. Richard anno 1870 invenit in hoc sepulcro plures cultellos lapideos, qui adhibiti fuerant in Galgala ad circumcisionem filiorum Israel, quique, juxta LXX, positi fuerant in sepulcro Josue. (2)

Deinde veritatem de qua loquimur testantur constans et universalis traditio totius populi judaici, et scriptores judaei ut Josephus, Masorethae etc.

---

(1) Eccli. XLVI, 1 et. seq.

(2) «Terminaremos, por consiguiente, ait Valbuena, este punto copiando las siguientes frases de Victor Guerin: «Después del descubrimiento de numerosos cuchillos de pedernal encontrados por M. el abate Richard, el 3 de Junio de 1870, en el monumento fúnebre que en 1863 había declarado yo ser el sepulcro del sucesor de Moises, creo que la duda no es ya posible sobre este punto, y que la identificación por mí propuesta, es en adelante incontestable; porque no se apoya solamente en simples conjeturas, sino sobre un hecho que confirma la Biblia, y que es, á su vez, victoriosamente confirmado por los Libros Santos: esto es, la presencia en aquel paraje de un gran número de cuchillos de silex señalados por un pasaje formal de la versión de los setenta, que sirvieron para la circuncisión de los israelitas en Galgala.» Op. saep. cit. Lib. V. Cap. III.

PARS. EXEGETICO-CRITICA

231. Solvuntur objectiones quae a rationalistis proponuntur 1.° circa transitum Jordanis.—232. 2.° circa stationem solis:—233. et 3.° circa destructionem Jericho.

231. Sic Josue narrat transitum Jordanis: «Igitur egressus est populus de tabernaculis suis, ut transirent Jordanem: et sacerdotes, qui portabant arcam foederis, pergebant ante eum. Ingressisque eis Jordanem, et pedibus eorum in parte aquae tinctis (Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat), steterunt aquae descendentes in loco uno, et ad instar montis intumescentes, apparebant procul ab urbe, quae vocatur Adom, usque ad locum Sarthan; quae autem inferiores erant, in mare Solitudinis (quod nunc vocaetur Mortuum) descenderunt, usquequo omnino deficerent. Populus autem incedebat contra Jericho; et sacerdotes, qui portabant arcam foederis Domini, stabant super siccam humum in medio Jordanis accinti, omnisque populus per arentem alveum transibat.» (1)

Quidam rationalistae factum transitus Jordanis, vel quia est miraculosum, vel quia historia profana de hoc facto silet, negant.

Sed ad primum quod attinet, rationalistis adest obligatio probandi impossibilitatem miraculi. Quoad aliud vero dicendum, veterum scriptorum profanorum opera, fere omnia periisse: praeterea, etiam antiquissimi scriptores profani multum distant a temporibus Josue, ut hujus facti notitiam habuerant, praesertim cum plerumque vel penitus ignari, vel valde incuriosi fuerint de rebus Hebraeorum.

Sed etiam hoc historiae profanae silentio supposito, non desunt libri, nempe libri sacri qui hujus facti realem existentiam testantur. Sic David in Psal. CXIII, 3-5, ait: «Mare vidit et fugit, Jordanis conversus est retrorsum... ¿Quid est tibi mare quod fugisti, et tu Jordanis quia conversus es retrorsum.» Et alludens, ut prius ad transitum maris Rubri et Jordanis, ait in psal. LXV, 6, «Venite et videte opera Dei... qui convertit mare in aridam, in flumine pertransibunt pede.» Etiam Habacuc ad hoc prodigium alludit cum dicit: «Suscitans suscitabis arcum

(1) Jos. III, 14-17.

tuum, juramenta tribubus, quae locutus es: Fluvios scindes terrae... gurges aquarum transiit.» (1)

Alii rationalistae factum transitus admittunt, quia revera negari non potest, sed ipsum naturaliter explicare contendunt. Voltaire putat tunc flumen siccum fuisse, vel hebraeos pontem super flumen struxisse, ut fieri solet a militibus in bellis, vel flumen vado transmississe.

Quod tunc flumen fuerit siccum falsissimum est; et juxta omnes viatores, flumen mense Aprili ob imbris abundantiam exundat.

Quoad pontem vero, probabile et probabilissimum est, ignotam fuisse tunc hebraeis artem construendi pontes militares: praeterea Chananaei ex alia parte fluminis parati erant ad hoc opus impediendum, et omnis populus hebraicus undique circumseptus erat ab hostibus. Unde constructio pontis, per quem illa innumera multitudo populi transiret absque ullo detrimento, esset verum miraculum, maxime si consideres sacrum textum, juxta quem «Jordanis autem ripas alvei sui tempore messis impleverat», quod maximum erat impedimentum ad aedificationem pontis. Quod dicitur de *vado*, rejiciendum est etiam: nam Josue expresse asserit populum *super siccam humum, et per arentem alveum transiisse*; ergo non *vado*, seu per aquas.

Alii ut Dereser et Clemont-Gannen, dicunt, flumen Jordanis scindi potuisse per aliquod terraemotum vi cujus montes proximi fluminis locum occuparent, ita ut aquae iter supprimerent.

Sed hujusmodi suppositio, narrationi Josue e medio opponitur: ex ipsa enim clarissime et apertissime constat, causam siccitatis fluminis non fuisse neque terraemotum nec aliud quod cumque, sed arcam faederis, vel potius extraordinariam Dei providentiam. (2)

---

(1) III, 8.

(2) «M. Clermont-Gaunen, ait Valbuena, leyó en la sesión del 10 de Marzo de la Academia de las Inscripciones de París, una nota en que pretende explicar el paso del Jordán por el pueblo hebreo como un acontecimiento puramente natural. El Jordán, decía Clermont, se halla sujeto á interrupciones de esta clase, debidas en los tiempos del deshielo, al desprendimiento de las tierras ribereñas. Un hecho análogo añade, al que cuenta la Biblia, es referido con todos sus pormenores, por lo cual merece entero crédito, por el historiador árabe Novvairi. El año de 1267 de nuestra Era, durante la crecida del río, el deprendimiento de un montículo que caía á plomo sobre la corriente, detuvo el curso de las aguas, de suerte que, durante cuatro horas, pudieron trabajar en seco en el arreglo de los pila-

232. Sic a Josue describitur statio solis, quae contigit cum ipse vicit quinque reges Amorrhaeorum: «Tunc locutus est Josue Domino in die, qua tradidit Amorrhaeum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis: Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna, contra vallem Aialon. Steteruntque sol et luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. ¿Nonne scriptum est hoc in libro justorum? Stetit itaque sol in medio coeli, et non festinavit occumbere spatio unius diei. Non fuit antea nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis, et pugnante pro Israel.» (1)

Hoc factum ab schola Tubingensi rejicitur ut mythus: juxta alios vero, hoc locum libri Josue intelligi debet non litteraliter sed metaphorice. Sed hoc idem esset ac negare characterem vere historicum hujus narrationis et totius libri Josue, quod minime licet, nisi etiam cuilibet concedatur facultas omnem omnino historiam rejiciendi.

Praeterea hoc factum commemorant alii scriptores Sacri: sic Habacuc: «Sol, et luna steterunt in habitaculo suo.» (2): et Eccli. laudans Josue, ait: «An non in iracundia ejus impeditus est sol, et una dies facta est quasi duo?» (3) Ex quo infertur apud hebraeos traditiones extitisse de laudato miraculo, et praedictum locum Josue ab hebraeis sensu propio, obvio et litterali acceptum fuisse. Itaque factum stationis solis nullo modo negari potest.

Sed dicunt adversarii, solem non moveri sed terram; et idcirco stationem solis esse antiscienficam.

Sed ad hoc dicimus, Josue locutum non fuisse, modo scienti-

---

res de un puente que había sido construído hacía poco tiempo por el sultán Beibars. Este puente, cuyas ruinas subsisten aún, había sido construído unos 30 kilometros al Norte de Jericó.—Sin negar el hecho referido por el historiador árabe, pues nosotros mismos hemos visto ríos caudalosos detenidos en su corriente por aludes de nieve, no vemos la consecuencia que pretende deducir el sabio palestinólogo francés; ya que esa consecuencia está en oposición con las reglas de la Lógica, una de las cuales dice: *Nihil sequitur ex particularibus,* y más que todo con la relación bíblica, que no se contenta con referir el hecho de la detención de las aguas del río al paso de los hebreos, sino que además explica la causa, y ésta no fué un monte desprendido, sino el Arca Santa.» Op. cit. Lib. V. Cap. II.

(1) Jos. X, 12-14.

(2) III, 11.

(3) XLVI, 5-7.

fico sed vulgari. Jam vero, si non *realiter*, saltem *apparenter* sol movetur; unde omnes, non exceptis astronomis in familiari sermone solemus dicere: *solem oriri, ascendere, occumbere.* Et sic locutus est Josue, quia ejus mens non fuit hebraeis juxta astronomica praecepta loqui.

Rabbinus Maimonides, Grotius et alii, dicunt totam narrationem Josue esse poeticam, desumptam ex *Libro Justorum*, qui mere poeticus est: igitur sensus narrationis est, quod Josue talem stragem inter hostes fecerit, ut sibi *videretur*, illum *diem* durasse plus quam viginti et quatuor horas.

Sed ut supra dictum est, liber Josue est vere historicus, et narratio de qua est quaestio ab aliis etiam scriptoribus hagiographis confirmatur.

Praeterea *Liber Justorum*, de quo mentio fit I. Reg. I, 18, poetice canit veras ac reales victorias ab Israelitas obtentas, quae quidem in illo libro successive consignabantur; et ideo etiam haec victoria Josue consignata fuit priusquam Josue scripsisset librum suum; et sic Josue alludere potuit ad *Librum Justorum.*

Demum explicatio quam adversarii tradunt, minime videtur opportuna. Si enim Josue talem stragem inter hostes fecit, talique voluptate illam fecerit, illa dies ipsi videri debuit brevior quam caeteri dies.

Postremo alii rationalistae negant veritatem hujus facti, eo quod, nullam ipsius notitiam inveniant apud annales aliorum populorum.

Sed animadvertendum est, nullius populi annales habere antiquitatem facti de quo loquimur. Praeterea, non fuit absolute necessarium illam majorem durationem diei extra Palaestinam observari.

Quoad causas hujusmodi prodigii variae sunt sententiae: juxta quosdam, Deus cessare fecit motum rotationis terrae quodam temporis intervallo.

Sed aliis hoc impossibile videtur, quia haec cessatio secum ferret magnam perturbationem in ipsa terra et etiam in cursu lunae.

Tamen dicendum est, Deum sufficienti vi gaudere ad hujusmodi perturbationes vitandas. Praeterea talis perturbatio non probatur, quia motus translationis terrae circa solem, et lunae circa lunam, omnino independentes sunt a motu rotationis

terrae: unde etiam hoc cessante, tamen nullam perturbationem experta est in motu translationis.

Alii, absque ulla statione vel suspensione motus solis aut terrae, idem effectum explicant ope reflexionis vel refractionis lucis. (1) Sed in omni casu miraculum admittendum est.

Nunc quaeritur: 1.° ¿qua diei hora sol vel terra steterit?

Wouters, Ubaldi et alii putant hoc contigisse in meridie, quia dicitur sol stetisse *in medio coeli.*

Sed Tostatus, Tirinus, A. Lapide, Vigouroux, dicunt solem stetisse circa vesperam, dum inclinata erat jam dies: nam Josue hoc miraculum postulabat, ne hostes in tenebris effugerent, quod locum non habuisset si tunc plena dies fuisset. Praeterea, Josue dixit: *Sol, contra Gabaon ne movearis, et luna, contra vallem Aialon:* ergo luna tunc illuminabat, secus ejus statio esset inutilis: ergo dies jam declinaverat.

Illa autem verba *in medio coeli,* idem significant ac *in coelo.*

2.° Quamdiu steterit sol: respondet Wouters: «v. 13... Non festinavit *occumbere spatio unius diei.* Justinus Martyr in Dial. cont. Tryphonem, et Rabbi Eliezer arbitrantur hunc diem Josunum fuisse 36 horarum: nam praeter 12 horas naturales addunt illi 24 supernaturales, quibus solem stetisse putant: quod enim hic dicitur solem stetisse spatio unius diei, illi de die naturali 24 horarum accipiunt.—Melius tamen id accipitur de die artificiali; nam haec sola lucem praebet. Idque innuit Ecclesiasticus cap. 46. v. 5 dicens: *una dies facta est quasi duo:* Id est, dies quae solet esse 12 horarum facta est 24 horarum. Ita Tirinus cum aliis. (2)

Sed nihil certi in hac materia dici potest, cum aliqua detur differentia inter Vulgatam et textum hebraicum. (3)

233. Sic Josue narrat expugnationem Jericho: «Jericho autem clausa erat atque munita, timore filiorum Israel, et nullus egredi audebat aut ingredi. Dixitque Dominus ad Josue: Ecce dedi in manu tua Jericho, et regem ejus, omnes fortes viros. Circuite urbem cuncti bellatores semel per diem: sic facietis sex diebus. Septimo autem die sacerdotes tollant septem buc-

(1) Conf. Vigouroux *Man. Bibl.* Ant. Test. P. I. Lib. Hist. Sect. II. Cap. I. Art. II.

(2) Wouters, *Dilucid. select. S. Scrip. Quaest.* In Jos. Cap. X, Quaest. II.

(3) Vigouroux. Op. et. loc. cit.

cinas, quarum usus est in jubilaeo, et praecedant arcam foederis: septiesque circuibitis civitatem, et sacerdotes clangent buccinis. Cumque insonuerit vox tubae longior atque concisior, et in auribus vestris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima, et muri funditus corruent civitatis, ingredienturque singuli per locum contra quem steterit.» (1) Statim Josue narrat, se fecisse omnia quae ipsi Dominus praeceperat, et concludit: «Igitur omni populo vociferante, et clangetibus tubis, postquam in aures multitudinis vox sonitusque increpuit, muri illico corruerunt: et ascendit unusquisque per locum, qui contra se erat; ceperuntque civitatem.» (2)

Hoc factum, ut patet, miraculosum est: tamen rationalistae ne miraculum admittant, ipsum naturaliter explicare contendunt. Nam justa ipsos quod muri corruerint, effectus fuit cujusdam terraemotus qui tunc casualiter accidit, vel fortasse immensae multitudinis murium vel cuniculorum qui suffoderunt muros civitatis.

Sed hujusmodi affirmationes non modo gratuitae sunt et ridiculae, sed insuper magis nocent adversariis quam nobis. Et quidem ¿nonne miraculosum est, quod Josue praedixerit diem et horam etiam destructionis murorum civitatis, et quod muri in illa die et hora corruissent? Vel ¿Josue sciebat cum omnimoda certitudine diem et horam futuri terraemotus? Nonne, et hoc fuisset miraculosum? An fortasse dices, praedictionem Josue casu adimpletam fuisse? Quid ergo dicendum de Josue sanctissimo viro qui mendacio se exposuit et indignationi populi? Praeterea ¿cur terraemotus, vel illa subterranea labor murium et cuniculorum muros destruxit, non vero ipsam civitatem?

(1) Jos. VI, 1-5.
(2) VI, 20.

Caput XV

De libro Judicum.

PARS CRITICA.

234. Status politicus populi hebraici post mortem Josue.—235. Qui fuerint Judices et quae eorum attributiones.—236.—Quot fuerint judices.—237. Scopus hujus libri.—238. Materia contenta et ejus divisio.—239. Opiniones quoad hujus libri auctorem.—240. Ostenditur auctorem hujus libri fuisse Samuelem.—241. Fides historica et divina libri Judicum.

234. Post mortem Josue, populus hebraicus regebatur a quodam collegio senium qui Moysi et Josue coaevi fuerunt et in magna veneratione habiti ob suam prudentiam et experientiam. Durante hoc regimine, populus fideliter servavit legem Dei: sed post mortem senium, hebraei relationes intimas statuerunt cum incolis aliarum regionum, easque confirmaverunt matrimoniis cum eis initis, et sic frequenter in idololatriam lapsi sunt, tunc populus hebraicus erat quasi respublica theocratica, in qua unaquaeque tribus se ipsam gubernabat, quin cum caeteris aliud vinculum unitatis haberent quam Tabernaculum et Arcam Foederis. Sed ob earum prevaricationes, frequenter a nationibus vicinis opprimebantur; tamen cum fere victi et captivi viderentur, Deus suscitabat extraordinarios homines, ut populum ab illis calamitatibus liberarent, et hi homines a Deo providentissimo et amantissimo suscitati, judices vocantur. Unde bene dicit S. Augustinus: «Post mortem Jesu Nave populus Dei judices habuit, quibus temporibus alternaverunt apud eos, et humiliationes laborum pro eorum peccatis, et prosperitates consolationum propter miserationem Dei.» (1)

235. Vox hebraea *Schophetim* quandoque significat supremum magistratum nationis: tamen judices de quibus est sermo, non debent haberi stricte loquendo ut supremi magistratus totius populi hebraici: quia munus judicis, non erat vitalitium, seu pro toto tempore vitae; neque semper judices dominabantur super omnem populum, sed quandoque super unam tantum tribum. Unde munus judicum non in condendis novis legibus, sed in urgenda observantia Legis Moysi, et in bellis gerendis continebatur. Ergo Judices haberi debent, ut duces militares,

11) *Lib. 18 de civ. Dei*, cap. 13.

generatim a Deo electi, excepto Jephte, et fortasse alio etiam, qui a populo electi sunt. Hinc quod quandoque, extiterint simul duo Judices.

236. Non est facile certum numerum Judicum determinare; nam inter Josue et Saul, quatuordecim, sexdecim vel decem et septem, hoc ordine numerantur: Othoniel, Aod, Samgar, (Iahel), Debbora (mulier) (Barac), Gedeon, (Abimelech), Thola, Jair, Jephte, Abesan, Ahialon, Abdon, Samson, Heli et Samuel. Spectabant ad diversus tribus, et bene dici potest tantummodo Othoniel, Heli et Samuel totum populum gubernasse. Tempus dominationis Judicum, habita ratione interregnorum, est fere 400 annorum.

237. Prima fronte alicui videbitur, scopum hujus libri esse historiam Judicum narrare, et etiam totius populi hebraici, a morte Josue usque ad primum regem Saul. Tamen res non sic se habet; nam de duobus ultimis judicibus Heli et Samuel, nec verbum quidem dicitur in hoc libro, neque eorum nomina citantur: de sex aliis judicibus, nempe Samgar, Thola, Jair, Abesan, Ahialon et Abdon, paucissima hic liber narrat: etiam de his Judicibus de quibus plura refert, non tamen integram texit historiam. Demum scimus successionem Judicum non fuisse continuam, sed inter ipsos extitisse quaedam intervalla seu interregna: de his vero interregnis omnino silet hic liber.

Itaque scopus hujus libri, his verbis continetur: hebraei jam regiminis theocratici et Judicum fastidio affecti, voluerunt habere Regem, sicut et vicini populi, et ex hoc novo regimine, quasi ex causa, magnum cummulum pacis ac prosperitatis expectabant. Jam vero, auctor hujus libri sibi proponit hebraeos docere, quod si novum regimen secum offerret illa commoda et prosperitates, ea minime illo novo regimini tribuenda esse, sed providentiae Dei qui specialem curam habebat de suo populo. Et ad hoc, auctor meminit calamitatum populi, et modi specialis quo Deus suscitavit homines extraordinarios, miracula quae patrarunt etc. etc. (1)

(1) Audiatur cl. Caminero: «Liber Judicum historico pragmaticum epitome est illarum rerum quae ab expugnata Palaestina ad tempora regibus proxima evenerunt, quo regimen theocraticum fastidientes hebraei discerent ex sua erga legem Deumque fidelitate publicam quietem, independentiam, felicitatem, omnisque generis bona expectanda fore; sub Dei providentia speciali modo ipsos constitutos esse: omnia bona non a propria industria

238. Hic liber continet 21 capita, et dividi potest in prologum seu introductionem, corpus libri et appendices. Duobus primis capitibus qui introductionem constituunt, agitur de statu politico et religioso populi post mortem Josue, et narrat hujus populi praevaricationes, et flagella irae divinae, donec poenitentiam ageret. Quatuordecim sequentibus capitibus, quae corpus libri efformant, fit historia quatuordecim Judicum, set ita ut non fiat integra biographia cujuslibet Judicis, sed illa tantum facta narrantur quae ordinem dicunt ad liberationem populi. Demum, appendices sunt quinque postrema capita, in quibus agitur de quibusdam factis, quae locum habuerunt post mortem Josue, sed ante electionem primi Judicis, nempe Othoniel: tales sunt: 1.um mater Michas aedificat idolum argenteum, et filium suum hujus idoli sacerdotem constituit; postea id ipsum facit cum quodam levita de Bethlehem, qui casu per ipsius domum transierat. Sed 600 homines ex tribu Dan, tulerunt idolum et sacerdotem, et capta ab ipsis civitate Lais, ibi constituerunt idolum. (Cap. XVII et XVIII.)

2.um Benjamitae abusi sunt muliere cujusdam levitae ephrataei, qui cum vidisset suam uxorem infamatam et mortuam, ejus cadaver in duodecim partes divisit, et per omnes tribus missit, ut vindictam sumerent de crimine. Tunc undecim tribus, decernunt bellum indicere Benjamitis, eosque fere omnino percusserunt circa civitatem Gabaa, ita ut non nisi sexcenti viri mortem fugerent. Juraverant undecim tribus, se non daturas in uxores filias suas filiis Benjamin: sed ne hujusmodi tribus ad nihilum omnino redigeretur, accepta vi et armis civitate Jabes-Galaad, ex ejus incolis tradiderunt Benjamitis quadringentas virgines, ut duxerant eas in uxores. Deinde ipsi Benjamitae, ex filiis civitatis Silo rapuerunt uxores singulas. (Cap. XIX, XX, XXI.)

---

et labore, sed a Deo suum populum imperante procedere: peculiarem destinationen populum israeliticum habere, ac proinde foederibus, ritibus, moribus reliquarum nationum animum parare non debere: ex fraterna totius populi conjunctione maxima bona, magnam vero calamitatem ex disjunctione, atque ex qualibet legis transgressione oriri, etiam in illos qui crimen non admiserunt, sed insontem tolerarunt; verbo; apologiam texit theocratiae, electis praecipuis eventibus historiae temporis regiminis foederativi; ut jam regimen monarchicum habentes hebraei, ab observantia et scopo legis Jehovae minime deflecterent, quod ex populi conditione maxime timendum erat.» Man. Isag. Sect. III. Cap VIII.

En materia contenta in hoc libro. Ipsius chronologiam determinare valde difficile est, quia plura facta Judicum omittuntur, neque de pluribus mentio fit quae contigerunt inter judicem et judicem: tamen probabiliter dici potest historiam hujus libri complecti plus minusve 400 annos. (1)

239. Quoad auctorem hujus libri, diversae dantur sententiae. Quidam enim putant non unum fuisse hujus libri auctorem. Juxta Dorotheum Tyr. scribae sacri litteris consignarunt gesta quae in hoc libro narrantur, eo tempore quo contigerunt. Cardinalis Hugo dixit, unumque Judicem facta sui temporis scripsisse, atque regem Ezechiam omnia haec scripta in uno volumine compegisse. Haec collectio, juxta Serarium, quidam tribuunt, Samueli, alii Esdrae vel alicui prophetae.

Moderni critici librum hunc diversis auctoribus tribuendum putant, eo quod inveniantur contradictiones, repetitiones et diversitas styli in diversis partibus.

Sed unitas hujus libri, ideoque et auctoris probari potest. Et quidem: introductio intime connexa est cum corpore libri, in ipsa namque describuntur circumstantiae populi Dei, quae occasionem praebuerunt ut Deus speciali providentia eligeret Judices: unde corpus libri absque introductione esset acephalum. Unitas sequentium quatuordecim capitum, ex illis formulis «fecerunt malum in conspectu Domini» «Clamaverunt ad Dominum qui suscitavit eis salvatorem» quae fere in omnibus his capitibus inveniuntur, infertur. Scopus omnium hujusmodi capitum, idem omnino est: nempe exemplis ostendere felicitatem populi hebraei, ex fidelitate erga Legem Deumque provenire, sicut et eorum calamitates ex transgressione Legis. Appendices, quidem, non ita conjunctae sunt cum corpore libri, sicut introductio: neque tamen sufficiunt motiva ab adversariis proposita, ut diverso auctori tribuantur. Dicunt namque in appendicibus non praevalere spiritum theocraticum ut in reliquis partibus libri, eo quod auctor conqueratur «non esse regem in Israel», quasi potestas regia opposita foret theocratiae.

Addunt adversarii, quaedam in appendicibus inveniri verba, quae numquam in corpore libri neque in introductione reperiuntur. Tamen certum est, stylum totius libri in genere esse identicum; differentiae vero facile explicantur, si consideremus auctorem diversis documentis usum fuisse.

(1) Conf. *Man. Bibl.* Vigouroux; ubi agit de *Lib. Judicum.*

Demum rationalistae ut unitatem libri negent, asserunt in ipso diversas dari contradictiones. Sed exemplis ostendi potest, hujusmodi contradictiones non esse nisi apparentes.

En prima contradictio: dicitur Cap. I, 18 Judam cepisse Gazam cum finibus suis, et Ascalonem, atque Accaron cum terminis suis. Et. Cap. III, 3, legimus, liberos mansisse quinque satrapas Philisthinorum, ex quorum numero erant satrapae Gaza, Ascalon et Accaron.

Sed in hoc nulla est difficultas; nam hebraei potuerunt amittere regiones quas suas fecerant; et sic Judas cepit Gazam, Ascalonem et Accaron, quae tamen postea servitutem exuerunt.

Similes aliae contradictiones invenies apud Cornely. (1)

Supposita igitur unitate libri, nunc quaeritur quis fuerit illius auctor. Tostatus asserit nihil certi in hac materia dici posse. Massio, Richardus Simon et alii putant auctorem hujus libri fuisse Esdram qui illum scripsit, adhibitis diversis documentis quae magna veneratione servabantur. Quidam putant hunc librum scriptum fuisse temporibus Salomonis, cum praecipuus libri scopus sit, populum hebraicum ab idololatria arcere: numquam vero hoc magis necessarium fuit quam temporibus Salomonis. Alii hunc librum scriptum judicant primis annis regni Davidis. Demum antiqua traditio judaica illum tribuit Samueli, sicut etiam S. Isidorus Hisp. his verbis: «Judicum autem et Ruth et Samuelis primam partem scripsit Samuel.» (2) Et haec est hodie communis sententia, quamque nos amplectimur, cum solidissimis nitatur fundamentis.

Et quidem 1.°: Legimus in cap. XIII, 1, Deum tradidisse filios Israel in manus Philisthinorum quadraginta annis: hoc vero dicitur cum incipit judicatura Sanson quae duravit viginti annos: jam vero, philisthaei non sunt omnino victi ita ut jam nihil intentarent adversus Israelitas, nisi tempore Samuelis, ut constat ex I. Reg. VII. hic ergo liber exaratus fuit post hanc victoriam; nisi admittamus prophetiam quae admitti non debet quando necessaria non est.

2.° Praeterea frequenter in hoc libro invenitur haec formu-

(1) *Curs. Scrip. Sac. Introd. in lib. histor. V. T.* Dissert. I. Sect. 1. Cap. III.

(2) *De offic. eccles.* Lib, I, cap. 12.

la: «in diebus illis non erat rex in Israel», quae quidem formula videtur innuere hunc librum scriptum fuisse, cum adhuc monarchia non esset in Israel; sed sensum omnino contrarium esse videbis, si sequentibus verbis attendas: «sed unusquisque quod sibi rectum videbatur hoc faciebat» unde sensus est: «in illis diebus videbatur non esse regem in Israel, quia unusquisque faciebat quod sibi placebat.» Ergo hic liber exaratus fuit tempore monarchiae.

3.° Deinde liber judicum ante septimum annum regni David conscriptum fuit; nam hoc anno jebusaei expulsi sunt e Jerusalem: sed Cap. I. v. 21 Judic. legimus, jebusaeum habitasse in Jerusalem cum filiis Benjamin *usque in praesentem diem*.

4.° Probari etiam potest, hunc librum scriptum non fuisse, neque ultimis annis regni Saul, neque primis regni David: nam principalis scopus hujus libri, est populum arcere ab idololatria; in praedictis autem annis, quamvis non omnino vestigia idololatrica recessissent e medio, non tamen erant frequentia: unde I. Reg. XXVIII, 9, legimus, ultimis annis Saul, non fuisse in Israel fere unum magum.

Ex hoc inferunt rationalistae, librum hunc exaratum fuisse ultimis annis Salomonis, quia in illo tempore, majus fuit periculum idololatriae, vi exempli ipsius regis.

Dicendum est, ita tempore praedicto universalem fuisse idololatriam, ut, nec Salomon consiliis et praeceptis aurem praeberet (III. Reg. X, 9 et seq.) neque nihil tunc movisset populum de idololatria: unde non erat opportunum tunc hunc librum conscribi.

5.° Demum historia judicum finem facit in Sansom, quin nec verbum dicatur de Heli et Samuel, quorum tempore magna et extraordinaria facta contigerant. Nunc vero, si admittatur auctorem hujus libri fuisse Samuel, optime explicatur quod omitteret historiam duorum postremorum, judicum, quia eam quasi introductionem ponere cogitabat primo libro Regum, cujus auctor probabiliter fuit Samuel. Id ipsum confirmat, quod cum Samuel cessasset in munere judicis, concionem habuit ad populum, in qua quasi synthesim fecit totius libri judicum: ergo non erit temerarium, ipsi, quasi auctori hunc librum tribuere.

6.° Postremo, lingua hujus libri a chaldaismis libera, valde affinis hebraeo Pentateuchi et locutionibus abundans quae fre-

quentes erant ante captivitatem, hunc librum Samueli tribuere permittit.

7.° Denique etiam traditio Thalmudica, Samuelem facit hujus libri auctorem.

Arguunt adversarii, Librum Judicum exaratum fuisse ultimis annis regum Juda, quia Cap. XVIII, 30, dicitur, idolum quod Danitae in domo Michas rapuerant mansisse apud eos «usque in diem captivitatis suae.»

Respondeo, versu sequenti dici, idolum mansisse apud eos «omni tempore quod fuit Domus Dei in Silo: sed Arca Foederis, tempore Heli summi sacerdotis, simul cum Tabernaculo, translata est e Silo in Nobe et postea in Gabaon, et numquam devoluta est in Silo. Ergo hic non agitur de captivitate Assyriaca, nisi dicamus auctorem libri sibi ipsi contradixisse Deinde temporibus Samuelis, Saul, Davidis, et primis annis Salomonis, quibus fere nullum fuit vestigium idololatriae, minime est credendum Samuelem et praedictos reges talem cultum permississe in civitate Lais. Praeterea scimus Jeroboam idolum posuisse in Lais, quae civitas etiam vocatur Dan; hoc vero superfluum fuisset, si jam incolae Lais habuissent idolum. Igitur illa verba «usque ad diem captivitatis suae» intelligenda sunt cum Cajetano, vel de quadam captivitate partiali tribus Dan quae contigit ultimis temporibus Judicum, vel de captivitate ipsius Arcae Foederis, quam tulerant Philisthaei.

241. Fides historica huic libro deneganda non est: 1.° quia auctor vel fuit Samuel aut aliquis coaevus, vel saltem homo pius et eruditus, ut sufficienter ex libri lectione eruitur: 2.° quia vel fuit testis ocularis, vel documentis coaevis usus est, ut demonstrant canticum Debborae post mortem Sisarae; apologus Joatham post fratricidia Abimelech; conversatio Gedeon cum angelo et cum trescentis hominibus quos elegerat, et alia minutim narrata: 3.° quia plurima facta de quibus agitur in hoc libro monumentis perpetuata sunt: ex gr. locus Galgala, ubi angelus populum reprehendit propter suum ingratum animum, qua de causa omnis populus flevit, in posterum dictus est «*locus flentium.*»; palma sub qua Debbora jus dicebat, vocata est «*palma Debborae*»; altare quoddam erexit Gedeon, cum angelus apparuit ei dicens, «Pax tecum, ne timeas, non morieris» (1), propter quod ille locus dictus est «*Domini pax*»;

(1) Judaei credebant, hominem qui in hoc mundo vidisset angelum, brevi spatio temporis moriturum fore.

nomen *Ramathlechi* (projectio maxillae) quo designabatur locus, ubi Sansom projecit asini maxillam, cum qua mille philisthaeos occidit; congregatio annua puellarum in Maspha, ad plorandam mortem, vel celebrandam virginitatem filiae Jephte, etc. etc.—4.° Quia facta quae in hoc libro narrantur adeo intime cum aliis historiae populi hebraici connexa sunt, ut vel etiam haec negari debeant, vel illa quoque ut vere historica admittenda sint.

Demum hic liber saepissime in aliis libris Veteris Novique Testamenti citatur; quod ejus veracitatem historicam et divinam supponit.

Adversus auctoritatem historicam hujus libri, quasdam difficultates chronologicas critici proponunt, quae tamen nullam habent vim, cum ut jam dictum est, chronologia hujus libri sit valde obscura et incerta: nihil enim scimus de duratione interregnorum; praeterea probabile est quandoque duos Judices, simul eodemque tempore gubernasse vel unam vel alteram tribum: idcirco adversarii ex hujus libri chronologia nihil certi inferre possunt. Sed de hoc fusius sequenti capite agemus.

PARS CRITICO-EXEGETICA

242. Extraordinaria facta Samgar, Gedeon et Sansom quomodo explicanda sint, sicut etiam laudes quae Aod, Jhael et Sansom tribuuntur.—243. Quid dicendum de voto Jephte.—244. Nulla datur contradictio inter chronologiam hujus libri et tertii Regum.

242. Absurdum videtur rationalistis, 1.° quod Samgar percussisset vomere sexcentos philisthaeos: 2.° quod similiter Sansom mandibula asini percussisset mille philisthaeos, et alia fecisse; et 3.° quod Gedeon cum trescentis hominibus absque armis annihi lasset exercitum Madianitarum.

Unica ratio, qua incredduli haec facta rejiciunt, est quia absque miraculo explicari non possunt.

Quoad facta Samgar et Sansom, dici potest, verbum hebraicum quod Vulgata vertit *percussit*, non stricte significare quod Samgar *occidisset* sexcentos philisthaeos, et Sansom mille, sed quod plures occiderunt, et alii fugerunt. Et praeterea sacer textus non excludit concursum aliorum hominum.

Quod Sansom trescentas vulpes cepisset impossibile non est: nam ut ait clarissimus Wouters: «Si enim potuit Julius Caesar Ro-

mae in spectaculum dare 400 leones, Pompejus 600: si potuit Heliogabalus imperator, homo nefarius, in sola urbe Roma, ut refert Lampridius in ejus vita, colligere 10.000 pondo aranearum, cur Sansom juvenis robustissimus, et venandi peritissimus, non potuis 300 vulpes uno alterove die congregare, maxime si sociorum opera adjutus fuit, idque in Palaestina, ubi vulpes sunt frequentes, sicut patet ex variis Scripturae locis, ut Cant. II, 5: «Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas.» (1)

Quod Sansom ex cardine evelleret portas civitatis Gaza, eaque super humeros suos transportasset, speciali Dei adjutorio factum est.

Quoad alvearium in craneo leonis a Sansom occisi inventum, difficultas aliqua daretur, si haec inventio concigisset post paucos dies, cum adhuc craneum leonis non esset vacuum: sed animadvertendum est, quod, ubi Vulgata dicit «*post aliquos dies*, in hebraeo legi «post dies.»

¿Quomodo explicatur quod vires extraordinariae Sansom sitae essent in ejus caesarie, ita ut hac detonsa illas amitteret?

Respondeo, non stricte loquendo in ipsa caesarie sitas fuisse vires; sed mater ejus voverat votum nazaraeatus pro filio, vi cujus Deus Sansom promisserat vires extraordinarias, modo servaret votum, secundum quem non poterat tondere aut radere capillos capitis nec barbam: sed instante Dalila, aperuit veritatem quoad originem et radicem virium suarum, et illa mulier infamis totondit caesariem Sansom et hic statim vires amisit.

Quoad exterminium exercitus madianitarum et amalaecitarum, verissimile esse constat ex ipsa biblica narratione quae sic se habet: «Madian autem et Amalec, et omnes orientales populi fusi jacebant in valle, ut locustarum multitudo: cameli quoque innumerabiles erant, sicut arena quae jacet in littore maris..... Divisitque *(Gedeon)* trecentos viros in tres partes, et dedit tubas in manibus eorum, lagenasque vacuas ac lampades in medio lagenarum. Et dixit ad eos: Quod me facere videritis, hoc facite: ingrediar partem castrorum et quod fecero sectamini. Quando personuerit tuba in manu mea, vos quoque per castrorum circuitum clangite, et conclamate: Domino et Gedeoni. Ingressusque est Gedeon, et trecenti viri qui erant cum eo, in partem castrorum, incipientibus vigiliis noctis mediae, et custodibus suscitatis, caeperunt

(1) Op. saep. cit. In Judic. Cap. XIII ad XVI, Quaest III.

buccinis clangere, et complodere inter se lagenas. Cumque per gyrum castrorum, in tribus personarent locis, et hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, et dextris sonantes tubas, clamaveruntque: Gladius Domini et Gedeonis: Stantes singuli in loco suo per circuitum castrorum hostilium. Omnia itaque castra turbata sunt, et vociferantes, ululantesque fugerunt: et nihilominus insistebant trecenti viri buccinis personantes. Immisitque Dominus gladium in omnibus castris, et mutua se caede truncabant.» (1) Alia similia fere, inveniuntur in historia profana. Verum est causam non esse effectui adaequatam vel proportionatam: sed animadvertendum est, non tantum trecentos illos homines exterminasse exercitum madianitarum et amalaecitarum; sed ad id etiam opem contulerunt tribus Nephthali, Aser et Manasses: nam versu 23 praedicti capitis legimus: «Fugientes usque ad Bethsetta, et crepidinem Abelmehula in Tebbath. Conclamantes autem viri Israel de Nephthali, et Aser, et omni Manasse persequebantur Madian.» Sed quolibet modo admitti debet miraculum a Deo praenuntiatum.

Adversus divinam hujus libri inspirationem, arguunt, laudes tribui Aod, Jahel et Sansom, propter quasdam actiones, quae ut omnino immorales necessario haberi debent.

Per partes hanc difficultatem solvemus: 1.° Factum Aod sic plus minusve habetur in Cap. III, hujus libri: Israelitae erant abhinc quindecim annos sub servitute Eglon regis Moab; cum Deus populum suum ab hac servitute liberare voluisset, suscitavit Judicem Aod: hic fecit sibi gladium ancipitem, longitudinis palmae manus, et obtulit munera Eglon regi Moab, qui erat crassus nimis. Post hoc abiit cum suis sociis, sed reversus de Galgalis, dixit regi: Verbum secretum habeo ad te: ac simul extendit manum suam, et infixit gladium in ventre regis, qui mortuus est. Aod clausis ostiis aulae regiae fugit, et statim insonuit buccina in monte Ephraim, et descenderunt cum eo filii Israel, qui occiderunt decem millia Moabitarum.

Haec actio Aod, prima fronte videtur criminosa et immoralis: sed si consideremus, exterminium regis Eglon totiusque regni, jam praeceptum fuisse a Deo qui Dominus est vitae hominum, et ad hoc quasi instrumentum elegisse judicem Aod, nihil in hac actione apparebit nisi adimpletio voluntatis Dei.

---

(1) Jud. VIII, 12-22.

A quibusdam quaeritur, num Aod mentitus fuerit, quando dixit regi: «Verbum secretum habeo ad te, o Rex.» (1)

Tostatus affirmativam sententiam tenet: sed S. Augustinus Aod excusat a mendacio, dicens: «Sed potest non esse mendacium, quandoquidem *verbi* nomine solem etiam *factum* appellare Scriptura; et revera ita erat; quod autem dixit *verbum Dei*, intelligendum est hoc illi Deum, ut faceret, praecepisse, qui eum populo suo excitaverat Salvatorem.» (2) Quidquid sit Scriptura non laudat, sed tantum narrat factum. Neque de his factis judicandum est secundum spiritum Evangelii; nam plura, quae secundum Evangelium peccata sunt, tamen in Veteri Testamento ut licita habebantur: ex. gr. repudium, odium inimicorum etc.

2.° Factum quod narratur Cap. IV, videtur etiam immorale, et sic se habet. Cum Barac et Debbora vicissent exercitum Jabin regis Asor, Sisara dux hujus exercitus cum fugeret, ingressus est domum Haber Cinaei qui erat in pace cum rege Jabin: Jahel uxor Haber, recepit Sisaram in domo, dicens ei, *Intra ad me, domine mi, ne timeas.* Sisara itinere fatigatus somno correptus est: tunc Jahel assumpsit clavum et malleum, ponensque clavum supra tempus capitis Sisarae, percutensque malleo defixit in cerebrum usque ad terram. Haec mulier capite sequenti laudatur et benedicitur a Debbora in suo cantico.

Occisio Sisarae haberi non debet ut peccatum, nam Scriptura laudat Jahel, his verbis: «Benedicta inter mulieres Jahel uxor Haber Cinaei, et benedicatur in tabernaculo suo.» (3) Et S. Augustinus, de hac ipsa muliere, sensu tropologico dicit: «Quae est ista mulier plena fiduciae, hostis tempora ligno transfigens, nisi fides Ecclesiae Christi Cruce regna diaboli perimens?» (4)

Praeterea Sisara erat hostis populi Dei, et idcirco mortem illius Deus jam decreverat: ergo Jahel nihil aliud fecit quam voluntatem Dei adimplere. Praeterea in bellis hostem fugientem occidere peccatum non est: et hoc faciebant chananaei cum filiis Israel. Sed fortasse dices pacem fuisse inter Jabin et domum Haber Cinaei. Arias M., Tostatus, et Tirinus varie ad

(1) Jud. III. 19.
(2) *In. Judic.* Q. 20.
(3) Judic. V, 24.
(4) *Lib. 12 cont. Faustum*, cap. 32.

hoc argumentum respondent. Cor. a Lapide ait illam pacem non fuisse juramento firmatam: et Wouters docet pacem illam, qualiscumque fuerit, auctoritate divina rescindi potuisse: nam tunc Haber tunc ejus uxor, voluntatem Dei circa hoc bellum optime noverant.

Quidam putant, Jahel leviter peccasse decipiendo Sisaram: sed alii eam etiam a levi peccato excusant: nam prius, misericordia mota, potuit Sisaram recipere in domum suam absque ulla intentione eum occidendi: sed postea, considerans Sisaram esse ducem inimicorum populi Israel, amore religionis et patriae ducta illum occidit.

3.° Sansom laudatur in Scripturae, nam Apostolus (Heb. XI) eum annumerat eis, qui per fidem operati sunt justitiam: et tamen quaedam sunt actiones Sansonis quae a peccato non posse excusari videntur.

Et primo quidem, amor Sansonis erga Dalilam mulierem meretricem, illicitus fuit.

S. Chrysost. et S. Ephrem, tenent Dalilam fuisse veram ac legitimam Sansonis uxorem ideoque et illos amores labe peccati minime maculari.

Sed alii putant, Dalilam fuisse meretricem· ait enim S. Hieronymus: «Sansom quoque amator meretricis et pauperis Dalilae, multo plures hostium mortuus, quam vivus occidit, ut Christi exprimeret passionem.» (1)

Et S. Ambrosius: «Mulieris fornicariae copulam non declinavit.» (2)

Quidquid sit, Scriptura non laudat hujusmodi amores Sansonis: et Apostolus bene dicere potuit quod dixit, quamvis Sansom aliquando peccaverit; nam etiam in Scriptura, David dicitur *vir secundum cor Dei*, et tamen aliquando peccavit.

Juxta adversarios, mors Sansonis fuit pessima in conspectu Dei, eo quod fuerit verum suicidium.

Negamus mortem Sansonis fuisse verum ac proprium suicidium; nam ipse directe non intendebat suam mortem, sed tantum mortem Philisthaeorum, qui cum ipso erant in templo, quam mortem sciebat gratam fore in conspectu Dei.

Demum si Sansom seipsum occidit, hoc a Deo inspiratus

(1) *Epist. 136 ad Evagrium.*

(2) *Epist.* 24

fecit. Ait enim S. Augustinus: «Quod cum inimicis et se ipsum, quando super se et illos dejecit domum, mortem, quam mox ab eis fuerat perpessurus, communem voluit cum illis habere.... quod quidem non sua sponte fecit, sed hoc Spiritui Dei tribuendum est, qui usus est eo ut faceret, quando illi adfuit, quod facere non poterat, quando ille Spiritus defuit.» (1) Et alibi idem S. Doctor: «Nec Sansom aliter excusatur, quod se ipsum cum hostibus ruina domus oppresit, nisi quia Spiritus latenter hoc jusserat, qui per illum miracula faciebat.» (2)

243. ¿Quid dicendum de voto Jephte? Sic votum Jephte Judicis, describitur, Judic. XI, 29-40; «Factus est ergo super Jephte spiritus Domini, et circuiens Galaad et Manasse, Maspha quoque Galaad, et inde transiens ad filios Ammon, votum vovit Domino, dicens: si tradideris filios Ammon in manus meas; quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihi occurrerit revertenti cum pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino. Transivitque Jephte ad filios Ammon ut pugnaret contra eos; quos tradidit Dominus in manus ejus. Percussitque ab Aroer usque dum venias in Mennith viginti civitates, et usque ad Abel, quae est vineis consita, plaga magna nimis; humiliatique sunt filii Ammon a filiis Israel. Revertente autem Jephte in Maspha domum suam' occurrit ei unigenita filia sua cum tympanis et choris; non enim habebat alios liberos. Qua visa, scidit vestimenta sua et ait: heu me, filia mea, decepisti me, et ipsa decepta es: aperui enim os meum ad Dominum, et aliud facere non potero. Cui illa respondit: Pater mi, si aperuisti os tuum ad Dominum fac mihi quodcumque pollicitus es, concessa tibi ultione atque victoria de hostibus tuis. Dixitque ad patrem: hoc solum mihi praesta quod deprecor; dimitte me ut duobus mensibus circumeam montes, et plangam virginitatem meam cum sodalibus meis. Cui ille respondit: vade. Et dimisit eam duobus mensibus. Cumque abiisset cum sociis, ac sodalibus suis flebat virginitatem suam in montibus. Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat, quae ignorabat virum. Exinde mox increbuit in Israel, et consuetudo servata est: ut post anni circulum conveniant in unum filiae Israel, et plangant filiam Jephte Galaaditae diebus quatuor.»

(1) *Lib. I, cont. Gaudentium.* Cap. 31.
(2) *Lib. I de civit. Dei*, cap. 21.

Circa naturam voti Jephte duae sunt sententiae: prima eorum qui putant Jephte vere et realiter suam filiam sacrificasse, eamque Deo in holocaustum obtulisse.

Hanc sententiam amplectuntur fere omnes antiqui, ut Josephus Flavius, SS. Epiphanius, Ambrosius, Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus, Isidorus, Hisp. et ex scholasticis, S. Thomas, cum Thomistis passim. Serarius, Tirinus, Calmet, Wouters, Vigouroux, et alii bene multi. Et has allegant rationes: 1.ª ex Sacra Scriptura constat, Jephte vovisse Deo offerre in holocaustum, quemcumque primus fuerit egresum de domo sua et occurreret ei revertenti cum victoria: holocaustum vero est sacrificium reale. Deinde, v. 39, subditur: «Expletisque duobus mensibus, reversa est ad patrem suum, et fecit ei sicut voverat:» ergo eam realiter immolavit. 2.ª Scripturae interpretari debent juxta unanimem Patrum consensum; sed omnes Patres fatentur vel supponunt, quasi certum, Jephte filiam suam realiter immolasse. Demum tunc votum virginitatis erat insolitum. Supposita igitur reali immolatione filiae Jephte, quaeritur, num Jephte in hoc peccaverit.

Quidam affirmativam sententiam tenent: sic S. Hieronymus «Non placuit Deo sacrificium, sed animus offerentis.» (1) Et alibi: «Reprehenditur Jephte voti temerarii, ex quo volunt (hebraei) Dei dispensatione esse factum, ut qui improspecte voverat, errorem votorum in filiae morte sentiret.» (2) Et S. Augustinus: «Possemus jam dicere, Deo displicuisse tale votum, et ad illam productam esse vindictam, ut patri potissimum filia unica occurreret.» (3) Demum S. Thomas: «In vovendo fuit stultus, quia discretionem non habuit, et in reddendo impius.» (4)

Nihil tamen ex hoc contra Scripturae sanctitatem sequitur: nam Scriptura factum non laudat, sed tantum narrat: Apostolus vero, ad Hebraeos, laudat animum Jephte, et fortasse etiam illius poenitentiam. «Si Jephte, ait S. Hieronymus, obtulit filiam suam virginem Deo, non sacrificium placuit Deo sed animus offerentis.» Et S. Augustinus:» Propter bonam, fidelemqne

(1) *In cap. VII, Jerem.*
(2) *Lib. I cont. Jovinian.*
(3) Q. 49 *in Judic.*
(4) 2. 2. q. LXXXVIII. art. 2. ad. 2.

vitam, in qua eum credendum est esse defunctum tale meruit testimonium.» (1)

Alii putant, Jephte immolando filiam suam non peccasse, quia hoc ab Spiritu Santo impulsus fecit ut infertur ex illis verbis, v. 29 «Factus est ergo super Jephte spiritus Domini.»: Deus vero est Dominus vitae et mortis: unde et S. Augustinus fatetur Jephte non peccasse, si votum emissit ex instinctu Spiritus Sancti.

S. Chrysostomus (2) et alii summis laudibus extollunt Jephte, ejusque factum, eumque comparant Abrahamo qui non haesitabat filium suum immolare ob Dei amorem.

Demum Scriptura non reprehendit Jephte, sed potius laudat: ergo parricida minime fuit.

Altera sententia circa naturam voti Jephte, est eorum qui dicunt, immolationem filiae Jephte non fuisse realem, sed tantum civilem seu moralem: et idcirco Jephte vovisse non vitam suae filiae sed virginitatem. Pro hac sententia stant plures rabbini antiqui et postea Liranus, Pagninus, Grotius, Du-Clot, Ghiringhello Mariana et in nostra aetate, Cornely, Caminero, Ubaldi, Valbuena aliique.

En rationes quae pro hac sententia militant: 1.ª Humana sacrificia omnino prohibita erant hebraeis, ut ex pluribus locis librorum Moysis constat. (Lev XVIII, 21-25); Deut. XII, 31; XVIII, 10 etc. Jephte vero ut Judex populi non ignoraret hanc prohibitionem; neque credendum est contra ipsam egisse. 2.ª Igitur illa immolatio non fuit nisi civilis seu moralis; nempe Jephte Deo obtulit virginitatem filiae suae: quod quidem infertur ex ipso textu; nam filia patri veniam postulat ut duobus mensibus permitteretur deflere cum sodalibus suis non *mortem* suam sed *virginitatem*: tunc enim faecunditas inter mulieres in magno pretio erat, ob spem habendi partem in generatione Messiae.

Id ipsum confirmat, versus 39; nam ubi in Vulgata legitur: «Expletisque duobus mensibus... fecit ei sicut voverat, quae ignorabat virum,» in textu hebraico et graeco sic se habet: «Fecit ei sicut voverat, et ipsa non cognovit virum.»

Sed quidam dicunt, sacras virgines apud hebraeos non ex-

(1) Q. 49 *in Judic.*

(2) *Homil.* XIV *ad Antioch.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD

titisse. Tamen hoc verum non videtur: nam Exod. XXXVIII, 8 agitur de quibusdam mulieribus quae *excubabant in ostio tabernaculi;* et 1 Reg. II, 22 de ipsis mentio fit, cum de filiis Heli sermo est; ubi apparet illas mulieres virginitatem coluisse, tum ob ipsam earum conditionem, tum ob horrorem quem stuprum a filiis Heli ipsis illatum, in universo populo excitaverat.

3.ª Si Jephte ex errore vel ignorantia cruentum sacrificium humanum Deo vovisset, ¿nonne ipsum Sacerdotes et Doctores monuissent de impietate actus, praesertim cum inter votum et ejus adimpletionem duo menses interceserint? Praeterea ¿nonne, juxta Lev. XXVII, 1-8, potuit Jephte, pretio triginta siclorum argenteorum filiam suam redimere, eamque a morte liberare? (1)

244. Adversus divinam libri Judicum inspirationem, dicunt rationalistae, chronologiam hujus libri opponi chronologiae libri tertii Regum: et quidem, juxta hunc librum, Cap. VI, v. 1, ab exitu ex Aegypto, usque ad aedificationem Templi, id est, usque ad quartum annum regni Salomonis, fluxerunt 480 anni: jam vero, juxta chornologiam libri Judicum, a primo Judice usque ad Sansom 390 anni fluxerunt; quibus si addas 40 peregrinationis in deserto; 50 ab ingressu in terram promissionis, usque ad primam oppresionem per Chusam Rasathaim regem Mesopotamiae: 40 sacerdotis Heli; 40 Samuelis et Saulis; 40 Davidis et tres Salomonis, faciunt 603 annos, id est 123 supra chronologiam libri Regum.

Diversae et valde obscurae sunt solutiones quae huic difficultati dantur. Nos brevitati consulentes, tantum dicemus, auctorem hujus libri sibi principaliter proposuisse hebraeos ab idololatria retrahere, non vero exactum systema chronologicam texere.

Praeterea indubium est, aliquos Judices simul imperasse super diversas tribus: hoc absolute affirmari potest de Samgar et Debbora: nam cap. III, v. 30-31, dicitur, post humillationem moabitarum ab Aod, huic succesisse Samgar, qui vomere occicidit sexcentos philisthaeos: et sequenti capite, legimus, post mortem Aod, Israelitas elegisse Debboram, ut eos liberaret a Jabin rege chananaeorum: ergo Samgar et Debbora simul gubernarunt populum Dei.

(1) Conf. Wouters, op. cit. *in Judic.* Cap. XI.—Ubaldi, op. cit. *Introd. crit.* P. I. Sect. II Cap. IV. Art. I.

Deinde, plures differentiae chronologicae, non absque fundamento, aequivocationibus taquigraphorum adscruibuntur.

De aliis solutionibus nihil dicemus, cum valde incertae et aliquo modo arbitrariae nobis videantur. (1)

Caput XVI

De libro Ruth.

PARS CRITICA

245. Quid hic liber contineat.—246. Ostenditur auctorem hujus libri probabiliter fuisse Samuelem.—247. Liber hic est vere historicus.—248. Ejus divina inspiratio.—249. Scopus hujus libri.

245. Habet quatuor capita, quae sequentem historiam continent. Elimelech ejusque uxor Noemi, et duo filii, Mahalon et Chelion, cum fames esset in Bethlehem Juda, et in omni illa terra, abierunt in regionem Moabitarum. Mortuo Elimelech, filii sui acceperunt uxores Moabitidas, quae vocabantur Orpha et Ruth. Mortuisque Mahalon et Chelion, decrevit Noemi reverti in patriam suam. Deditque consilium nuribus suis ut non irent cum ea; sed tales fuerunt instantiae Ruth, ut Noemi eam secum ferret in Bethlehem. Hoc est quod narratur cap. I. Sequenti capite legimus, quod Ruth necessitate coacta, colligebat spicas quae fugerant manus metentium, in agro cujus dominus erat Booz; hic vero eam grato animo recepit. Ruth reversa est gaudens in domum socrus suae; cum Noemi sciret Booz mariti sui Elimelech propinquum esse, puellae Ruth suasit (cap. III.) ut nuptias a Booz peteret juxta legem leviratus; quo facto, Booz eam in nulierem vel uxorem accipere promissit. (Cap. IV) Booz prius interpellavit alium propinquiorem cognatum, eoque juxta hebraeorum consuetudinem ad portam urbis juri suo solemniter renunciante, nupsit Ruth Moabitidi, et ex illo conjugio natus est Obed, qui fuit pater Isai patris David.

246. Quoad auctorem hujus libri, non una est sententia

(1) Conf. Cornely, *Introd. in lib. hist. V. T.* Dissert. I. Sect. I, Cap. III.—Caminero. *Man. Isag.* Sect. III. Cap. IX.—Vigouroux Man. Bibl. Ant. Test. P. I. Sec. II. Cap. II.

inter modernos criticos; quidam enim dicunt auctorem posteriorem fuisse Esdrae; alli ipsum Edram faciunt libri auctorem: nonnulli supponunt auctorem fuisse posteriorem captivitati sed scripsisse ante Esdram: juxta alios hic liber scriptus est in ipsa captivitate; demum alii putant librum scriptum fuisse tempore Davidis vel Salomonis.

Nos certo assere possumus, librum hunc exaratum fuisse post tempora Judicum, nam nominatur David cujus aetate jam non erant Judices: sed liber, absque dubio, scriptus est, regnante Saul, quia David non dicitur rex, neque ei laudes tribuuntur.

Dici nequit, Esdram vel alium illi coaevum hunc librum scripsisse, quia tum Esdras, tum Nehemias publice prohibuerant matrimonia cum exteris.

Neque dici potest, librum hunc scriptum fuisse post mortem David; tunc enim apparuisset genealogia non modo hujus regis, sed etiam Salomonis, aliorumque regum; cum nulla sit ratio eam omittendi.

Quidam, ut negent antiquissimam aetatem hujus libri, adducunt characterem linguae: sed notandum, inter illos qui ex-hoc fonte derivant minorem aetatem libri Ruth, quosdam invenire archaismos, alios vero neologismus, nonnullos autem bethlehemismos, vel moabitismos etc: unde tale argumentum ad nihilum valet.

Certum est apud philologos, linguam hujus libri affinem esse linguae qua exarati sunt libri primorum temporum monarchiae.

Nunc ostendemus auctorem hujus libri fuisse probabiliter Samuelem. Haec est sententia Jos. Flavii, Origenis, S. Epyphanii, Hilarii, Hieronymi et Isidori Hispalensis, qui expresse hoc asserit his verbis: «Judicum autem et Ruth et Samuelis primam partem scripsit Samuel.» (1)

Praeterea, antiquitus Judaei ex libris Judicum et Ruth unum tantum librum faciebant, unde liber Ruth habebatur, quasi una ex appendicibus libri Judicum: et quidem magna est affinitas inter utrumque librum, 1.° in formulis: ex. gr. «in diebus, quando judices praeerant» libri Ruth, et «in diebus illis non erat rex in Israel libri Jud;» 2.° in lingua, quia contra id quod

(1) *De offic. eccles.* Lib. I. Cap. 12.

asserit Vigouroux, stylus utriusque libri similis est, et similia in utroque inveniuntur *apaxlegomena*: et 3.° in scopo: auctor enim libri Ruth sibi proposuit Dei misericordiam et providentiam erga omnes homines, etiam gentiles ostendere, quod quidem optime claudit, ut ita dicam, librum Judicum: nam sicut in appendicibus hujus libri ostenditur ad quae extrema miseriae possint ferre hominem, idololatria et morum corruptio; sic in libro Ruth manifestum fit ad quos gradus felicitatis possint evehere hominem etiam idolatram pietas et fiducia in Deum. Unde, non absque fundamento, deducimus librorum Judicum et Ruth auctorem fuisse unum eumdemque, nempe Samuelem.

247. Nunc queritur, utrum hic liber veram historiam contineat. Usque ad nostram fere aetatem nemo dubitavit quin liber Ruth vere esset historicus, veramque historiam traderet. Sed moderni critici ut Berthold, de Wette, etc., putant hunc librum esse meram fictionem, aut poema idyllicum, ad legem leviratus commendandam, et originem familiae David celebrandam confictum. Argumenta quae adducunt nullius roboris sunt, eaque postea solvemus.

Nunc ostendemus, librum hunc vere esse historicum. Nam 1.° cum de ficta historia agitur, finguntur nomina et personis etiam fictitiis applicantur: sed ex Matthaei Cap. I. v. 5, constat, Booz et Ruth fuisse personas reales et non fictitias; unde vel etiam facta quae liber narrat realia sunt, vel secus vera cum fictis permiscentur, quod facere non solebant scriptores hebraei. Praeterea in libro Ruth non dicitur nomen propinqui Booz; si vero totus liber non est nisi mera fictio ¿quare auctor non finxit etiam nomen illius propinqui Booz?

2.° Quia tum in libro I. Paralip. Cap. II. v. 12, tum in Evang. Matth. Cap. I. v. 5, Booz et Ruth sunt personae reales, sicut et omnes quae in illis genealogiis inveniuntur. ¿An fortasse erit fictitia tota Christi genealogia?

3.° Hanc veritatem confirmant universalis judaeorum traditio, et indoles ipsa narrationis, quae ob suam simplicitatem, descriptiones morum, affectus etc historicum characterem secum fert.

Quad tempus quo haec historia contigerit, nihil aliud scimus ex ipso libro, nisi haec facta contigisse tempore Judicum; quis vero fuerit hic Judex incertum est: Josephus Flavius arbitratur hunc judicem fuisse Heli; juxta rabbinos, ille Judex fuit

Abesan; nec desunt qui putent Booz fuisse ipsum Abesam qui imperavit inter Jephte et Ahialon: alii demum credunt historiam Ruth contigisse tempore Aod.

248. Hunc librum divinitus inspiratum fuisse, probatur: 1.° quia ut vidimus, ipsum allegant Paralip. et Evang. Matthaei; 2.° quia ut liber divinitus inspiratus semper habitus est et habetur in canonibus Esdrae, Alexandrinorum et Ecclesiae Catholicae; et 3.° quia nihil continet quod divinae inspirationi adversetur, ut postea videbimus.

249. Scopus auctoris hujus libri fuit, ut ait cl. Caminero «exemplum praeclarum exhibere virtutis in privata ac pauperi familia: Dei providentiam commemdare erga pios et bonos, quos etiamsi pauperes ac miserandi sint, imo alieni populi, bonis cumulare novit; Dei etiam altissima consilia et potentiam admirationi tradere, qui ex fere exstincta ac paupere familia Davidem regem et dein Christum Dominum oriri fecit, unde etiam vocatio gentium subindicatur ac peccatorum resipiscentium (Ruth, Raab, Thamar) et hebraeorum supercillium reliquas gentes aut odientium aut contemnentium sapienter damnat.» (1)

PARS EXEGETICO-CRITICA.

250. Argumenta adversus fidem historicam et divinam hujus libri; Cap. I. v. 1. dicitur Elimelech fuisse Bethlehemitam, et v. 2. ipsum fuisse Ephrathaeum.—251. Videtur in hoc libro non bene legem leviratus applicari, qui non nisi fratrem defuncti obligabat.—252. Actus quidam narrantur qui minus honesti videntur, nempe matrimonium Mahalonis cum alienigena moabitide, contra legem: consilium quod dedit Noemi nuribus suis ut inter gentiles Moab remanerent; quod Ruth de nocte accedens ad Booz rogat eum ut extendat suum pallium super famulam suam.—253. In hoc libro spatium 400 annorum quatuor tantum generationibus impletur, quod impossibile est.

250. Utique in hoc libro Elimelech dicitur Bethlehemita et etiam Ephrathaeus; sed in hoc nulla est contradictio, quamvis bethlehemitae non essent de tribu Ephraim. Nam vox Ephrathaeus significare potest non modo illum qui est de tribu Ephraim, sed etiam illum qui habitat in monte Ephraim qui non longe est a Bethlehem. Ita, I. Reg. Cap. I. Elcana dicitur Ephrathaeus quamvis fuisset de tribu Levi. Praeterea, Ephrata idem est ac Bethlehem, ut constat ex Gen. Cap. XXXV, 19:

(1) *Man. Isag.* Sect. III. Cap. X.

«Mortua est ergo Rachel, et sepulta est in via quae ducit Ephratam, haec est Bethlehem.» Idcirco auctor libri Ruth utitur vocabulo *Ephrathaeus*, ad distinguendos bethlehemitas tribus Judae a bethlehemitis tribus Zabulon: nam in utraque tribu inveniebatur civitas quae congnominabatur Bethlehem.

251. Dicunt legem leviratus non bene in hoc libro applicari, quia juxta Deut. XXV, 5, haec lex non obligababat nisi fratres qui in eadem domo vel civitate habitassent.

Respondeo, ab initio utique fuisse sic: seb dein haec obligatio et jus transiit etiam in propinquos qui habitassent in Judaea. praeterea ex pluribus Scripturae locis scimus, vocem *frater* significare non modo fratrem propie dictum, sed quandoque etiam propinquum sanguine: secus dicendum esset, Chistum veros fratres habuisse, quod blasphemum est.

252. Actus qui in hoc libro narrantur, nullam immoralitatem involvunt: nam matrimonium Mahalonis et fratris sui cum mulieribus moabitidis, quamvis videatur contrarium legi (Deut. XXIII, 3) tamen licitum fuit, nam in illa terra Moab aliam uxorem ducere non poterant: et attenta illorum aetate juvenili, et morum libertate apud illas gentes, periculum seductionis aderat. Praeterea spem habere poterant eas ad Judaicam religionem convertendi, sicut revera Ruth conversa est. Quidam dicunt quod Noemi divinitus inspirata eas ad hoc conjugium direxisset, ut sic ex Ruth nasceretur David et dein Chistus Dominus.

Quod Noemi suas nurus hortata est, ut in terra gentili Moab remanerent, excusatur a peccato: non enim positive id jussit: sed tantum alienigenis mulieribus id liberum esse voluit, simulque earum constantiam in bono proposito exploravit, ante oculos earum aperiendo difficultates relinquendi patriam, familiam, et se Religioni Judaicae subjiciendi: ita Tostatus.

Neque ulla est immoralitas in hoc quod Ruth de nocte accedens ad Booz, ipsum roget ut pallium suum extendat super famulam suam: nam nihil in hoc habetur quam modesta, verecundaque conjugii petitio, juxta Judaeorum mores. Nam apud Judaeos, cum sponsus sponsae fidem promitteret, ille partem vestimenti sui sponsae imponere solebat. Et non desunt qui dicant Noemi a Deo inspiratam hoc consilium dedisse nurui Ruth, quod videtur probare, illa certitudo et fiducia qua dixit: «ipse autem dicet tibi quid agere debeas.»

253. In hoc libro magna difficultas chronologica invenitur: et quidem ab ingressu hebraeorum in terram Chanaam quando Salmon in uxorem duxit Rahab, usque ad Davidis nativitatem effluxerunt 366 anni; qui quidem in hoc libro salvantur quatuor tantum generationibus, quod impossibile videtur.

Quidam rabbini putant inter Salmon et Booz virum Ruth, fuisse duos alios Booz; sed hoc nullo modo probatur.

Juxta Caminero, «quatuor generationes 400 annos perdurasse (a Salmone patre Booz et conjuge Raab ad Isai et David) non impossibile est, sed verosimilius desunt nonnullae generationes post Obed, quod orientalibus consuetum est, a Matthaeo in genealogia Servatoris admisum, et exinde probabile quod a Phinees Salmonis coaevo ad Sadoc Davidi supparem septem generationes interpositae sunt (1 Paral. VI, 4-8 coll. Ruth. IV. 21-22).» (1)

Wouters sic respondet huic difficultati: «Nam licet in hac conciliatione aliqua sit difficultas, non tamen omnimoda reperitur impossibilitas: siquidem dici potest, quod Salmon esset v. g. 20 annorum, dum duxit Rahab, quae a quibusdam eo tempore dicitur fuisse annorum tantummodo 15, deinde post varios demum ex ea genuerit Booz anno post ingressum in terram Chanaam, seu matrimonii sui 71, et consequenter aetatis suae 91, salvo justo, quando Rahab erat annorum 85 completorum. Deinde Booz senes ex Ruth, quae juvencula erat, anno circiter aetatis suae 98 gignere potuit Obed: Obed itidem post totidem annos, praesertim ex uxore juvene, suscitare potuit Isai sive Jesse, qui Isai supponatur genuisse Davidem anno aetatis suae 99, et numerus 366 annorum per quatuor generationes completur. (2)

(1) *Man. Isagog.* Sect. III. Cap. X.
(3) *Dilucid. etc. In Ruth.* Cap. I. Quaest. I.

Caput XVII

De duobus primis libris Regum.

PARS CRITICA.

254. Quibus nominibus designarent Judaei, graeci et latini libros Regum. —255. Materia duobus primis libris contenta; ejusque divisio.—256. Opiniones circa horum librorum auctorem. Quo tempore probabiliter exarati fuerint.—257. Eorum fides historica et divina.—258. Adversus utramque sequentes solvuntur objectiones: 1.ª In primo libro mentio fit de templo Domini, et in secundo asseritur Deum adhuc non habitasse in domo sua: 2.ª David philisthaeum Goliath occidit, et multo post ipse Goliath ab Adeodato occiditur: 3.ª Magnanimitas Davidis erga Saulem et hujus mors diverso modo narrantur duobus in locis horum librorum: 4.ª Videtur incredibile quod dicitur de pondere coronae Melchonis et caesariei Absalonis: 5.ª Videtur Deum injuste egisse cum Bethsamitis, Oza, filiis Saul et cum omni populo propter peccatum Davidis.

254. Quatuor libri Regum continent historiam populi Hebraici, ab illa oppresione philisthaeorum, de qua agitur in fine libri Judicum, ad annum 37 captivitatis Jechoniae. Judaei, ex his quatuor libris, duplex opus conficiebant; alterum quod duobus primis libris constat, et dicitur *Samuel;* alterum ex aliis duobus libris constans, et dicebatur *Reges*. Haec divisio, optime facta est, quia ut postea videbimus, auctor duorum priorum, librorum, est distinctus ab auctore reliquorum. Praedicti libri dicuntur *Samuel*, non quod Samuel sit eorum auctor; nam Samuel prius mortuus est quam Saul, et in his libris continetur historia fere usque ad mortem David: unde judaei ipsos vocant *Samuel*, quia in utroque libro est aliquid quod ad Samuelem spectat: nam in primo libro agitur de Heli cum quo Samuel vixit, et de Saul, quem regem constituit, in secundo vero texitur historia Davidis, quem Samuel unxit in regem, loco Saulis.

Quatuor hi libri a graecis vocantur, «*quatuor Regum*» (Βασιλειῶν τέσσαρα); ab antiquioribus latinis vocabantur *libri regnorum*, et a junioribus *libri Regum*. (1)

255. Materia in his duobus libris contenta, in tres partes dividi potest:

1.ª (I Reg. a cap. I ad VIII, 22) continent historiam juven-

(1) S. Hierony. *Prolog. Galeat.*

tutis Samuelis; historiam Heli, et facta filiorum ejus Ophni et Phinees. Vaticinatur Heli ruina domus suae; et quidem philisthaei irruunt in hebraeos, et captivam ducunt Arcam: in proelio pereunt duo filii Heli, et hic etiam moritur cum notitiam habuit hujus calamitatis. Philisthaei restituunt Arcam. Propter avaritiam filiorum Samuelis, hebraei postulant regem.

2.ª (I. Reg. a cap. IX v. 1 ad XXXI, 13) refert electionem Saul ad regnandum; etiam quaedam facta Davidis, et postremo mortem Saul. 3.ª pars complectitur totum secundum librum cum suis 24 capitibus, quae historiam continent Davidis, fere usque ad ipsius mortem.

256. Quoad auctorem horum librorum diversae sunt sententiae: quidam dixerunt duos hos libros olim unum opus constituisse cum aliis duobus Regum: sed hoc nullo modo admitti potest, 1.° quia stylus omnino diversus est; nam lingua hebraica duorum priorum librorum satis affinis est linguae Mosaicae, et quosdam archaismos offert, qui ipsorum antiquitatem ostendunt; sed in duobus postremis libris inveniuntur neologismi qui recentiorem aetatem horum librorum arguunt: 2.° quia duo ultima capita libri secundi Regum, sunt quasi appendices quibus auctor videtur finem apposuisse operi. Praeterea, quae David dicit in his duobus capitibus sunt juxta textum (II. Reg. XXIII, 1) «verba David novissima» et tamen in 3.° Regum, videmus Davidem adhuc loquentem; ergo quatuor libri Regum non sunt unius auctoris: et 3.° duo priores libri frequenter citant librum Justorum; sed duo postremi generatim allegant annales Salomonis.

Qui opinionem quam impugnamus sequuntur, nituntur auctoritati S. Joan Chrysostomi, qui putat secundum librum non habere opportunam conclusionem, quia non refert mortem Davidis quapropter huic libro addit priora capita libri tertii.

Respondeo dicendum, finem auctoris secundi libri non fuisse historiam scribere integram Davidis, sed tantum probare et demonstrare hebraeis, Deum confirmasse thronum suum sempiternum in Davide: ad hoc nullus locus aptior ad finem apponendum libro quam Cap. XX, ubi David victa rebelione Absalom, triumphans ingreditur Jerusalem, et denuo constituit suum regnum, novis magistratibus ad hoc electis. Duo sequentia capita, appendices sunt, qui hunc auctoris scopum confirmant.

Supposito ergo quod auctor duorum priorum librorum

distinguatur ab auctore aliorum, quaeritur, quis sit auctor primi et secundi Regum.

Thalmud et S. Gregorius Magnus putant hunc auctorem fuisse Samuel: sed erroneum est dicere Samuel conscripsisse duos integros libros, cum ejus mortem referat lib. I. Cap. XXV, 1. Juxta S. Isidorum, Samuel scripsit primum librum usque ad relationem mortis suae; caetera vero scripta fuere vel ab ipso David vel a Nathan et Gad: et hanc sententiam amplectuntur Thedoretus, Procopius, Cornelius a Lapide, Belarminus et Sixtus Senensis: et fundamentum habet in ipsa Sacra Scriptura: nam I. Paralp. XXIX 29, legitur: «Gesta regis David priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis, et in libro Nathan prophetae et in volumine Gad Videntis.»

Sed mirum est quod in opere a tribus auctoribus exarato, talis existat unitas scopi et styli qualis habetur in his duobus libris. Melius alii dicunt tres praedictos auctores gesta Davidis scripsisse, iisque usum fuisse verum auctorem horum librorum. (1)

Quo tempore hi libri exarati fuerint, est etiam res valde incerta, quamvis probabile sit hoc contigisse aetate Davidis et Salomonis: id videntur innuere narrationes diffusae cum minutissimis etiam circumstantis, character linguae quae magnam antiquitatem exigit, omissio mortis Davidis, et regni florentissimi Salomonis: unde bene dici potest hos libros exaratos non fuisse post Salomonem, neque post Davidem.

Quaedam facta id ipsum confirmant: nam I Reg. Cap. V, 1-5, legimus: «Philisthiim autem tulerunt arcam Dei, et asportaverunt eam a Lapide adjutori in Azotum. Tuleruntque Philisthiim arcam Dei, et intulerunt eam in templum Dagon, et statuerunt eam juxta Dagon. Cumque surrexissent diluculo Azotii altera die, ecce Dagon jacebat pronus in terra ante arcam Domini: et tulerunt Dagon, et restituerunt eum in locum suum. Rursumque mane die altera consurgentes, invenerunt Dagon jacentem super faciem suam in terra coram arca Domini: caput autem Dagon, et duae palmae manuum ejus abscissae erant super limen: porro Dagon solus truncus remanserat in loco suo. Propter hanc causam non calcant

(1) Juxta Tostatum, auctor horum librorum fuit Isaías vel Jeremías, quia I. Reg. XXVII, 6, dicitur civitatem Siceleg fuisse regum Juda *usque in praesentem diem*. Sed haec verba addi potuerunt á Isaía vel ab alio, sicut quaedan addita sunt Pentateucho aliisque libris.

sacerdotes Dagon, et omnes qui ingrediuntur templum ejus, super limen Dagon in Azoto, *usque in hodiernam diem.*» Quae postrema verba innuere videntur, factum de quo agitur adhuc esse recens. (1)

Lib. II, Reg. IV, legimus Berothitas fugisse in Gethaim, ibique fuisse advenae usque ad tempus illud: jam vero, paulo post Berothitae a Davide exterminati sunt; ergo hic liber scriptus est inter Saulem et Davidem.

257. Hi libri omnimodam *fidem historicam* merentur, cum exarati sint ab scriptore facti coaevo, vel saltem usus est documentis editis a prophetis vel aliis auctoribus fide dignissimis. Plura facta quae in his libris narrantur, specialibus nominibus, monumentis, proverbiis et festis confirmata sunt. Praeterea hoc tempore communes erant annales publici; unde scimus, gesta Davidis scripta fuisse in libris prophetarum Samuelis, Nathanis et Gad (I. Paral,. XXIX, 29-30): et haec et similia facta hujus temporis, narrantur in aliis libris, praesertim vero in Psalmis. Cum ergo agatur de

(1) Circa hoc factum audiatur Valbuena: «Los filisteos adoraban en Dagon, á quien levantaron templos en Azoto y Gaza, la fuerza generatriz, como los cananeos la daban culto en sus diversos Baalim; no obstante la religión de los primeros, aunque parecida, no era idéntica á la de los segundos. La forma en que representaban aquellos á su dios era la de hombre-pez, hombre de la cintura arriba y pez en el resto. Así lo representa un bajo relieve asirio del palacio de Sargon, que se conserva en el Museo del Louvre. Félix Lajard describe dos medallas, de las llamadas dóricas de la segunda época, en las cuales aparece Dagon, en la primera con cabeza y brazos de hombre con tronco y extremidades abdominales de delfin, y en la segunda con patas de cuadrúpedo, cabeza de hombre y cola de delfin, llevando ambas un pez en las manos: una tercera corresponde á su esposa *Atergatis* ó *Derketo*, y esta se halla grabada sobre una calcedonia del Museo citado del Louvre; tiene, como Dagon, la parte superior del cuerpo figura de mujer y la inferior de pez: esta diosa tenía su templo en Ascalon.—Viendo el grabado que representa á Dagon, según aparece en el relieve de Khorsabad, se comprende perfectamente lo que nos dice la Escritura, de haber aparecido el ídolo, á la mañana siguiente después de colocar el Arca en el templo filisteo, caído delante de ella, como si quisiera indicar á sus adoradores que él no era dios; y como los filisteos no entendieron la lección, al otro día apareció destrozado el ídolo, con las manos y la cabeza sobre el dintel de la puerta del templo, quedando solo el tronco delante del Arca. El texto hebreo en este pasaje pone, en vez de *truncus Dagon* de la Vulgata, solamente *Dagon*, aludiendo á la forma de pez que tenía el tronco, ya que el pez en hebreo se dice *dag*, y quitadas las manos y la cabeza, quedaba solo un cuerpo de pez.» Op. cit. Lib. V. Cap. III. Art. III.

factis publicis, impossibile est auctorem hujus libri decipere alios voluisse. Accedit ingenuitas ac sinceritas narrationis: gesta enim personarum describuntur qualiter facta sunt, non omissis peccatis filiorum Samuelis, criminibus Davidis: eadem sinceritate narrantur virtutes et vitia, triumphos et infortunia etc. populi hebraici; unde libri de quibus agimus characteres verae legitimaeque historiae habent.

Quoad *fidem divinam*, sufficiat dicere, in Veteri Testamento, hos libros saepissime allegari: in Novo antem Testamento (Matt XII, 1 et seq.) legimus quod cum Pharisaei reprehendissent discipulos Jesu eo quod esurientes vellerent spicas sabbato, Christus Dominus dixit eis: «Non legistis (I, Reg. XXI) quid fecerit David, quando esuriit, et qui cum eo erant: quomodo intravit in domum Dei, et panes propositionis comedit, quod non licebat ei edere, neque his qui cum eo erant, nisi solis sacerdotibus? Deinde Apostolus, (Heb. I, 5) ad litteram adducit haec verba II Reg. VII, 14; «Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium.»

Demum traditio universalis tum judaeorum tum Christianorum confirmat divinam auctoritatem horum librorum.

258. Argumenta contra fidem historicam et divinam: 1.um In primo libro, Cap. I, 9, et III, 15, mentio fit de templo Domini: et tamen, II, Reg VII, 6, legimus adhuc Dominum non habitasse in domo sua.

Quandoque Tabernaculum dicitur, *Domus Domini:* ex citatis vero locis infertur, in Silo fuisse, quasi domum vel templum Domini, quod tamen non erat fixum et stabile, ut in ipso offerri possent sacrificia, sed potius transitorium et accidentale: et hoc est quod significat locus citatus libri secundi Regum.

2.um David philisthaeum Goliath occidit (I Reg. XVII) et tamen paulto post ipse Goliath ab Adeodato occiditur. (II. Reg. XXI.)

Solutio hujus argumenti facilis est: nam hic secundus Goliath fuit frater alterius occisi a Davide ut constat ex I, Paral, XX, 5.

3.um Magnanimitas Davidis erga Saulem et hujus mors diverso modo narrantur duobus in locis horum librorum.

Sed in his, nulla est difficultas: nam David erga Saulem magnanimitate usus est duplici occasione: nempe cum in spelunca Engaddi, praecidit oram chlamydis Saul (I, Reg. XXIV), et cum David tulit hastam et scyphum aquae Saulis dormientis in tentorio Gabaa (I, Reg. XXVI.)

Quoad mortem Saulis, legimus in I. Reg. Saulem occidisse seipsum: et tamen in primo capite libri secundi dictur Saulem occisum fuisse a quodam homine Amalaecita.

Dicendum est hominem Amalaecitam mentitum fuisse, quia magnam aliquam mercedem putavit a Davide esse recepturum. Narratio hujus facti juxta I Par. X, 4, concordat cum narratione libri primi Regum.

4.um Videtur incredibile quod dicitur (II Reg. XII, 30) de pondere diadematis Melchonis regis Ammonitarum et caesariei Absalonis.

Utique pondus diadematis Melchom erat unius talenti auri, fere 40 kilog. quod si de pondere vero et reali intelligatur impossibile videtur quod tum rex Melchom, tum rex David diadema super caput imposuissent: propter quod, quidam putant hic non agi de pondere, sed de valore vel pretio diadematis: alii opinantur, Davidem non tulisse diadema de capite regis humani Melchonis, sed de capite *dei* ammonitarum qui dicebatur Melchom, seu *rex eorum*. Alii demum credunt, Davidem non posuisse illud diadema super caput suum, sed super thronum suum. (1)

Quoad caesariem Absalonis variae dantur sententiae. Juxta textum «Et quando tondebat *(Absalon)* capillum (semel autem in anno tondebatur, quia gravabat eum caesaries) ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis, pondere publico.»

Juxta quosdam, hic agitur de siglo aegyptio: et idcirco ducenti sicli aequivalent 2 kilog. et 1|2, quod inverissimile non videtur, cum Scriptura offerat praedictam caesariem quasi rem extraordinariam. Alii asserunt hic agi de siclo babylonico, qui non nisi tertiam partem ponderis sicli aegyptii habebat; nam putant aliquem hos libros recensuisse post captivitatem babylonicam, quando hebraei non adhibebant nisi siclos babylonicos. Hoc vero pondus inverissimile non est cum non excedat unum kilogramum, maxime si in memoriam revocemus morem orientalium caesariem aromatibus et unguentis componendi.

Tirinus et alii suspicantur, hic non de pondere sed pretio caesariei agi; quod tamen admitti non potest, cum Scriptura dicat «quia gravabat eum caesaris.»

5.um Dicunt Deum injuste egisse cum Bethsamitis, Oza, filiis Saul et cum omni populo propter peccatum Davidis.

(1) Conf. IV Reg. XXIII, 13, et Jerem. XLIX, 1.

Respondebimus per partes: 1.° Legimus I Reg. VII, 19: «Percussit autem de viris Bethsamitibus, eo quod vidissent arcam Domini: et percussit de populo septuaginta viros, et quinquaginta millia plebis. Luxitque populus, eo quod Dominus percussisset plebem plaga magna » Impossibile videtur Deum ita gravite percussisse populum, *eo quod vidisset arcam*, seu propter peccar tum leve,

Sed dicendum est, Deum non percussisse Bethsamitas, quia simpliciter viderunt Arcam; saepissime enim eam viderant Israelitae in deserto, et nemo tamen occidebatur. Igitur Deus percussit Bethsamitas, quia viderunt arcam detractis velis, quod prohibitum erat etiam Levitis sub poena mortis, (Num. IV, 15). Et ex hebraico textu videtur inferri, non modo Bethsamitas vidisse Arcam velis detractis, sed etiam ipsam Arcam aperuisse vana curiositate vel pietate male intellecta.

Quoad numerum mortuorum, constat ex Vulgata, textu graeco LXX et chaldaico, Deum occidisse 70 viros de populo et 50.000 plebis, non modo Bethsamitarum sed etiam aliarum regionum vicinarum, qui venerant, ut viderent Arcam.—Juxta Tostatum omnes a Deo occissi non fuerunt nisi septuaginta viri; ita ut sensus versiculi sit, «ex 50.000 virorum, *qui aderant*, Deus percussit 70.»

2.° Percussio Ozae (II Reg. VI) videtur etiam injusta.

Dico hanc percussionem minime fuisse injustam. Nam in primis:

Arca portari debebat super humeros levitarum familiae Caath (Num. IV. 15). Oza vero contra hanc legem, posuit Arcam super plaustrum novum. Cum vero manum extendit ad Arcam sustinendam ne caderet, contra aliam legem fecit quae prohibebat levitis Arcam tangere sub poena mortis. (Num. IV. 19). Ergo percussio Ozae fuit justa.

Tostatus aliique interpretes putant, percussionem Ozae fuisse tantum temporalem, vel quia ejus peccatum fuit leve, vel quia de eo poenituit.

3.um Etiam injusta videtur mors filiorum Saul.

Ex ipsa relatione biblica infertur, illam mortem non fuisse injustam. «Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter: et consuluit David oraculum Domini. Dixitque Dominus: Propter Saul, et domum ejus sanguinum, quia occidit Gabaonitas. Vocatis ergo Gabaonitis, rex dixit ad eos: (Porro Gabao-

nitae non erant de filiis Israel, sed reliquiae Amorrhaeorum: filii quippe Israel juraverant eis (*quod eos non occiderent*) (1), et voluit Saul percutere eos zelo, quasi pro filiis Israel et Juda.) Dixit ergo David ad Gabaonitas: Quid faciam vobis? et quod erit vestri piaculum, ut benedicatis hereditati Domini? Dixeruntque ei Gabaonitae: Non est nobis super argento et auro quaestio, sed contra Saul, et contra domum ejus; neque volumus ut interficiatur homo de Israel. Ad quos rex ait: Quid ergo vultis ut faciam vobis? Qui dixerunt regi: Virum, qui attrivit nos et oppressit inique, ita delere debemus, ut ne unus quidem residuus sit de stirpe ejus in cunctis finibus Israel. Dentur nobis septem viri de filiis ejus, ut crucifigamus eos Domino in Gabaa Saul, quondam electi Domini. Et ait rex: Ego dabo.... Tulit itaque rex duos filios Respha filiae Aia, quos peperit Sauli, Armoni, et Miphibosetti: et quinque filios Michol filiae Saul, quos genuerat Hadrieli filio Berzellai, qui fuit de Molathi. Et dedit eos in manus Gabaonitarum: qui crucifixerunt eos in monte coram Domino: et ceciderunt hi septem simul occisi in diebus messis primis, incipiente messione hordei.» Ex qua narratione satis apparet, Davidem egisse a Deo inspiratum.

4.um Demum injustus apparet Deus plectendo totum populum propter peccatum David, et hic etiam non recte egit, eligendo plagam non sibi soli nocentem, sed communem omni populo.

Cap. XXIV, libri II. Reg. legimus Davidem jusisse censum fieri totius populi: hoc vero Deo displicuit; nnde propheta Gad, Dei nomine, dixit Davidi: aut septem annis veniet tibi fames in terra tua aut tribus mensibus fugies adversarios tuos, et illi te persequentur; aut certe tribus diebus erit pestilentia in terra tua. David vero elegit hanc ultimam plagam, et immisit Dominus pestilentiam in Israel, et mortui sunt septuaginta millia virorum.

David hanc ultimam plagam elegit, quia brevior erat quam aliae: quod si etiam populus est plexus, hoc ideo factum est, quia cognito censu, etiam et ipse, peccato superbiae et elationis peccavit, sicut et David. Et etiamsi populus immunis fuisset ab hoc peccato, tamen vere peccavit quando surrexit adversus regem ut sequeretur Absalom.

Praeterea, quamvis secunda plaga quadammodo levior vi-

(1) Jos. IX, 15.

deatur, quia non nisi regi noceret, tamen fatendum est, talem plagam gravissima in omnem nationem mala secum laturam esse. (1)

PARS EXEGETICA.

259. Quomodo exponatur hic locus (I Reg. XIII. 1) «Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset, duobus autem annis regnavit super Israel. —260. Qua ratione David vere dici potuit (I Reg. XIII, 14) «vir secundum cor Dei» cum tamen immanium delictorum fuerit auctor.—261. Quo sensu dicatur (I Reg. XVIII, 10) «Invasit spiritus malus Saul, et *prophetabat* in medio domus suae.—262. Quomodo haec loca concilientur; (I Reg. XV, 33) «Non vidit Samuel ultra Saul usque in diem mortis suae.» et (I Reg. XIX, 24.) «Et prophetavit (nempe Saul) cum caeteris coram Samuele.—263. Quid dicendum de Pythonissa Endor, et de apparitione animae Samuelis.— 264. Quo sensu Deus de Salomone dicat (II Reg. VII, 15) «Misericordiam meam non auferam ab eo» cum tamen Salomon probabiliter damnatus sit.

259. Cum ex Scriptura constet, Saul electum fuisse in Regem, cum jam esset saltem viginti annorum aetatis, et probabiliter quadraginta annis regnasset, ¿quomodo legitur I Reg. XIII, 1 «Filius unius anni erat Saul cum regnare caepisset, duobus autem annis regnavit super Israel.»

Juxta S. Hieronymum, Paraphrasim Chaldaicam, Tostatum et alios, sensus hujus versiculi hic est: *Sicut filius unius anni morum innocentia et animi puritate, erat Saul cum regnare coepisset: et in eadem innocentia et animi puritate duobus annis regnavit super Israel.*

(1) Quoad numerum virorum Israel et Juda, quaedam dantur differentiae inter hunc librum et I. Paral.: nam juxta II. Reg. XXIV, 9: Dedit ergo Joab numerum descriptionis populi Regi, et inventa sunt de Israel *octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladium;* et juxta I Paral. XXI, 5: «Inventus est omnis numerus Israel mille millia, et centum millia virorum educentium gladium.» Variae dantur huic difficultati solutiones: sed «Verisimilius cum Abulensi dicendum videtur, ait Wouters, quod totus libro I. Paralp. allegatus numerus, Davidi fuerit relatus, qui subditorum multitudine superbiens, jussit per ordines, et familias atque Tribus poni singulos in diariis, et historiis suis; Ubi vero deventum est ad numerum in hoc libro. Reg. relatum, incepit plaga Domini, et tunc Rex supersedendum duxit, et ab incepto destitit. Ex his autem diariis Auct. lib. II. Reg. verisimilius collegit numerum suum: sed Esdras in libro I Paralip. totum posuit catalogum Joab.—Difficultas alia est, quod hic v. 9 dicatur: *Et de Juda quingenta* millia pugnatorum, ubi I Paralip. XXI, v. 6 tantum numerantur *de Juda quadringenta septuaginta millia bellatorum.*—Sed haec discrepantia sic tolli potest, quod lib. I

Alii conjungunt sensum hujus versiculi, cum sensu versiculi sequentis unde sensus sit: *Cum jam Saul egisset primum regni sui annum, et cum peregisset secundum, elegit tria millia hominum* etc. Quidquid sit, evidentissimum est verba *unius anni*, et *duobus annis*, sensu obvio et litterali intelligi non posse, ut ex ipsa Scritura patet.

260. ¿Qua ratione David vere dici potuit (I. Reg. XIII, 14) «vir secundum cor Dei» cum adulterii, aliorumque delictorum fuerit auctor? «Verba illa, juxta SS. Patres et celeberrimos interpretes, ait Schouppe, tripliciter exponi posunt: 1.° David dicitur *vir secundum cor Dei*, quia Dei voluntates fecit ut plurimum, nec ab iis deflexit nisi de exceptione. Quae explicatio congruit cum iis quae leguntur (III, Reg. XV, 5), Davidem scilicet non declinasse ab omnibus quae praeceperat ei Deus, *excepto sermone Uriae Hethaei*.—2.° Quia si peccavit aliquando, peccata sua insigni poenitentia expiavit; ideoque adhuc vocari meruit *vir secundum cor Dei*.—3.° Quia Dei voluntates fecit, Deoque obedivit in iis omnibus, quae ad regni bellorumque administrationem pertinebant: quae res in citato loco praecipue respicitur.

Ita ut sensu respectivo, non absoluto, verba illa intelligi possint.» (1)

261. Quis sit sensus hujus loci: «Invasit spiritus malus Saul, et *prophetabat* in medio domus suae.» (I Reg. XVIII, 10)

Vox *prophetare* in Scripturis non modo significat futura praedicere, sed etiam divinas laudes canere, Scripturas exponere, miracula patrare, occulta quamvis non futura videre etc. Sed de his alibi: In praesenti textu, *prophetare* idem est ac in Deum blasphemare; vel etiam *insanire*, seu a maligno spiritu agitatus, prophetas imitari.

Paralip. tantum numerentur illi, qui non erant specialiter in servitio Regis David, v. g. in aula ejus ministrantes, custodes corporis etc. quorum numerus facile ascendere potuit ad 30.000, quae addita sunt hoc libro Reg. sicque nulla est contradictio.» Op. cit. In II. Reg. XXIV, Quaest. I.—Alia etiam datur discrepantia inter praedictos libros: nam juxta Reg. XXIV, 13, Gad dixit Davidi «Aut *septem annis* veniet tibi fames in terra tua, aut tribus mensibus etc.»: et in I. Paral. XXI, 11-12, legimus: «Elige quod volueris, aut *tribus annis* famem etc.» Corn. a Lapide, Sanctius et alii dicunt Deum primam propositionem, orante Gad aut Davide, mitigasse et redegisse ad tres annos.

(1) *Curs. Scrip. Sac.* P. II. Sec. I.

262. Quomodo haec loca concilientur: (I Reg. XV, 23) «Non vidit Samuel ultra Saul, usque in diem mortis suae»: et (I Reg. XIX, 24) «Et prophetavit (*nempe Saul*) cum caeteris coram Samuele.»

Juxta textum LXX, non legitur *coram Samuele,* sed *coram ipsis.* Sed etiam admissa prima lectione, sensus est, Samuelem, post bellum adversus Amalaecitas, non amplius Saulem invisisse, honoris gratia, vel consilium ferendi causa, ut antea facere solebat. Nam verbum *videre*, quandoque significat *invisere*, ut I Reg. XX. 29, dum David dicit: «Vadam et videbo fratres meos.»

263. Pythonissa Endor, fuit Pseudo-Prophetissa a diabolo inspirata. Nam ut ait S. Hieronymus; «Quomodo adversus Prophetas Pseudo-Prophetae inspirabantur diabolico spiritu, ita adversus Prophetissas inspirabantur daemoniaco spiritu aliae ejusdem sexus: hinc dicunt Hebraei, maleficis artibus eruditas necromantias et pythicum spiritum imitatas esse Prophetissas, qualis fuit illa, quae visa est suscitasse animam Samuelis» (1)

Quoad apparitionem animae Samuelis, Tertulianus et alii veteres putarunt ipsum daemonem apparuisse in specie Samuelis. Alii docent animam Samuelis non apparuisse, sed ipsum Deum respondisse, vel per se vel per angelum sub specie Samuelis.

Sed verior est opinio eorum qui dicunt, animam Samuelis vere apparuisse, quamvis non in corpore proprio, sed ficto ex alia materia.

Eccli: XLVI, 23, in laudem Samuelis dicitur: «Et post haec dormivit, et notum fecit Regi, et ostendit illi finem vitae suae, et exaltavit vocem suam de terra in Prophetia delere impietatem gentis.» Ex quibus verbis sic argumentor: ille qui dormivit, notum fecit Regi: atqui qui dormivit fuit Samuel et non alius: ergo.

Praeterea, in ultima parte versiculi, in laudem Samuelis dicitur, post mortem *prophetasse:* hoc vero dici non potuit, si ille qui apparuit fuit non Samuel sed diabolus.

Haec est etiam sententia fere omnium Patrum.

Adversarii hoc argumentum proponunt: Qui Sauli apparuit, dixit ei: «Cras tu, et filii tui mecum eritis» (XXVIII, 29);

(1) *In Cap.* XIII, *Ezech.*

sed Samuel erat in limbo justorum: Saul vero iturus erat in locum damnatorum: ergo qui apparuit fuit diabolus.

Verba illa *mecum eritis*, tantum significant *mortui eritis*.

Nunc quaeritur, utrum anima Samuelis suscitata fuerit per incantationem pythonissae et virtute daemonis.

Negative respondendum est: nam daemon nullum jus nec imperium habebat in animam Samuelis: haec ergo suscitata fuit, virtute Dei.

264. Quo sensu Deus dicat de Salomone (II. Reg, VII 15) «Misericordiam meam non auferam ab eo», cum tamen Salomon probabiliter damnatus sit?

Respondeo promissionem Dei fuisse conditionatam, nempe si Salomon persevarasset in bonis operibus.

Caput XVIII

De libris 3.° et 4.° Regum.

PARS CRITICA.

265. Historia his libris contenta.—266. Inter hos libros vera datur unitas.--267. Opiniones quoad aetatem et auctorem ipsorum. Probabile est hunc auctorem fuisse Jeremiam.—268. Fides historica et divina his libris debita. —269. Sequentia solvuntur objecta: Falsum est et absurdum videtur quod in his libris dicitur: 1.° de extensione imperii Salomonis; 2.° de victu quotidiano domus suae: 3.° de equorum numero; 4.° de pecuniis in templi constructione expensis; 5.° de defectione Salomonis non obstante ejus coelesti sapientia. 6.° de destructione exercitus Sennacherib : 7.° de assumptione Eliae per currum igneum: et 8.° de retrocessione umbrae solis in horologio Achaz.—270. Quaedam difficultas chronologica solvitur.

265. Hi duo libri ab alexandrinis vocantur «Libri regum»; antiquitus latini eos vocabant «Libri regnorum»; sed a tempore S. Hieronymi praevaluit mos graeeorum. Judaei eos appellant «Et rex David» ex initialibus verbis primi libri: et etiam «Liber regum» quia ex duobus unum faciebant librum.

Continent historiam 427 annorum, ab initio regni Salomonis (1015) ad annum 37 captivitatis Jechoniae (588). Dividi commode potest in tres partes: 1.° (III. Reg I, 1 ad XI, 43) quae refert mortem Davidis, et historiam regni Salomonis usque ad hujus mortem: 2.ª (III. Reg. XII, 1 ad IV Reg. XVII, 41), nempe historia schismatis et duorum regnorum usque ad

captivitatem decem tribuum; et 3.ª historia regni Juda usque ad 37 annum captivitatis Jechoniae.

Juxta mentem auctoris, in his libris potius fit historia theocratica quam politica: hinc quod auctor consideret gesta regum, praesertim sub adspectu religioso, et quod tam frequenter commemoret actionem Dei supernaturalem vi prophetarum, qui plures fuerunt in regno Israel, eo quod saepius a lege defecisset.

266. Quidam ostendere conantur, hos libros scriptos fuisse a diversis auctoribus diversae aetatis; sed demonstrari potest, auctorem horum librorum fuisse unum idemque: 1.° quia scopus utriusque libri est unus, scilicet ostendere expletionem promissionis Dei ad David, cum dixit ei: «Cumque complecti fuerint dies tui et dormieris cum patribus tuis suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de utero tuo, et firmabo regnum ejus. Ipse aedificavit domum nomini meo, et stabiliam thronum regni ejus usque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, et ipse erit mihi in filium, qui si inique aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, et in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli a Saul, quem amovi a facie mea.» (1); quae quidem promissio in omnibus regibus, de quibus hic fit historia adamussim adimpletur 2.° quia in utroque libro, cum de rebus militaribus vel politicis agitur, vel omnino omittuntur, vel tantum narrantur quando opportuna sunt ad scopum religiosum; et demum 3.° omnes fatentur stylum horum librorum esse omnino identicum, exceptis parvis differentiis, quae ex eo proveniunt, quod auctor usus fuisset diversis documentis.

Ut ostendant adversarii, non unum eumdemque esse auctorem horum librorum, his rationibus nituntur: 1.ª III Reg. VIII, 8, dicitur adhuc templum extitisse «usque in praesentem diem»; et IX, 21, Jebusaeos fuisse tributarios «usque in praesentem diem»; et tamen quando hi libri exarati sunt, nec templum existebat, neque Jebusaei erant tributarii.

Respondendum est, auctorem horum librorum sicut et auctor Paralipomenon, adhibuisse formulas quas invenit in documentis quibus usus est. Cornely negat omnino *minorem* argumenti. (1)

(1) II Reg. VII, 12-15.

(1) Conf. *Op. cit. De lib. histor.* V. T. Dissert. I. Sect. II. Cap. V.

2.ª Ratio adversariorum haec est: III. Reg. XXI, loquitur Elias ad Achab dicens: «In hoc loco *(in vinea Naboth Jezraelitae)*, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum» et cap. XXII, 38, Achab sanguinem canes linxisse Samariae, et corpus Joram filii ejus ejectum fuisse in vineam Naboth Jezraelitae.

Quidam dicunt, Deum aliquamtulum mutasse praedictionem Eliae propter poenitentiam regis. Quidquid sit, verum est canes linxisse sanguinem Achab in vinea Naboth; nam sanguis filii est sanguis patris.

267. Probata jam unitate auctoris horum librorum nunc quaeritur quis fuerit hic auctor. Quidam putant Ezechiam, vel alium ejus jussu vel Isaiam hos libros scripsisse: sed haec opinio rejicienda est, cum plura inveniantur in libro IV Regum, posteriora temporibus Ezechiae et Isaiae. Nec dici potest, haec ab alio deinceps addita fuisse: tunc enim negatur unitas auctoris quam supra ostendimus.

Calmet hos libros tribuit Esdrae, sed absque fundamento; nam Esdras non omississet narrationem finis captivitatis et reaedificationis templi. Igitur hi libri, justa probabiliorem sententiam, exarati sunt durante captivitate, eorumque auctor fuit Jeremias.

Probo 1.° quia ait S. Isidorus Hisp.: «Malachim totum edidit Jeremias, nam antea sparsus erat per singulorum regum historias.» (1)

2.° S. Isidori sententiam amplectuntur Thalmud et plures rabbini: quoad scriptores christianos, veteres fere omnino silent de auctore horum librorum; sed inter recentiores, Wouters, Caminero, Cornely, Fernandez aliique, hos libros tribuunt Jeremiae.

3.° Quia si Jeremias non fuisset horum librorum auctor, incredibile est quod ejus nomen et gesta omittantur in libris in quibus summa diligentia narrantur facta prophetarum. Et haec ratio majorem adhuc vim obtinet, si consideretur, ultimis annis captivitatis Jeremiam magnam habuisse auctoritatem etiam in rebus politicis, ut ex Paralipomenis constat.

4.° Quia postremum caput prophetiae Jeremiae, in quo agitur de expugnatione Jerusalem a Nabuchodonosore, de morte

(1) *De Offic. eccl.* Lib. I. Cap. XII.

Sedeciae et de liberatione Joachim, in omnibus simile est postremo capiti 4.[i] libri Regum.

5.° Quia in his libris, sicut et in Jeremia frequentes inveniuntur allusiones ad Pentateuchum, quae quidem fiunt fere iisdem verbis.

6.° Quia stylus librorum Regum et Jeremiae, juxta omnes identicus est, neque inveniuntur chaldaismi et aramaismi, qui in usum fuerunt post captivitatem.

7.° Quia a liberatione vel exaltatione regis Joachim, jam non allegantur ut prius, libros *verborum dierum regum Israel aut Judae, vel Salomonis* quibus generatim utitur auctor horum librorum; quod sufficienter ostendit illorum auctorem plura referre quae ipse vidit, vel plura facta fuisse ipsi coaeva.

8.° Ostendi potest, hos libros exaratos fuisse, ante vigesimum annum post expugnationem Jerusalem. Nam ultimo capite IV Regum, legimus regem Evilmerodach honorasse regem Joachim anno 37 captivitatis, quae respondet anno 19 post expugnationem Jerusalem. Nunc vero, Evilmerodach, non regnavit nisi duobus annis, et cum nihil de sua morte in his libris dicatur, pronum est colligere, illos exaratos fuisse hoc biennio. Praeterea haec verba, (IV. Reg. XXV, 29); «Et mutavit vestes ejus (nempe regis Joachim), quas habuerat in carcere, et comedebat panem semper in conspectu ejus cunctis diebus vitae suae» videntur innuere Joachim obiisse, praedicto biennio Evilmerodach.

Adversus nostram opinionem, quidam dicunt, auctorem horum librorum scripsisse in Babylonia; sed Jeremiam numquam in Babylonia fuisse. Sed verba «trans flumen, seu Eupratem» quibus nituntur, ambigua sunt in sermone hebraico, cum regionem cis vel trans fluvium aliquem designare possint, ut ostendit Cornely. (1) Deinde fere nihil scimus de ultimis Jeremiae annis; nam etiamsi quidam Patres dicant hunc Prophetam martyrii coronam consecutum fuisse in Aegypto, juxta veterem Judaeorum traditionem, Nabuchodonosor, anno 29 regni sui, cum Aegyptum occupasset, Jeremiam cum Baruch transtulit in Babyloniam.

Aliud adversariorum argumentum contra nostram propositionem est aetas Jeremiae: nam cum Jeremias accepit donum

(1) Op. cit. de 2.° et. 3.° Reg.

publicum prophetiae, haberet saltem 25 annos; hoc vero contingit anno 13 Josiae; si ergo scripsit post liberationem seu exaltationem Jechoniae seu Joachim, habebat, saltem 90 annos, quod inverissimile videtur, si de publico scriptore agatur.

Sed dici optime potest, Jeremiam scripsisse, cum captivitas incoepisset regis Joachim, et jam senio confectus caput ultimum addidisse in quo agitur de libertate illius regis.

Omnes hae rationes, non evidenter ostendunt Jeremiam fuisse auctorem horum librorum; tamen hanc opinionem valde probabilem esse demonstrant.

268. Fides historica his libris deneganda non est; quia magna pars eorum quae in ipsis narrantur, desumpa est ex annalibus publicis, nempe ex libris «verborum dierum Salomonis» «verborum dierum Juda» «Israel» qui quidem libri magna gaudent auctoritate, eo quod scripti fuerint a Samuele, Gad et Natham, ut legimus 2. Paral. XX 34, XXXII, 32; et quidem plura de quibus in his libris fit mentio, non nisi ex his annalibus desumi potuerunt, ut ea quae ad censum populi, ad gradus militiae, numerum mortuorum in proeliis, quantitatem praedae, orationem Salomonis in dedicatione templi, etc. etc. spectant.

Praeterea omnimodam fidem historicam merentur libri illi, quorum absoluta conformitas cum historia et monumentis authenticis aliarum gentium in dubium revocari nullatenus potest. Rationalistae, quidem contrarium ostendere conantur: sed inventiones archaeologicae, nostris temporibus in Aegypto et Assyria factae, eorum vanas assertiones in nihilum redigunt.

Demum si consideres, gesta regum minutim referri, modo prospera modo adversa, quin omittantur defectus regum dignissimorum, satis apparet, hos libros exaratos fuisse ab scriptoribus vel scriptore sinceritate et veracitate praeditis.

Quoad *fidem divinam* sufficiat innuere hos libros, saepissimae allegari in V. T. (Psal L, LI, LIII, LVI, LVIII, LIX, LXII, LXXXIII; Os. VI, 6; Eccli. XLVIII, et XLIX, et in N. T. Christus Dominus proponit pharisaeis exemplum Naamam Syrii ad ostendendam Dei providentiam etiam erga infideles: et Apostolus ad Rom. XI, 3 et seq. ad litteram adducit quaedam verba III Reg. XIX, 10.

Demum libri de quibus est quaestio a judaeis et christianis ut canonici semper habiti sunt.

269. Nunc solvemus adversariorum argumenta adversus fi-

dem historicam et divinam horum librorum: 1.um Falsum est quod dicitur de extensione vel amplitudine imperii Salomonis.

Quoad amplitudinem regni Salomonis, legimus III, Reg. IV, 21: «Salomon autem erat in ditione sua, habens omnia regna a flumine terrae Philisthiim usque ad terminum Aegypti.» Hunc locum, C. a Lapide et alii sic exponunt, ut Salomon habuisset saltem ut tributaria illa regna a flumine, seu Euphrate, terram Philisthiim, et omnia regna intermedia usque ad terminum Aegypti.

2.um «Erat autem (III, Reg. IV, 22-23) cibus Salomonis per dies singulos triginta coris similae (150 fanegas de flor de harina) et sexaginta cori farinae (300 de harina común); decem boves pingues, et viginti boves pascuales, et centum arietes, excepta venatione cervorum, caprearum, atque bubalorum, et avium altilium.»

Haec quantitas cibi prima fronte videtur excesiva et incredibilis: non vero si consideres Salomonem habuisse mille uxores vel concubinas cum suis famulabus: quibus si addas optimates aulae regiae, custodes, famulos etc. qui magno numero erant, nemini videbitur incredibile quod tanta quantitas cibi quotidie in domo Salomonis sumeretur.

3.um «Et habebat Salomon (III, Reg. IV, 26) quadraginta millia praesepia equorum currilium, et duodecim millia equestrium.»

Quidam putant hic librarios (copistas) aequivocatione aliqua laborasse. Quidquid sit ex Paralipomenis constat Salomonem habuisse 1.400 currus praeter plures alios qui ad bellum destinabantur; non est ergo mirum quod tam ingentem numerum praesepium habuisset Salomon.

4.um Dicitur III Reg. VI, 2, templum Salomonicum habuisse sexaginta cubitos in longitudine, viginti in latitudine, et triginta cubitos in altitudine; et tamen in aedificatione templi adeo parvi impendisse 100.000 talenta auri (328.000 arrobas de oro) et 1.000.000 talenta argenti (3.280.000 arrobas de plata) (III Reg. X, 11, V-VII: 1 Paral. XXII, 14-16, XXIX, 4-7): hoc vero incredibile videtur.

Dicendum est Salomonem has immensas divitias obtinuisse diversis modis et mediis, qualia fuerunt tributa, dona voluntaria, praedae bellicae, patrimonium regium et commercium terrestre et maritimum. Praeterea hujusmodi divitiae non ab ipso Salomone tantum acquisitae fuerant: nam I, Paralip. XXII, 14, dicit David Salomoni: «Praeparavi impensas domus Domini, auri talenta

centum millia, et argenti mille millia talentorum.» Certum est templum potius fuisse parvum quam amplum, sed considerandum est ad ipsius aedificationem adhibita fuisse lapides et ligna pretiosissima, et insuper omnes parietes interiores templi coopertos fuisse laminis aureis et argenteis. Demum Salomon praedictas divitias non impendit tantum in aedificatione templi, quia simul extruxit suum palatium, praesepia, habitationes pro concubinis, sacerdotibus eorumque familiis, custodibus militaribus et plura alia cubicula.

5.um Incredibile videtur Salomonem coelesti sapientia ornatum ita defecisse ut idololatriam amplecteretur.

Qui aptam responsionem huic argumento invenire velit, consulat seipsum et historiam progeniei Adam peccatoris, et quaelibet defectio credibilis videbitur ipsi.

6.um Legimus 4.° Regum XIX, 35: «Factum est igitur in nocte illa, venit Angelus Domini, et percussit in castris Assyriorum centum octoginta quinque milia.»

Cum rationalistae hoc factum negare non possint, ipsum explicare contendunt aut vi pestilentiae, vel impetu ventis urentis, aut quadam plaga murium; haec vero omnia ridicula sunt. Rationalitius est admittere actionem supernaturalem Dei in exercitum Sennacherib, qui non semel in Deum blasphemavit, et populo Dei multa mala irrogavit.

7.um Lib. IV. Reg. II. 11, legimus: «Cumque pergerent *(nempe Elias et Elisaeus)*, et incedentes sermocinarentur, ecce currus igneus, et equi ignei diviserunt utrumque: et ascendit Elias per turbinem in coelum.»

Hoc falsum videtur his tantum qui actionem Dei supernaturalem non agnoscunt.

Juxta Corn. A Lapide currus et equi non vere ignei fuerunt: sed erat nubes splendida, angelorum ministerio in formam currus equorumque statuta, quae accepit Eliam, illumque duxit, ita ut in curru sedere ac vehi videretur: sicut columna ignis in deserto, non verae ignea fuit, sed splendida instar ignis fulgentis. (1)

8.um Lib. IV Reg. XX, 9 et seq. legimus: «Cui ait Isaias: Hoc erit signum a Domino, quod facturus sit Dominus sermonem, quem locutus est: vis ut ascendat umbra decem lineis: an

(1) *In Lib. Numer.* IX. 15.

ut revertatur totidem gradibus? Et ait Ezechias: Facile est, umbram crescere decem lineis: nec hoc volo ut fiat, sed ut revertatur decem gradibus. Invocavit itaque Isaias propheta Dominum, et reduxit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio Achaz, retrorsum decem gradibus.»

Adversarii putant, hic agi de vera retrogressione solis, quae secum afferret magnam perturbationem in systemate planetario. Sed nos dicimus, ad illum effectum de quo hic agitur non fuisse necessariam retrogressionem solis, sed tantum refractionem radiorum solarium in horologio. Re quidem vera, Ecclesiasticus et Isaias supponunt veram solis retrogressionem, sed locuti sunt juxta vulgarem sententiam.

370. Auctor horum librorum videtur chronologiam adamussim texere regum Juda et Israel, et tamen a primo anno Regis Roboam, qui est primus annus schismatis usque ad sextum Ezechiae qui fuit ultimus regni Israel, apparent 240 anni pro regno Israel, et 261 pro regno Juda: unde datur discrepantia 21 annorum. Major adhuc evadit difficultas juxta quamdam novam chronologiam assyriacam, ex qua infertur ex chronologia regum Juda et Israel deducendos esse saltem quadraginta annos.

Ad has discrepantias conciliandas, diversa systemata inventa sunt. Nobis hujusmodi conciliatio probabilis videtur: 1.° quia in regno Israel fuerunt probabiliter unum vel duo interregna: 2.° quia in quibusdam regibus annus incoeptus numeratur ut annus completus, et in aliis e contra: 3.° quia nonnulli reges quodam spatio temporis simul regnaverunt, ut Azarias et Joatham: et fortasse anni horum regnorum ut successivi numerantur: 4.° demum non esset temerarium has differentias chronologicas aequivocationibus librariorum tribuere.

Quoad chronologiam assyriacam, res adhuc non est certa, cum plures sint assyriologi qui affirment, quasdam in hac chronologia dari lacunas, quae nemo explicare aut replere potuit. (1)

(1) Conf. Cornely. op. cit. de 3 et 4 Reg.

PARS EXEGETICA.

271. Quo sensu dicatur (3.° Reg. III, 12) Salomonem omnes sapientia superasse; cum tamen ipso sapientiores fuissent Adam, Moyses et B.ª V. Maria. 272. Utrum ex his verbis Elisaei (4.° Reg. III, 15) «Adducite mihi psaltem; cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini» deducatur spiritum prophetiae vi naturali tribuendum esse. 273. An David peccaverit dum morti proximus Salomoni imperavit ut Joab et Semei occideret. —274. Quomodo intelligitur quod Salomon aedificaret templum quin malleus et securis aut aliud instrumentum ferreum audirentur.—275. ¿Mentitus est propheta Michaeas dum Regi Achab dixit (3.° Reg. XXII, 15) «Ascende et vade prospere (in urbem Ramoth Galaad) et tradet eam Dominus in manu Regis» et tamen Achab in proelio periit?—276. Quomodo concilientur haec loca: (3.° Reg. VIII, 9.) «In arca autem non erat aliud nisi duae tabulae lapideae quas posuerat in ea Moyses in Horeb» et (ad. Heb. IX, 4.) «In qua arca erat urna aurea habens manna et virga Aaron quae fronduerat et tabulae Testamenti.—277. Similiter concilientur haec alia: (3.° Reg. XV, 14.) «Excelsa autem non abstulit.» (nempe Reg. Asa, et II Paral. XIV, 2) «Subvertit (Asa) altaria peregrini cultus et excelsa.»—278. Quae doctrina practica deducenda sit ex consilio quod iniit rex Roboam cum senibus et adolescentibus.

271. Hic agitur de scientia tantum naturali: nullum autem est inconveniens in hoc quod dicatur, Salomonem in scientiis naturalibus et politicis, Adam, Moysem et ipsam B. Virginem superasse. Quidam tamen hoc restringunt ad reges Israel.

272. Utrum ex his verbis Elisaei (4.° Reg. III, 15) «Adducite mihi psaltem; cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini,» inferatur spiritum prophetiae vi naturali tribuendum esse.

Utique propheta sibi adducere jussit unum ex his qui in divinis laudibus canebat cum psalterio: hoc autem fecit propheta, ut qui aderant sublimiorem conciperent ideam Majestatis divinae, et seipsum praepararet ad recipiendum spiritum propheticum. Sic S. Gregorius, M. in Ezech.

273. An David peccaverit, dum morti proximus Salomoni imperavit ut Joab et Semei occideret.

Dicendum est Davidem non peccasse: nam Joab injuste occiderat Abner et Amasam: David vero non statim plectit Joab, quia hic multa praeclara fecit pro patria et praesertim pro persona Davidis. Sed nullatenus crimen manere debebat impune, ne sanguis insontium vindicaretur a Domino in familia Davidis; et idcirco imperavit Salomoni ut crimen Joab puniret.

Quoad Semei scimus, ipsum publice maledixisse regem Davidem: sed quia descendit Davidi in occursum cum transiret

Jordanem, David juravit ei per Dominum, dicens: *Non te interficiam gladio*. David juramentum absolvit: sed cum praevideret mala publica quae evenire poterant, si illud crimen relinquebatur impune, ut majestatem regiam ab omni insultatione immunem redderet, praecepit Salomoni ut interficeret Semei.

274. Quomodo intelligitur quod Salomon Templum aedificaret quin malleus et securis aut aliud instrumentum ferreum audirentur?

Facile intelligitur, si consideremus omnia elementa lapidea, argentea, lignea etc ad templum necessaria, alibi praeparata et perpolita fuisse. Neque tamen textus, sensu omnino litterali intelligendus est.

275. ¿Mentitus est propheta Michaeas dum regi Achab dixit, 3.° Reg. XXII, 15, «Ascende et vade prospere (*in urbem Ramoth Galaad*) et tradet eam Dominus in manu regis,» et tamen Achab in proelio periit?

Propheta Michaeas non est mentitus, sed tantum locutus est ironice alludens ad prophetas Baal, quos consuluerat Achab, et regi promisserant expugnationem civitatis. Et Achab quidem intellexit Micheam locutum fuisse ironice; nam illi dixit: «Iterum atque iterum adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est in nomine Domini.»

276. Quomodo concilientur haec loca: 3.° Reg. VIII, 9. «In Arca autem non erat aliud nisi duae tabulae lapideae, quas posuerat in ea Moyses in Horeb.» et ad Heb. IX, 4. «In qua Arca erat urna aurea habens manna et virga Aaron quae fronduerat et tabulae Testamenti.»

Nulla datur contradictio inter haec duo loca: nam Apostolus alludit ad tempora non Salomonis sed Moysis, quando omnia praedicta in Arca servabantur. Juxta Estium, loco praepositionis *in*, legi debet *prope:* jam vero, scimus etiam tempore Salomonis, virgam et urnam fuisse prope Arcam.

277. Similiter concilientur haec alia: 3.° Reg. XV, 14, «Excelsa autem non abstulit» *(nempe rex Asa)*, et II. Paral. XIV, 2, «Subvertit *(Asa)* altaria peregrini cultus et excelsa.»

Neque ulla datur hic contradictio, nisi apparens: nam primo loco agitur de altaribus, in quibus ante aedificationem Templi, quandoque offerebantur sacrificia vero Deo: sed in alio loco sermo est de altaribus idolorum. Itaque Asa subvertit haec altaria, non autem illa.

278. Ex consilio quod iniit Roboam cum senibus et adolescentibus, infertur: 1.° in rebus et factis quae cum humano corde intime connexa sunt, consilium ab his peti et accipi debere, quibus diuturna experientia vitae patefecit secreta, et miserias et aberrationes cordis humani. 2.° in regendo populo magna prudentia utendum esse, ita ut secundum diversa rerum adjuncta, diversum sit etiam exercitium jurium auctoritatis; nam tum extrema benignitas, tum imperium despoticum jura auctoritatis in periculum vertunt. ¡Utinam principes nostrae aetatis, haec in suis cordibus et mentibus insculperent!

Caput XIX

De libris Paralipomenon.

PARS CRITICA.

279. Quomodo judaei et Alexandrini hos libros appellarent. Num distingui debeant a quibusdam annalibus antiquis regum Judae et Isrraelis.—280. Brevis expositio eorum quae in his libris continentur.—281. Judicium Sti. Hieronymi de necessitate hos libros discendi ad studium sacrae Scripturae. — 282. Ostenditur auctorem Paralipomenon probabiliter fuisse Esdram.—283. Sequentes solvuntur objectiones: 1.ª In Esdrae canone, Paralipomena postremum locum occupant: 2.ª Chaldaismi sunt valde frequentes: 3.ª Posteri remotissimi Zorobabelis recensentur: 4.ª in his libris mentio fit de odio inter judaeos et israelitas, cui locum dedit aedificatio templi in monte Garizim quae omnia auctorem Esdrae multo posteriorem postulant. —284. Ostenditur fides historica et divina horum librorum.

279. Hi duo libri apud Judaeos, unum tantum librum constituebant, et ipsum vocabant *Verba seu res gestae dierum* (crónicas). Alexandrini hos libros appellarunt Παραλειπόμενα, *paraleipomena*, idest *praetermissa* seu *supplementa*, quia in eis quaedam narrantur omissa in libris Regum. Hoc sensu intelligunt S S. Chrysostomus et Isidorus praedictum nomen graecum.

Tamen stricte loquendo, dici nequit, hos libros non esse aliud quam compendium librorum Regum, vel eorum supplementum. Nam in Paralipomenis quaedam narrantur quae in libris Regum continentur sed alia omittuntur, alia habentur omissa in Regum libris, et non nulla demum diverso modo describuntur.

Libri Paralipomenon confundi non debent, cum quibusdam vetustissimis annalibus seu chronicis regum Judae et Is-

rael quae perierunt: nam auctor Paralipomenon saepe alludit ad illos annales, quod satis demostrat hos libros et illos annales inter se distingui. Quidam putant, fortasse libros Paralipomenon esse quasi compendium illorum Annalium.

280. Primus liber habet 29 capita, et alter 36; tota haec historia, in tres partes dispesci potest: 1.ª a cap. I ad X primi libri, ubi exponuntur genealogia Patriarcharum ab Adamo ad Jacob et hujus posteritatem; et genealogia Saul, usque ad bellum cum philisthaeis et mortem Saul in montibus Gelboe: 2.ª a cap. XI ad XXIX, postremum primi libri, fit historia regni David, et innuitur elevatio Salomonis ad thronum; 3.ª complectitur totum secundum librum, qui continet historiam Salomonis et regum Judae usque ad decretum Cyri, vi cujus Judaei obtinuerunt libertatem. Quandoque aliqua, quasi per accidens dicuntur de regibus Israelis.

281. S. Hieronymus ad commendandam lectionem et studium horum librorum, ait in Epist. ad Paulinum: «Paralipomenon liber, id est, Istrumenti Veteris epitome tantus ac talis est, ut absque illo, si quis scientiam Scripturarum sibi voluerit arrogare, se ipsum irrideat. Per singula quippe nomina junctura-sque verborum et praetermissae in regum libris tanguntur historiae et innumerabiles explicantur Evangelii quaestiones.

282. Si non omnino certum, saltem probabilissimum est, auctorem horum librorum fuisse Esdram, qui post reditum ex captivitate Babylonica, spiritu Dei actus, compilavit omnia quae in diariis et annalibus Judae a prophetis et sacerdotibus coaevis scripta fuerant. Hanc sententiam amplectuntur Thalmudistae, S. Isidorus Hisp, Tostatus, Sixtus Senensis, et omnes recentiores scriptores.

Certum est, hos libros exaratos fuisse post captivitatem: nam in fine secundi libri apparet decretum liberationis a Cyro editum.

Nunc vero juxta Tostatum, talis est affinitas locutionis et styli inter hos libros et Esdrae librum, praesertim in allusionibus ad Pentateuchum, descriptionibus officiorum levitarum, et genealogiarum, ut non aliter explicari possit quam omnes hos libros, uno auctori, nempe Esdrae tribuendo. Paeterea finis secundi libri Paralipomenon, et initium libri primi Esdrae iisdem fere verbis exarata sunt. Et quidem, sic finitur Lib. 2 Paral.: «Anno autem primo Cyri Regis Persarum ad explendum sermonem Domini, quem locutus fuerat per os Jeremiae suscita-

vit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum: qui jussit praedicari in universo regno suo, etiam per Scripturam, dicens: Haec dicit Cyrus Rex Persarum. Omnia regna terrae dedit mihi Dominus Deus coeli, ipse praecepit mihi ut aedificarem ei domum in Jerusalem, quae est in Judaea: Quis ex vobis est in omni populo ejus? Sit Dominus Deus suus cum eo, et ascendat.»

Liber vero Esdrae sic incipit: «In anno primo Cyri Regis Persarum ut compleretur verbum Domini ex ore Jeremiae, suscitavit Dominus spiritum Cyri Regis Persarum: Et traduxit vocem in omni regno suo etiam per Scripturam dicens: haec dicit Cirus Rex Persarum: Omnia regna terra dedit mihi Dominus Deus Coeli, et ipse praecepit mihi ut aedificarem ei domum in Jerusalem, quae est in Judaea. ¿Quis ex vobis de universo populo ejus? Ascendat in Jerusalem etc.» Ergo satis probabiliter dici potest, auctorem horum librorum fuisse unum eumdemque, nempe Esdram; cum nemo neget hunc scripsisse librum qui suo nomine insignitur.

Deinde scopus auctoris in Paralipomenis et in 1.° Esdrae idem omnino est, et quidem duplex: scilicet, omnibus familiis redeuntibus ex captivitate, terras illas distribuere, quae a suis progenitoribus possessae fuerant: ad hoc, summa diligentia texuit genealogias Patriarcharum; et non semel tantum genealogias Juda, Benjamin et Saul.

Alter scopus, et quidem praecipuus, fuit cultum divinum restituere in pristinum statum, juxta leges et caeremonias a Deo praescriptas per Moysem, et deinceps per Davidem et Salomonem. Ad id consequendum, describit genealogiam filiorum Levi, templum, vasa, festa, sacrificia, oblationes etc. etc. Haec vero identitas scopi, identitatem auctoris arguit; qui quidem non alius fuit nisi Esdras, cum nemo majorem quam ille auctoritatem haberet super sacerdotes et levitas et super omnem populum, ad res civiles et religiosas denuo instaurandas juxta pristinam consuetudinem.

Praeterea, cum agitur de thesauris a Davide et Salomone cummulatis ad aedificationem templi, mentio fit quarumdam monetarum, quas Genesius appellat *daricas*. Jam vero scimus, aetate Esdrae hanc monetam in usum fuisse, vel saltem notam fuisse, mnime vero aetate Alexandri Magni. Hoc dicimus adversus eos qui asserunt libros nostros exaratos fuisse aetate Alexandri.

Ex testimonio Josephi et universalis traditionis judaicae, scimus, Canonem Librorum Sacrorum clausum fuisse aetate Esdrae; et tamen in hoc Canone libri Paralipomenon inveniuntur, et semper ut proto-canonici habiti sunt. Ergo hi libri non sunt posteriores Esdrae.

Praeterea custodes seu janitores templi qui apparent I. Paral. IX, 17 18, iidem sunt qui hoc munere fungebantur tempore Nehemiae, Neh. XII, 25-26; ergo hi libri exarati sunt aetate Nehemiae, qui fuit Esdrae coaevus.

Postremo, probari potest hos libros conscriptos fuisse ante librum Esdrae: nam particula *et* qua hic liber incipit, et decretum Cyri, primo capite contentum satis sufficienterque ostendunt, librum Esdrae esse continuationem Paralipomenon.

Quidam supponunt, auctorem horum librorum fuisse multo anteriorem Esdrae, quia quoad res, personas et facta anteriora captivitati, adhibetur formula «usque in praesentem diem.»

Sed ex hoc tantum infertur, auctorem usum fuisse antiquis documentis quae ad litteram transcripsit.

283. Juxta alios, hi libri exarati sunt aetate multo posteriori Esdrae: et has rationes afferunt: 1.ª In Canone Esdrae, libri Paralipomenon postremum occupant locum; ex quo infertur eos posteriores esse omnibus libris Canonis Esdrae: 2.ª Frequentes chaldaismi etiam auctorem Esdrae posteriorem postulant.

Ad primum dicendum in Canone Esdrae libros Paralipomenon postremum locum non occupasse; sed Thalmudistae illos in hoc loco posuerunt, quia hoc opportunum duxerunt ad Canonem, ut ita dicam claudendum, cum libri Paralipomenon sint quasi synthesis historiae Veteris Testamenti usque ad captivitatem.

Ad 2.um dicendum in omnibus scriptoribus agiographis posterioribus captivitati, frequenter inveniri chaldaismos: et in eis praecipue libri Paralipomenon affines sunt libro Esdrae.

3.ª Objectio. In 1.° Paral. III. 19-21 fit genealogia posteritatis Zorobabel usque ad undecimam generationem: hoc vero fieri non potuit ab Esdra qui fuit coaevus Zorobabel.

Resp. Simplex quidem lectio Vulgatae et Versionis Alexandrinae, huic erroneae interpretationi occasionem praebet. Sed ex textu hebraico evidenter apparet, hic non fieri genealogiam, nisi usque ad nepotes Zorobabel. Omnes aliae genealogiae ad

diversas spectant praecipuas familias coaevas Zorobabel, ejusque familiae fortasse propinquas.

Et quidem, juxta textum hebraicum, Zorobabel fuit pater Hananiae (inter alios filios): Hananias fuit pater Jeseiae: hic autem, juxta textum hebraicum, non dicitur pater Raphaiae; sed cum perventum fuerit ad Jeseiam, sacer textus sequitur «filii Raphaiae, filii Arnan etc; designando praecipuas familias.

Demum versio syriaca non concordat, nec cum textu hebraico, neque cum versione Alexandrina et Vulgata. Ergo hic locus est nimis obscurus ut nihil ex ipso deduci possit quoad aetatem librorum Paralipomenon.

4.ª Objectio. In his libris manifestum fit odium Judaeorum in Israelitas, cujus causa fuit aedificatio templi in monte Garizim.

Resp. Hoc odium extitisse ab initio sehismatis, ut ex libris Regum abunde constat: crevit quidem, cum Nehemias non permisit Samaritanis in aedificationem templi partem habere.

284. Fidem historicam horum librorum negant de Wette, Gramberg et plures rationalistae, sed absque ullo fundamento. «Adversariis nostris cuncta sunt pessima: *nil nisi errores,* ait *Dahler* acatholicus, *ineptias, negligentiae et fraudis turpissimae specimina videre sibi* (Wette) *visus est, et miram sagacitatem ira mire fefellit. Quam inique erga chronographum affectus fuerit vel ex eo perspicitur quod multa, quae in bonam partem accipi seu excusari saltem possunt, semper in deteriorem partem detorqueat: quod quae librariorum negligentiae alibi tribuuntur, ea huic auctori crimini dare malit; et quod sicubi ab auctore librorum Samuelis et Regum dissentit, nusquam ostendat probabiliorem esse sententiam chronographi, sed semper huic inferiorem partem tribuat*» (*De h. lib. auct. et fid. histor. p. 2*)» Quae a *protestante* dicta quid valeat Wette judicium ira inspiratum facillime manifestant.»

Itaque probatur fides historica horum librorum. Quoad genealogias, plures ex illis identicae sunt aliis quae in Genesi et diversis libris Veteris Testamenti inveniuntur exceptis quibusdam differentiis minoris momenti. Aliae genealogiae desumptae sunt ex quibusdam documentis nobis ignotis: sed etiam his genealogiis omnimoda fides historica adhibenda est, nam simplex lectio horum librorum sufficit ut intelligamus, omnes genealogias magna cum diligentia contextas fuisse: hoc probat, quod sacerdotes redeuntes ex captivitate, ut a sua dignitate

non privarentur, ostendere debuissent suam tabulam genealogicam: unde Cap. II, 61-62. Esdrae legimus, aliquos sacerdotes in familiam sacerdotalem receptos non fuisse, quia praedictam tabulam genealogicam non ostendebant.

Hanc ipsam credibilitatem seu fidem historicam demonstrant fontes ad quos saepissime alludit auctor: tales sunt chronica seu Annales regum Judae et Israelis a Samuele, Gad, Nathan et aliis prophetis conscripta, quaeque durante captivitate vel paulo post compilata sunt. Haec vero chronica magnam habent auctoritatem historicam, eo quod sint documenta publica.

Demum narrationes rerum gestarum quae in his libris continentur, concordant cum identicis narrationibus aliorum librorum, praesentim Regum: unde negatio auctoritatis historicae Paralipomenon secum negationem ferret auctoritatem plurium aliorum librorum, quae tamen auctoritas in dubium revocari nequit.

Quoad fidem divinam, abundant testimonia ex his libris deprompta apud Esdram, Machabaeos, Lucam, Paulum ad Rom, Hebr., Galat, Corint. et Matth. XXIII, 35, ubi Christus loquitur de Zacharia, filio Barachiae, occiso inter templum et altare: quod quidem testimonium desumptum est, juxta S. Hieronymum, ex II Paral. XXIV, 20 et seq.

Demum tum antigua Synagoga, tum Ecclesia Catholica, hos libros semper in suo canone habuerunt.

Si libri hi cum libris Regum et aliis comparentur, quaedam differentiae inveniuntur, in quibusdam nominibus genealogiarum: sed cuique patet, hoc non esse sufficiens motivum ad divinam inspirationem Paralipomenon negandam; cum hujusmodi differentiae probabiliter incuriae librariorum tribuendae sint.

PARS EXEGETICA

285. Quomodo regi Joram litterae Eliae afferri potuerunt (II Paral. XXI 12) cum Elias sub rege Josaphat, Jorami patre, in coelum raptus fuerit.?—286. Quomodo haec loca concilientur (II Paral. XXXVI. 9.) Octo annorum erat Joachim cum regnare coepisset» et (IV Reg. XXIV, 8) «Decem et octo annorum erat Joachim cum regnare coepisset.—287. Quae doctrina practica inferre licéat ex his verbis (II Paral XII. 1.) «Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, dereliquit legem Domini».—288. Exponatur hic locus: (II. Paral. XV. 3)» Transibunt autem multi dies in Isrrael, absque vero Deo, et absque sacerdote doctore, et absque lege.

285. Legimus II. Paral. XXI, 12: «Allatae sunt autem ei

(Joramo) litterae ab Elia propheta etc.»: ¿quomodo hoc fieri potuit, cum Elias jam raptus fuerat in coelum sub rege Josaphat, Jorami patre.

Quidam dicunt, Eliam priusquam in coelum raperetur, spiritu prophetico cognovisse futuram impietatem regis Joram, et ideo hanc epistolam scripsisse eamque Elisaeo tradidisse, ut tempore opportuno eam daret Joramo.

Alii putant, hunc Eliam non esse Thesbitem, sed alium prophetam ejusdem nominis; fortasse ipsum Elisaeum, qui juxta Vatablum, hoc nomine vocari potuit, quia recipiens Eliae pallium, recepit et duplicem ejus spiritum, miraculorum scilicet et prophetiae.

Alii demum censent, has litteras e loco in quem raptus est Elias, allatas fuisse ab angelo sub humana specie. Et hanc sententiam sic probat Wouters: «Quia in textu dicitur absolute: *Allatae sunt ei* (Joram) *litterae ab Elia Propheta*. Jam vero voces illae eductionem e loco, ab ipsa persona potius quam litteras personae designant. Si enim istae literae antea scriptae fuissent, non diceretur proprie: *Allatae sunt ei litterae ab Elia Prophetae*, sed dicendum fuisse videtur: *Allatae sunt ei litterae Eliae Prophetae*. Adde, quod missio harum litterarum habeatur tamquam res magna, insolita, horribilis, et portentosa, qua magis percelleretur impius Joram, et ab impietate revocaretur. Atqui tam insolita, et horribilis non esset, nisi e loco, in quo degit Elias, missae fuissent.» (1)

286. Quomodo haec loca concilientur: (II. Paral. XXXVI, 9) «Octo annorum erat Joachim cum regnare coepisset.» et (IV Reg. XXIV, 8) «Decem et octo annorum erat Joachim cum regnare coepisset.»

Juxta Thalmudistas, Tirinum et alios, Joachim ab octavo anno regnare coepit cum patre: sed ab anno decimo octavo regnavit solus. Similis difficultas ocurrit inter II. Paral. XXII, 2, ubi legitur: «Quadraginta duorum annorum erat Ochozias cum regnare coepisset» et IV Reg. VIII, 26, ubi legimus: «Viginti duorum annorum erat Ochozias cum regnare coepisset.»

Ad concilianda haec loca, quidam dicunt, Ochoziam ab anno aetatis suae vigessimo regnasse simul cum patre, spatio viginti annorum: et ab anno quadragessimo secundo regnasse solum.

(1) Op. cit. In II. Paral. Cap. XXI, Quaest. II.

In Polyglotta Regia, et in textu syriaco et arabico, legitur *viginti duorum annorum*; propter quod quidam putant, librarios confudisse litteram (caph) quae aequivalet 20, cum littera (mem) quae aequivalet 40. Sed juxta omnes, haec conciliatio est dificillima.

287. Quae doctrina practica inferre liceat ex his verbis (II. Paral. XII, 1). «Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, dereliquit legem Domini.»

Ex his et sequentibus verbis hujus capitis Paralipomenon infertur, omnia bona hujus mundi, puta salutem, divitias, scientiam, imperium etc totidem esse Dei dona et beneficia quae homini debent esse motivum non elationis sed humiliationis: Deum autem ferrea manu punire et humiliare iis qui hujusmodi donis superbe abutuntur; ut contigit Roboam quem Deus tradidit in manus inimicorum: ¡Quot reges et principes terrae his praesertim nostris temporibus, multitudine subditorum, exercituum et divitiarum elati, Dei indignationem provocant! Sed Deus non irridetur.

288. Exponatur hic locus, (II Paral. XV, 3). «Transibunt autem multi dies in Israel, absque vero Deo, et absque sacerdote doctore, et absque lege.»

Juxta Tostatum, haec propetia impleta est, ante captivitatem Babylonicam, cum decem tribus omnesque reges Israel idololatriam secuti sunt, quosque plures ex Regibus Juda, ut Joram, Ochozias, Athalia, Achaz, Manasses, Amon, Joachim et Sedecias imitati sunt.

Alli dicunt, hanc prophetiam impletam fuisse tempore captivitatis Babylonicae qua Judaei fuerunt spatio septuaginta annorun, sine cultu Dei, sine Templo, et sine functionibus sacerdotalibus, sacrificiis etc.

Demum juxta alios, haec prophetia impleta est post destructionem templi Jerusalem a Tito et Vespasiano, ex quo tempore, judaei vere existunt dipersi per orbem terrarum, sine sacrificio, nec sacerdotio, neque templo, neque altari, cum haec omnia in Nova Lege abrogata sint.

Caput XX

De libris Esdrae et Nehemiae.

PARS CRITICA

289. Quis fuerit Esdras.—290. Libri Esdrae et Nehemiae habebanturne antiquitus in uno volumine?—291. Quid contineat liber Esdrae.—292. Ostenditur auctorem hujus libri fuisse Esdram.—293. Quod in hoc libro de Esdra in tertia persona agatur, ipsique laudes tribuantur sufficit ut compositio hujus libri abjudicetur Esdrae?—294. Scopus auctoris.—295. Historica et divina auctoritas hujus libri.—296. Notitiae biographicae Nehemiae. —297. Ipsius libri descriptio.—298. Scopus auctoris.

289. Esdras vir piissimus et celeberrimus apud Judaeos, erat de familia magni sacerdotis Saraias, qui ductus est in captivitatem et occisus a Nabuchodonosor. Sub Rege Cyro, jam Zorobabel ab hoc rege obtinuerat licentiam ad aedificationem templi. Anno vero septimo Artaxerxis Longimani, obtentis a rege magnis muneribus et thesauris pro aedificatione templi et etiam regio decreto ut omnes vicinae provinciae, suis muneribus ad id ipsum contribuerent Esdras venit in Jerusalem una cum 1.596 viris, et res prospere succedit. Praecipue restaurationem divini cultus procuravit, et in hunc finem Legem Dei coram populo legit spatio octo dierum: prohibuit matrimonia cum alienigenis: Canonem sacrorum Librorum formavit, et juxta nonnullos, scripturam quadratam primus adhibuit in libris Sacris. Judaei Esdram vocant «Principem Doctorum Legis, et quidam eum comparant cum Moyse. Juxta Josephum Flavium, Esdras mortuus est in Palaestina: juxta traditionem judaicam, in Persia.

290. Antiquitus libri Esdrae et Nehemiae unum opus constituebant ut testantur Josephus, Melito Sard, Origenes, S. Epiphanius, S. Hieronymus et Thalmudistae: Massoretae diviserunt hoc opus in duos libros. Juxta modernos criticos, veteres judaei ex his duobus libris unum tantum composuerunt, ut numerus librorum adaequaret numero litterarum alphabeti hebraici.

Nunc praedicti libri vocantur «libri Esdrae»; sed in Canone Concilii Tridentini, secundus liber dicitur «Nehemias»

Dantur etiam alii duo libri qui dicuntur 3.^{us} et 4.^{us} Esdrae,

sed sunt apocryphi, et ideo Ecclesia eos non recepit in suum Canonem.

291. Liber Esdrae dividi potest in duas partes: prima finitur in Cap. VI ubi agitur de Templi dedicatione: deinde datur quaedam lacuna 56 annorum ab anno septimo Darii H. ad septimum Artaxerxis Longimani, ubi continuatur historia usque ad caput decimum, quod est ultimum libri.

Synthesis hujus historiae haec est: Cyrus rex edit decretum liberationis captivorum, et ex his 5.400 viri redeunt in Jerusalem, duce Zorobabele, et post erectionem altaris et celebrationem festi tabernaculorum, jaciuntur fundamenta novi templi Samaritani, quos Zorobabel noluit recipére ut partem etiam haberent in aedificatione Templi, precibus et mendaciis obtinent intermittere labores judaeorum spatio 14 annorum; sed ad exhortationes Aggaei et Zachariae denuo incoeptae sunt. Darius confirmat decretum reaedificationis Templi, et hoc opus finem accipit anno sexto praedicti regis. Judaei celebrant dedicationem Templi septem diebus. Esdras vi decreti Artaxerxis Longimani, transit in Jerusalem cum pluribus sociis secum ferens pretiosa munera ad ornatum templi. Cum Esdras sciret, plures hebraeos duxisse in matrimonium alienigenas jubet haec matrimonia dirimi; cum judaei promississent uxores alienigenas dimittere, fit ab Esdra catalogus eorum qui hujusmodi matrimoniis conjuncti erant et designantur hi qui pro impletione praedictae promissionis vigilassent.

292. Quoad auctorem hujus libri, Spinoza, de Wette et alii rationalistae absque ullo fundamento affirmant hunc librum conscriptum fuiisse aetate Machabaeorum. Sed Thalmudistae et omnes Patres et critici catholici et etiam non catholici hunc librum tribuunt Esdrae, et haec veritas probatur: 1.° quia saltem a Cap. VII, 28 ad IX, 15, exaratum fuit ab ipso Esdra, cum de illo agatur in prima persona: jam vero stylus hujus fragmenti simillimus est et identicus omni narrationi libri; ergo magna cum probabilitate liber hic tribuendus est Esdrae.

In confirmationem hujus veritatis dicendum est, scopum hujus libri esse instaurationem divini cultus in pristinum suum splendorem: sed non est credibile ipsum Esdram scriptis non consignasse ea quae ad hoc spectabant, cum haec fuerit ipsius missio, nempe restauratio divini cultus.

Praeterea, traditio judaica, nimis quidem exaggerans Esdrae

merita, ipsi tribuit plures libros: nam supponit Esdram memoriter scripsisse omnes libros illos, quia omnes perierant: nunc vero, hujusmodi traditio, procul dubio aliquid veritatis habet: si vero negetur Esdram fuisse auctorem hujus libri, nullus alius ipsi tribui potest potiori cum fundamento.

Demum minutiosa narratio eorum quae in hoc libro continentur, auctorem postulant coaevum.

293 Adversarii ut negent auctorem hujus libri fuisse Esdram; dicunt de ipso hic agi in tertia persona.

Sed hoc argumentum nullius roboris est, cum saepissime auctores librorum de seipsis in tertia persona loquantur: si praedictum argumentum verum esset, negare deberemus Moysem fuisse auctorem Pentateuchi.

Adversarii etiam dicunt, hunc librum non esse Esdrae, eo quod huic in ipso libro laudes tribuantur: ex. gr. Cap. VII, 6: «Ipse Esdras ascendit de Babylone, et ipse scriba velox in lege Moysi, quam Dominus Deus dedit Israel: et dedit ei rex secundum manum Domini Dei ejus super eum, omnem petitionem ejus.»

Dicendum est, hic stricte loquendo non agi de veris laudibus, sed tantum de honore, ut ita dicam civili: ut cum nos aliquas personas vocamus *Excellentissimas*, *Illustrissimas* etc.

294. Scopus hujus libri, fere idem est ac Paralipomenon nempe instauratio divini cultus in pristinum splendorem: tamen aliqua datur differentia; nam in Paralipomenis Esdras hortatur concives suos ut readificationi Templi et civitatis operam dent; in hoc vero libro, proposito exemplo illorum ex captivitate redeuntium, qui superatis omnibus difficultatibus, pro aedificatione Templi et civitatis laborarunt, hortatur omnes coaevos suos, ut instaurata retineant, eisque praebeant incrementum. Unde Esdras scripsit Paralipomena pro suis coaevis: librum vero, qui suo nomine insignitur, pro futuris,

295. Cum in hoc libro nec miracula nec prophetiae narrentur, rationalistae nihil fere contra ipsum proponunt.

Probatur fides historica hujus libri: 1.° quia magna ejus pars non est nisi compilatio documentorum, genealogiarum, decretorum regiorum etc. quae omni fide digna sunt.

2.° Quia facta quae hic narrantur confirmata sunt ab historia profana, et inscriptionibus, quae cuneiformes dicuntur,

quaeque in regionibus assyriis et persicis nostris his temporibus inveniuntur.

3.° Demum pietas et sinceritas auctoris, hujus libri characterem historicum confirmant.

Quoad fidem divinam, numquam mentio fit de hoc libro in Novo Testamento, quod nemini mirum esse debet, cum omnis fere liber Esdrae non sit nisi collectio vel catalogus genealogiarum et decretorum: in quibusdam libris deuterocanonicis Veteris Testamenti videtur allusiones fieri ad hunc librum; sed non omnino certae sunt.

Quidquid sit, testantur divinam ispirationem hujus libri universalis traditio judaeorum, et auctoritas ecclesiae Catholicae.

296. Nehemias filius Helciae, ex tribu Levi, et juxta alios ex tribu Juda, natus est Babylone durante captivitate; et obtinuit dignitatem pincernae regis Ataxerxis Longimani. Cum sciret labores judaeorum interruptos esse in aedificatione Templi Jerusalem, obtinuit a Rege decretum pro reaedificatione templi et civitatis Jerusalem et ut nemo hunc laborem impediret. Itaque transiit in Jerusalem, et innumera sacrificia vero Deo obtulit. Decrevit ut omnes principes et optimates populi residerent in civitate, et etiam decima pars tribus Levi.

Sicut Esdras, prohibuit matrimonia cum alienigenis, et ad ordinem religiosum et politicum firmiter stabiliendum renovavit foedus cum Deo, coram principibus et universo populo. Rediit in urbem regiam et post aliquos annos transiit denuo in Jerusalem, ubi plura pro bono religionis et patriae fecit; et postquam praefuisset populo triginta annis, mortuus est in Jerusalem.

297. Complectitur hic liber tredecim capita, et dividi potet in tres partes: 1.° quae constat septem primis capitibus, narrat civitatis restaurationem, non obstantibus difficultatibus, quas apponebant regiones vicinae: 2.ª in tribus sequentibus capitibus, quae secundam partem constituunt agitur de renovatione foederis cum Deo facta per documentum publicum, cui subscripserunt Nehemias et omnes optimates populi: 3.ª quae complectitur Cap. XI et magnam partem XII, narrat restaurationem politicam, dedicationem murorum Jerusalem, et demum continet catalogum Sacerdotum, Levitarum et familiarum quae venerant cum Zorobabele, et etiam Summorum Sacerdotum et Levitarum qui fuerant aetate Esdrae et Nehemiae. Ultimi

versiculi cap. XII et totum cap. XIII, efformant quamdam appendicem de reditu Nehemiae e Babylonia, et labores ejus, ad corrigendos abusus qui aderant in administratione negotiorum publicorum, in decimis, in Festis et in matrimoniis cum alienigenis.

298. Certum est auctorem hujus libri fuisse Nehemiam: saltem prima septem capita et ultimum caput libri non posunt Nehemiae abjudicari cum in illis de Nehemia agatur in prima persona. Jam vero, ita identicus est stylus horum capitum, et caeterorum libri, ut vera esset temeritas ea omnia non uno auctori adscribere.

Praeterea universalis traditio judaeo-christiana, semper hunc librum Nehemiae tribuit, illumque ut divinitus inspiratum habuit.

Scopus vero Nehemiae in hoc libro conscribendo fuit instauratio divini cultus, et reaedificatio Templi et civitatis.

PARS EXEGETICO—CRITICA.

299. ¿Quomodo Esdrae cap. IV. v. 6. dicitur Assuerum esse regem Persarum et v. 7., hunc regem fuisse Artaxerxem, cum constet tunc regem Persarum fuisse Cambysem?—300. Quo sensu cap. V. v. 1 dicitur Addo fuisse patrem Zachariae, cum ex Zacharia, cap. I. v. 1.° Addo fuisse patrem Barachiae et avum Zachariae constet?—301. Videtur librum qui nomine Nehemiae insignitur, non fuisse ab hoc auctore conscriptum: quia usque ad Massoretarum tempus unum cum Esdra opus constituebat.—302. Deneganda est huic libro fides historica et divina; 1.° Quia Esdras mortuus est ante adventum Nehemiae e Babylonia, et tamen cap. VIII et IX. Esdras apparet ut comes Nehemiae: 2.° quia proponit ut coaevos Darium Codomanum, Jeddoa (qui vixit Alexandri tempore) Sannaballath, Nehemiam et Zorobabelem.--303. Num edictum Cyri fuerit adimpletio alicujus prophetiae.

299. Caput IV, v. 6, Esdrae, legimus tunc regem Persarum fuisse Assuerum, et versu sequenti dicitur, hunc regem Persarum fuisse Artaxerxem: et tamen ille rex fuit Cambyses.

Certum est quidem illum regem fuisse Cambysem, qui tamen in lingua chaldaica vocabatur Assuerus, et in lingua persica Artaxerxes: haec enim erant nomina communia omnium regum in praedictis regionibus, ut *Pharao* apud aegyptios et Augustus apud romanos.

Quidam dicunt Artaxerxem v. 7, esse distinctum ab Assuero, et fuisse, magum quemdam persicum, qui se finxit fratrem regis Cambyses, et quibusdam mensibus regnavit.

300. Cap. V, v. 1, Esdrae dicitur Zachariam fuisse filium Addo, et tamen ex Zacharia, cap. I, v. 1, constat Addo fuisse patrem Barachiae et avum Zachariae.

Juxta morem hebraicum, *filii* dicuntur non modo illi qui ab aliquo *immediate* descendunt, sed etiam qui *mediate* ut ex. gr. nepotes: plura hujusmodi exempla in Sacris Scripturis inveniuntur.

301. Quibusdam videtur, librum qui nomine Nehemiae insignitur non fuisse ab hoc auctore conscriptum quia usque ad Massoretarum tempus unum cum Esdra opus constituebat unde duo hi libri adscribi debent Esdrae.

Hoc argumentum probat nimis, es ideo nihil probat, nam eodem jure ac adversarii nos possemus hos duos libros adscribere Nehemiae. Praeterea scimus, judaeos ex his duobus libris unum confecisse, non propter unitatem auctoris, sed propter unitatem finis: et insuper ut numerum Sacrorum librorum accommodarent numero litterarum alphabeti.

302. Adversus fidem historicam et divinam libri Nehemiae, haec argumenta afferunt adversarii: 1.um Esdras mortuus est ante adventum Nehemiae e Babylonia, et tamen cap. VIII et IX, Esdras apparet ut comes Nehemiae.

Respondeo, Esdram mortuum esse ante secundum adventum Nehemiae e Babylonia, non vero ante primum adventum; unde nihil mirum quod Esdras appareat in Jerusalem una cum Nehemia.

2.um In hoc libro et in praecedenti proponuntur ut coaevi Darius Codomanus, Jeddoa qui vixit aetate Alexandri et Sanaballat ejusdem aetatis: et juxta XII, 47, Nehemiae, Zorobabel et Nehemias fuissent coaevi: haec vero omnia falsa sunt.

Darius, de quo agitur in I Esdrae, non est Darius Codomannus qui victus fuit ab Alexandro, sed Darius Nothus, filius vel nepos Artaxerxis Longimani. Cum vero sacerdos Jeddoa appareat simul cum Dario, quidam putant, hunc Darium fuisse Codomannum, et idcirco Nehemiam usque ad hanc aetatem, id est, plus minusve 130 annis vixisse quod probabile non videtur.

Sacerdos Jeddoa vel Jaddo qui recepit Alexandrum in Jerusalem, potuit adhuc juvenis cognoscere Nehemiam jam senem, et cum ipse etiam factus est senes, recipere potuit Alexandrum. Nonnulli putant, Jaddo vel Jeddoam de quo loquitur Josephus Flavius, distingui a Jaddo nostri libri: et versus 10 et 11 cap. XII, additos fuisse ab auctore agiographo, tempore Pontificis Simonis, qui vocabatur Justus.

Aetate Alexandri quidem apparet vir nomine Sanaballat Horonites, cujus filiam duxit in matrimonium, ille sacerdos Manasses qui templum aedificavit in Monte Garizim: in libro Nehemiae II, 10, apparet etiam quidam Sanaballat Horonites, qui nomine regis erat praeses Samariae. Sed hic agitur de duabus personis distinctis, quae idem nomen habuerunt. Alter fuit minister Darii Nothi, alter vero Darii Codomanni: confusio ex hoc provenit, quod Josephus Flavius asserat, ultimum regem Persarum ab Alexandro devictum, fuisse Darium Nothum, quod tamen falsum esse ex historia patet.

Ex his verbis Nehemiae XII, 46, «Et omnis Israel, in diebus Zorobabel, et in diebus Nehemiae dabant partes cantoribus et janitoribus per singulos dies» adversarii inferunt Zorobabelem et Nehemiam fuisse coaevos. Sed hoc absque logica, et absque ullo alio fundamento fieri perspicuum est.

303. Num edictum Cyri fuerit adimpletio alicujus prophetiae. Liberatio judaeorum post septuaginta annos captivitatis, praedicta fuerat a Jeremia his verbis: Et erit universa terra haec in solitudinem et in stuporem, et servient omnes gentes istae regi Babylonis septuaginta annis. Cumque impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super regem Babylonis, et super gentem illam dicit Dominus, iniquitatem eorum, et super terram chaldaeorum: et ponam illam in solitudines sempiternas.» (XXV, 11-12). Et alibi idem Propheta scribit: «Quia haec dicit Dominus. Cum coeperint impleri in Babylon eseptuaginta anni, visitabo vos: et suscitabo super vos verbum meum bonum, ut reducam vos ad locum istum.» (XXIX, 10).

Caput XXI

De libro Tobiae.

PARS CRITICA.

304. Materia hoc libro contenta.—305. Auctor hujus libri.—306. Lingua. 307. Num hic liber vere sit historicus.—308. Ejus divina auctoritas.—309. Sequentes solvuntur objectiones: 1.ª Cap. I. v. 18, dicitur Salmanasari successise filium suum Sennacherib, et tamen inter utrumque regnavit Sargon: 2.ª supponitur civitas Rages existens, cum tamen juxta Strabonem multo post aedificata fuerit a Seleuco Nicatore: 3.ª Cap. III. v. 7, dicitur

Saram habitare Rages, sicut etiam Gabelus: et statim Cap. VI., 6 et IX. 3 legitur Tobiam juniorem cum esset Rages, mississe Angelum in Rages ut pecuniam a Gabelo acciperet.—310. Incredibilia videntur, ea quae dicuntur de morte maritorum Sarae, de liberatione Tobiae junioris, de curatione Tobiae senis, etc...

304. Hic liber quatuordecim capitibus constat, et hanc continet historiam.

Tobias, filius Tobiel, erat ex tribu et civitate Nepthali: habuit filium ejusdem nominis, cui verbo et exemplo in viam mandatorum Dei ambulare docuit. Ductus fuit in captivitatem a Salmanasare rege Assyriorum. Tobias in hoc misero statu numquam a Lege declinavit, propter quod Deus, quasi mercedem ipsi procuravit amicitiam cum Salmanasare, qui eum cummulavit divitiis quas impendebat in favorem pauperum. Salmanasari successit filius suus Sennacherib qui ira flagrans adversus judaeos ob terribilem stragem sui exercitus, Tobiam omnibus bonis spoliavit. Ad ejus patientiam probandam, Deus permissit ut fieret caecus. Bonis et auxiliis omnibus destitutus, et arbitratus sibi finem vitae instare, missit filium suum in civitatem Rages, ut quamdam pecuniam jam pridem Gabelo mutuo datam, ab eo acciperet. Tobiae quidam juvenis, seu potius Raphael Archangelus sub humana specie, sese comitem adjunxit, et Tobiam liberavit ab immani pisce, ex quo, de mandato Angeli quaedam interiora, nempe cor, fel et jecur extraxit, quibus patri visum restituit et Saram liberavit a daemonio, et postquam Saram in uxorem accepisset venit in domum suam, et charitatis operibus deditus vixit usque ad nonagessimum nonum aetatis annum,

305. Quoad auctorem hujus libri diversae sunt sèntentiae: S. Isidorus Hisp. ait: Praeterea Judith et Tobia, qui auctores scripserint, minime constat.» Alii qui characterem historicum hujus libri rejiciunt dicunt illum compositum fuisse post Christum, vel saeculo secundo ante Christum: sed suam assertionem minime probant. Sed communior et probabilior sententia est eorum qui docent Tobiam (patrem) esse auctorem libri usque ad ultima ejus verba, quae consignata fuerunt á filio: duo versus postremi, in quibus Tobiae (filii) mors narratur, ab auctore ignoto, sed agiographo additi sunt.

Probatur thesis: 1.° quia in exemplaribus syriacis et graecis Tobias, pater, in primis tribus capitibus loquitur in prima persona: sic Cap. I. v. 3, legimus in exemplaribus graecis:

«Εγω Γωβιτ οδοις ἀληθείας ἐπορευόμην....» nempe, «Ego Tobias in viis veritatis ambulabam etc.

2.° Ubi vulgata dicit Cap. XII, v. 20; «Et narrate omnia mirabilia ejus,» in exemplaribus graecis et syriacis legimus: «γραψατε πάντα τὰ συντελεσθέντα εἰς βιβλίον» id est «Scribite omnia quae facta sunt in libro.»

3.° Hoc vero Angeli consilium, Tobiam utrumque implevisse, ex eo constat quod in praedictis exemplaribus legatur, cap. XIII scriptum fuisse a Tobia: «Καὶ Τωβιτ ἔγραψε προσευχὴν εἰς ἀγαλλίασιν» «Et scripsit Tobias etc.»

Juxta adversarios, si auctor hujus libri fuisset Tobias, hujusmodi liber in Canone Esdrae inveniretur; neque tamen invenitur.

Sed hoc facilem habet explicationem si consideretur Tobiam hunc librum scripsisse in captivitate, et ideo Esdras ignorabat ejus existentiam, propter quod in Canone non inclusit: vel fortasse, ideo hoc non fecit, quia liber Tobiae exaratus erat lingua chaldaica.

306. Juxta S. Hieronymum hic liber scriptus fuit Chaldaice: nam scribens ad Chromatium et Eliodorum ait: «Mirari non desino exactionis vestrae instantiam: exigitis enim ut librum Chaldaeo sermone conscriptum, ad latinum stylum traham, librum utique Tobiae..... Et quia vicina est Chaldaeorum lingua sermoni hebraico: utriusque linguae peritissimum loquacem reperiens, unius diei laborem arripui: et quidquid ille mihi hebraicis verbis expressit, hoc ego accito notario, sermonibus latinis exposui.» Juxta alios, hic liber conscriptus fuit hebraice: nam dicunt Origenem vidisse textum primitivum hujus libri, hebraice conscriptum. Alii demun censent, librum Tobiae primitus graece conscriptum fuisse: sed haec sententia est rejicienda, nam versiones tum graece tum latinae hujus libri, sufficienter ostendunt factas fuisse ex aliquo textu originali semitico.

307. Nunc quaeritur, utrum liber Tobiae sit vera historia.

Jahn, Renan et plures protestantes docuerunt, hunc librum non esse nisi quamdam fictionem poeticam, tempore imperii macedonici conscriptam, ad commendandas hebraeis diversas virtutes, praesertim vero, charitatem erga mortuos, eorum corpora sepeliendo.

Sed probari potest, librum Tobiae esse vere historicum: 1.°

argumento intrinseco. In hoc libro, auctor memorat nomen Tobiae, tribum, patriam, aetatem vitae suae: plura habentur documenta historica, chronologica, et geographica, quae ad nihil inserviunt, si auctor sibi proposuisset scopum quem fingunt rationalistae, quae vero optime conveniunt auctori historico. Ergo vel dicendum hunc librum esse veram historiam, vel secus auctorem fuisse impostorem, quod de nemine dici potest, quin adsint fundamenta gravissima; talia vero non sunt quaedam facta supernaturalia quae in hoc libro narrantur. Praeterea absurdum est, auctorem, ad quasdam virtutes commendandas, historiam finxisse, in eaque narrasse quaedam facta, quae juxta rationalistas sunt evidenter falsa et impossibilia, quaeque ideo etiam judaeis viderentur impossibilia et falsa.

2.° Probatur *argumento extrinseco*. Usque ad saeculum XVI nemo haesit anceps de veritate historica hujus libri; ¿nonne adeo stolidos faciemus omnes qui ante XVI saeculum vixerunt, ut tamquam veram historiam haberent, fictionem poeticam absurditatibus plenam?

Deinde plures libri Sacrae Scripturae, ex gr. Eccli. XLVIII, 24: Machab. 2, VII, 19, Matth, Luc , Paulus ad Heb, ad Rom. et Joan. in Apocalypsi, Tobiam adducunt in veritatis testimonium.

Demum plura facta hujus libri vera sunt, ut captivitas, submissio regum etc; ¿quare non idem dicendum de caeteris?

308. Quoad divinam auctoritatem hujus libri, eam demonstrant, in primis, libri Sacri, tum Veteris, tum Novi Testamenti, de quibus mentio supra facta est.

Etiam eum saepissime allegant in suis operibus, Patres tum Orientales tum Occidentales, ut S. Polycarpus, S. Clemens Rom. et Alex; S. Chrysot., S. Athanasius, S. Hilarius etc. (1)

309. Sequentes solvuntur objectiones: 1.ª Cap. I. v. 18 legimus Salmanasari successisse filium suum Sennacherib, et tamen inter utrumque regnavit Sargon.

Bickel ostendit, pro Salmanasaris nomine legendum esse *Enemesar*, quod nomen idem est atque Sargon. Igitur Sennacherib fuit filius Sargon, id est, Enemesar. (2)

Alii admissa lectione textus hebraici et Vulgatae, dicunt,

(1) Vide Cornely. *Curs. Sac. Scrip. Introd. Part.* De V. T. lib. hist. Cap. VIII.

(2) Cornely, Ibid.

eatenus mentionem non fieri de Sargon quia nullam fere rem habuit cum hebraeis. Quod si ipse expugnavit et destruxit Samariam hoc fecit cum adhuc esset dux regis Salmanasaris.

Objectio 2.ª Supponitur civitas Rages jam existens, cum tamen juxta Strabonem multo post aedificata fuerit a Seleuco Nicatore.

Haec civitas Seleucidis multo antiquior est, cum jam in quadam inscrip. Darii Hystaspis nominetur. Strabo non dicit Seleucum aedificasse civitatem Rages, sed eam reaedificasse, novoque nomine Europi donasse.

Obj. 3.ª Diciturcap. III, 7, Saram Raguelis filiam habitasse Rages, sicut etiam Gabelus; et statim cap. VI, 6 et IX, 3, legimus Tobiam juniorem qui etiam habitabat Rages mississe angelum in Rages, ut pecuniam acciperet a Gabelo.

Interpretes diversimode hunc locum explicant. Juxta Tirinum, omnis illa regio in qua sita era civitas Ecbatana, vocabatur Rages, a civitate Rages quae erat caput totuis regionis. Itaque Tobias cum esset in Ecbatana civitate regionis Rages, missit angelum in ipsam civitatem Rages.

310. Incredibilia videntur, ea quae dicuntur de morte maritorum Sarae, de liberatione Tobiae a simili morte, de curatione Tobiae senis etc.

Haec facta illis tantum incredibilia videntur, qui ordinem supernaturalem ut impossibilem et incredibilem habent; hoc vero numquam probant.

Septem mariti perierunt, vel potius occisi sunt ab Asmodeo permissione Dei, quia omnes tantum affectu libidinoso matrimonium contraxerant; unde angelus Tobiae dixit eatenus occisum non fuisse a daemone quia Deum timuit et orationi instavit. Septem vero maritos succesive Saram in uxorem duxisse non obstante morte praecedentium maritorum, explicant divitiae et pulcritudo Sarae, et praesertim libido quae omnino excaecat, ut luctuosa experientia docet.

Quoad effectus fugandi daemonem, restituendi visum seni Tobiae, non sunt quidem tribuendi vi naturali cordis, jecoris vel fellis piscis: sed nemo negavit Deum his rebus uti potuisse, quasi instrumentis ad praedictos effectus extraordinarios producendos.

PARS EXEGETICA.

311. Quomodo exponatur hic locus, Cap. VIII, 3. «Tum Raphael angelus apprehendit daemonium, et religavit illud in deserto superioris Aegypti.»—312. ¿Mentitus est ne angelus cum dixit, V. 18. «Ego sum Azarias Ananiae magni filius.»—313. Quomodo Tobias senior potuit loqui, XIV, 7, de incendio templi, cum hoc multo posteriori tempore locum habuisset?—314. Quomodo intelligitur quod Tobias necessitate coactus esset, ut á Gabelo pecuniam peteret, cum constet a Salmanasare divitiis cumulatum fuisse.—315. Cujus speciei fuerit immanis piscis qui exiit de flumine Tigris ut Tobiam devoraret?

311. Haec religatio non est intelligenda corporaliter, sed juxta naturam religantis et religati: nam cum angelus sit spiritus, nequit proprie loquendo religari, nec de loco in locum adsportari. Sicut ratio formalis qua corpus est in loco, est extensio, ita ratio formalis qua angelus est in loco est operatio: (1) ergo angelum religare in aliquo loco, idem est, ac ipsius operationem huic loco circumscribere. Unde in nostro casu, Deus prohibuit daemonio ut operationem suam in Tobiam exerceret, eamque circumcripsit deserto Thebaidae. Sic hunc locum interpretatur S. Augustinus. (2)

312. Mentitus est ne angelus cum dixit, V, 18: «Ego sum Azarias Ananiae magni filius.»

Angelus seipsum vocat Azariam, quod nomen significat *auxilium Dei:* angelus vero revera fuit pro familia Tobiae auxilium Dei. Dicitur filius *magni Ananiae*, id est, *magni occulti*, seu Dei. In hoc ex parte angeli nulla fuit intentio fallendi, sed tantum celandi, quod adhuc in palam proferre non liceret.

313. Quomodo Tobias senior potuit loqui, XIV, 7 de incendio templi, cum hoc multo posteriori tempore locum habuisset?

Ubi vulgata dicit de Domo Dei, *quae incensa est*, juxta textum graecum legitur »*quae comburetur*» Tobias ergo prophetice loquitur. Nam sicut prius cap. XIII nuntiaverat felicitatem et gloriam Jerusalem, nunc morti proximus vaticinatur, destructionem Ninive et Jerusalem, restaurationem hujus postremae civitatis et ejus gloriam spiritualem ob vocationem gentium ad veram Fidem.

(1) Conf. Billuart. *Summ. S. Thom. Tract. de Angelis*, Dissert. II. Art. I.

(2) *De Civitate Dei*, lib. XX, Cap. 7 et 8.

314. Quomodo intelligitur quod Tobias necessitate coactus esset, ut a Gabelo pecuniam peteret, cum constet a Salmanasare divitiis cummulatum fuisse?

Utique cap. I, v. 13 et seq. legimus Salmanasarem divitiis cummulavisse Tobiam; sed ex versu 22 ejusdem capitis, scimus Sennacherib *tulisse omnem substantiam ejus*. id est Tobiae. Certum est ex versu 25, Tobiae restitutam esse omnem ejus substantiam, sed eam impendit in pauperes, et etiam in medicos et medicamina ad seipsum a caecitate sanandum.

315. Cujus speciei fuerit immanis piscis, qui exiit ex flumine Tigris ut Tobiam devoraret.

Quidam dicunt fuisse piscem quem graeci vocant *luccio* seu *piscis lupus,* quae species in illo flumine abundat, et quandoque apparent individua ingentis magnitudinis. Bochard observat, fel hujus piscis admixtum melli multum inservire ad quosdam oculorum morbos sanandos. (1)

Caput XXII

De libro Judith.

PARS CRITICA.

316. Brevis hujus líbri descriptio.—317. Num hic liber sit vere historicus.—318. Quo tempore haec historia contigerit.—319.—Auctor hujus libri. —320. Qua lingua exaratus fuerit.—321. Scopus auctoris juxta Patres et rationalistas.—322. Divina auctoritas libri Judith.

316. Habet hic liber sexdecim capita, quae hanc historiam continent. Nabuchodonosor rex Assyriorum, cum vicisset Ar-

(1) Ad rem Vigouroux: «Se ha supuesto que este pez era un esturión, ó un uranoscopio, pero hablando imparcialmente no tenemos datos para decir á qué especie pertenecía. No obstante, si la versión del *Codex Sinaiticus* es cierta, lo que no podemos asegurar, podríamos afirmar que era un sollo, como ya lo había indicado Calmet. Dicho pez puede llegar á ser del tamaño de un hombre, y vive mucho tiempo. Es muy voraz y se han encontrado á veces en sus entrañas miembros humanos: Oken cuenta que en Cracovia uno de estos peces cortó el pié á una joven. Se le encuentra en el Tigris, su carne es muy excelente..... tiene aletas y escamas y llena así las condiciones prescritas por la ley para que los judíos pudiesen comerlo.» *Man. Bibl.* De lib. Tobiae.

phaxad regem Medorum, proposuit sibi subjicere omnes nationes terrae, et ad hoc misit legatos ad omnes reges, et ab eis exegit submissionem et obedientiam. Hujusmodi vero reges contemnunt Nabuchodonosoris legatos, et tunc Nabuchodonosor ira accensus congregat exercitum 120.000 peditum et 12.000 equitum, cui praefecit Holofernem. Hic fere absque ulla resistentia, acquisivit regi, plures civitates et provincias. His auditis, magno timore perterriti sunt Israelitae. Sed summus sacerdos Eliachim eos hortatur, ut strenue pugnent, praemissis orationibus et jejuniis. Achior dux Ammonitarum qui serviebant Holoferni, rogat hunc ut non pugnet adversus hebraeos, cum super hunc populum Deus semper specialem providentiam habuerit. Indignatus vehementer Holofernes; praecepit Achior ingredi Bethuliam, quo agnoscat non esse Deum praeter Nabuchodonosorem, qui traditurus erat civitatem in manus Assyriorum, et tunc etiam Achior acepturus condignam ultionem pro suo delicto. Incolae Bethuliae benigne excipiunt Achior, qui eis narrat omnia quae ipsi contigerant cum Holoferne. Hic clausit urbem operibus omnique commeatu et praesertim potu privavit. Incolae civitatis de tradenda civitate cogitant, et dux eorum Ozias, post dies quinque id promisit executurum, modo nullum auxilium, quod enixe petierant, obtigissent. Tunc, mulier quaedam pulcherrima, nempe Judith (1) filia Merari et vidua Manasses, qui a morte mariti sui orationi et jejuniis se dederat, et in omni populo erat famosissima, procul dubio, a Deo inspirata, urbem ab obsidione liberare in corde suo disponit. Itaque oratione munita, et pretiosis vestibus ornata exiit ex urbe cum abra sua, et transiit ad castra inimicorum, qui stupentes eam duxerunt ad Holofernem, qui statim amore erga eam captus est. Quarto die Holofernes magnum fecit convivium, et cum inebriatus esset, Judith, postquam orasset cum lacrymis, amputavit caput Holofernis, illudque protulit habitatoribus Bethuliae, qui animum recuperantes, invadunt castra Assyriorum, qui cognita morte ducis, statim et praepropere terga vertunt, et per diversas vias fugiunt. Omnis populus laudat Judit. Cap. XVI, et postremum libri, continet canticum Judith: deinde populus venit in Jerusalem adorare Dominum et offerre sacrificia. Judith moritur aetate 105 annorum et populus eam luget diebus

(1) Nomen Judith, juxta S. Isidorum Hisp. significat «*Laudans vel confitens Domino.*» *Orig.* Lib. VII. Cap. 8.

septem. Dies victoriae Judith ab Hebraeis in numero sanctorum dierum accipitur.

317 ¿Num hic liber vere sit historicus? Lutherus primus affirmavit librum hunc non esse nisi puram fictionem, hancque opinionem sequuntur fere omnes protestantes. Juxta Buddeum, liber Judith est drama sacrum, juxta Grocium allegoria historica, juxta Semler, fabula aetate Machabaeorum excogitata atque conscripta ad animos judaeorum erigendos mirabili exemplo fortitudinis Judith.

Sed interpretes catholici, paucissimis exceptis, ut B. Lamy et Jahn, hunc librum habent ut vere historicum: et veritas hujus sententiae probatur.

1.° Ex ipso libro, ubi recensentur nomen Judith, ejus patris et mariti, civitatum quas jam expugnaverat Holofernes: numerum peditum et equitum Holofernis, et festum institutum ad victoriam Judith celebrandam: quae omnia satis superque veritatem historicam libri confirmant.

2.° Ex traditione judaeorum, qui teste S. Hieronymo hunc librum in sinagogis legebant, et festum quod in eo memoratur celebrabant; quae procul dubio, judaei non fecissent, si de fictione historica ageretur.

3.° Ex traditione christianorum: nam juxta S. Hieronymum, (1) hic liber, «Chaldaeo sermone concriptus inter historicos computabatur.» Praeterea Judith apellatur a S. Clement. Rom., *beata;* ab auctore Const. Apostol. *sapientissima;* ab Origine *magnifica;* Tertulianus eam ennumerat inter *sanctos:* S. Ambrosius vocat eam *mirabilem*; S. Fulgentius *sanctam*, et S. Joannes Chrysostomus *sanctissimam*. Praeterea non est una sententia Patrum quoad aetatem qua vixit Judith: ergo supponunt Judith revera vixisse, ideoque et librum qui ejus facta narrat revera historicum esse.

Contra veracitatem historicam hujus libri, adversarii dicunt: 1.° Nullum regem Assyriorum habuisse nomen Nabuchodonosoris.

Quidem hic Nabuchodonosor fuit Saosduchin filius Assarhadon et nepos Sennacherib. Sed mos erat apud judaeos designandi nomine communi Nabuchodonosor omnes reges qui gubernabant trans Eufhratem, sicut apud Tobiam (XIV, 17.) Nabopolasar dicitur Nabuchodonosor.

(1) *Praef. in Judiht.*

2.° Nulla notitia invenitur apud Judaeos de festo supra citato; de ipso omnino silet Josephus Flavius; et demum versus ubi agitur de hoc festo non habetur in textu graeco.

Falsum est, nullam esse apud Judaeos notitiam hujus festi, in documentis antiquis, ut probant Calmet aliique. (1)

Quod de silentio Josephi dicitur constituit argumentum mere negativum: et praeterea scimus Josephum illa tantum allegare facta quae in libris canonicis (proto-canonicis) leguntur.

Judaeos praedictum festum instituisse evidenter constat ex Vulgata. Fieri vero potuit, ut primus scriptor hujus libri, hanc festi institutionem omiserit, quae tamen postea addita fuit ab alio scriptore hagiographo, ut in aliis libris Veteris Testamenti contigisse certum est.

3.° In hoc libro vera et manifesta datur contradictio: nam Cap. VIII, 1, dicitur Judith esse de Tribu Ruben, et Cap. IX, 2, esse de Tribu Simeon.

Ad haec loca concilianda, quidam dicunt, Manassem virum Judith fuisse ex Tribu Ruben, ipsam vero ex Tribu Simeon: vel Judith ex linea paterna fuisse de Tribu Ruben, ex materna vero ex Tribu Simeon.

Sed cum hae conciliationes probabilitate non gaudeant. Bellarminus et alii putant in citato textu, loco *Ruben* legendum esse *Israel*: et quidem in textu graeco, loco filii *Ruben*, legitur filii *Israel* (υἱοὺ ἰσραήλ); igitur Ruben de quo hic est sermo non fuit Patriarcha ct primogenitus Jacob, sed vir quidam illustris ex Tribu Simeon, in quo liber noster Cap. VIII, terminat genealogiam Judith.

318. Nunc quaeritur, quo tempore haec historia contigerit. Bellarminus, Serarius, Jansens, Glaire, Montfaucon, Calmet, Lamy, Vigouroux, Caminero et alii putant, hunc librum conscriptum fuisse ante captivitatem babylonicam: sed Eusebius, S. Augustinus, Syncellus, Estius, a Lapide, Wouters, Vincenzi, Fernandez et alii post captivitatem collocant historiam Judith.

Nos adducemus rationes quae pro utraque sententia militant.

Qui historiam Judith posteriorem captivitati esse putant has rationes afferunt: 1.ª Aetate Judith summus Pontifex erat Eliachim; atqui ante captivitatem, nullus fuit Pontifex hujus nominis,

(1) *Com. in Jud.* XVI, 31.

ut apparet ex genealogiis Pontificum in libris Paralipomenon et apud Josephum.

Sed adversarii dicunt non omnia Pontificum nomina recenceri in Paralipomenis et in libris Josephi. Ergo ante captivitatem, ex. gr. tempore Manassis, potuit existere aliquis Pontifex nomine Eliachim, cujus mentio facta non fuit in genealogiis.

2.° Ex verbis Achior ad Holofernem videtur etiam inferri facta hujus libri contigisse post captivitatem; ait enim Cap. V, 22-23: «Nam et ante hos annos, cum recessissent a via, quam dederat illis Deus, ut ambularent in ea, exterminati sunt proeliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad Dominum Deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant, adunati sunt, et ascenderunt montana haec omnia, et iterum possident Jerusalem, ubi sunt sancta eorum.»

Sed juxta adversarios, Achior non loquitur de captivitate Babylonica, sed de captivitate plurium Hebraeorum qui simul cum rege Manasse in Assyriam deportati fuerunt, et paulo post liberati ut ad suam regionem reverterentur. Hi vero ut securius viverent, in montana secesserant.

3.° Ex Cap. VI, et ex tota narratione hujus libri infertur, tunc Hebraeos fuisse sine rege, supremumque jus habuisse Summum Pontificem, et seniores et principes populi: hoc vero non contigit nisi post captivitatem.

Adversarii dicunt, tunc Hebraei regem habuisse, nempe Manassem; cum vero hic esset captivus et successor in Regnum non adesset, regimen populi naturaliter ad seniores et Pontificem transiit: unde nihil dicitur de Rege, seu de Manasse.

4.° Cap. I. v. 1 et 5, mentio fit de Arphaxad rege Medorum, et Nabuchodonosor, rege Assyriorum: et tamen nullus ex his occurrit ante captivitatem.

Re quidem vera, juxta historiam profanam, Arphaxad et Nabuchodonosor non pertinent ad aetatem Manassis: sed, juxta adversarios sententiae quam exponimus, Nabuchodonosor libri Judith, non est ille qui templum evertit judaeorum, hosque subjugavit, sed fuit unus ex Assyriorum regibus, qui illum praecesserant, et Manassis tempore potentissimi erant; nempe, vel Assarhaddon, vel ejus successor Saosduchin, quem auctor hujus libri, communi nomine Nabuchodonosor designat, ut tunc mos erat. Arphaxad autem, fuit vel *Dejoces*, vel filius ejus *Phraor*

tes, juxta graecos *Aphraates* quod nomen non multum differt ab Arphaxad. Videntur etiam ea quae dicuntur in hoc libro de Arphaxad apprime convenire cum historia Phraortes apud Herodotum.

Qui historiam Judith ante captivitatem contigisse credunt, haec argumenta adducunt: 1.um In libro Judith narratur, Nabuchodonosor regem Assyriorum per Holofernem subjugasse Mesopotamiam, Syriam, Cappadociam, Mediam, Arabiam et magna Judaeae partem; sed omnes hae regiones post captivitatem jam regibus Persarum subjectae erant.

2.um Juxta librum Judith Judaeos incursioni Assyriorum viriliter restiterunt, seque ad bellum paraverunt. Hoc vero Judaeos facere potuisse post captivitatem, incredibile est, ut ex Sacra Historia satis constat.

3.um Cap. I. v. 5. Ninive apparet ut civitas magna et florentissima: hoc ante captivitatem verum est: sed scimus post captivitatem illam civitatem a regibus Persarum jam dejectam fuisse.

Demum 4.um In hoc libro, Arphaxad rex Medorum, et Nabuchodonosor rex Assyriorum, ut reges potentissimi repraesentantur; sed tamen, post captivitatem a Cyro Persarum rege devicti, omnem suam potentiam amisserant, ac regibus Persarum subjecti erant.

Quaelibet harum sententiarum sua probabilitate non caret; ideoque eligat lector quam maluerit. (1)

319. Quoad auctorem hujus libri, diversae sunt sententiae: S. Isidorus et alii putant, auctorem hunc esse omnino ignotum. S. Hieronym. videtur librum tribuere ipsi Judith cum illum vocet *librum mulieris:* juxta alios, auctor fuit vel Achior, vel sacerdos Josue, filius Josedec, qui ex captivitate venit cum Zorobabel, et scripsit hunc librum ad erigendos animos judaeorum. Denique cum ordo narrationis in libro, et circumstantiae etiam minutissimae dictorum et factorum, auctorem postulent coaevum, magna probabilitate Sixtus Senensis et alii asserunt, hunc auctorem fuisse summum Pontificem Eliachim, qui ratione sui officii, illa facta vere miraculosa debuit populo scriptis tradere: et haec est communis sententia catholicorum.

(1) Conf. Wouters. *Dilucidat etc. in Judith.* Quaest V.—Juxta inventa assyriológica moderna, historia Judith contigit aetate Assurbanipal, filii Asarhaddon, et nepotis Sennacherib.

Eichhorn, De Wette, Volkmar aliique, hunc librum scriptum esse affirmant temporibus Christianismi; sed hoc falsissimum est cum graeca hujus libri versio, jam ante Christum Judaeis nota fuisset, eamque S. Clemens Rom. Petri discipulus, laudasset in suis operibus.

320. Juxta S. Hieronymum, hic liber scriptus est sermone chaldaico, et quamvis Origenes dicat primum exemplar fuisse hebraicum, tamen hoc nomine exemplar syriacum designavit, cum mos fuerit tunc utroque nomine, nempe chaldaico et hebraico, exemplaria syriaca designare. Saltem, negari non potest, primitivam linguam hujus libri fuisse semiticam, cum versio graeca modismis orientalibus repleta sit. Nostra versio latina vulgatae deprompta est a S. Hieronymo ex textu originali, non ad litteram sed ad sensum, ut ipse affirmat; quod prae oculis habendum est ad quasdam difficultates solvendas.

321. Scopus auctoris, juxta rationalistas, fuit animos judaeorum erigere ut se defenderent contra adversarios aetate Machabaeorum; ad hoc ergo finxit auctor hanc historiam.

Sed hoc falsum est: nam in primis, historia ficta non est medium optimum ad animum populi erigendum. Praeterea, Judaei aetate Machabaeorum, historiis fictis non indigebant, cum veram historiam haberent virorum populi, qui mira fortitudinis exempla omni aetate praebuerant.

Praeterea si lamentabilis status populi judaici aetate Machabaeorum, sufficiens causa videtur ad asserendum hunc librum fictum et conscriptum fuisse hac aetate, eodem jure tribui posset aliis aetatibus, quibus melior non fuit conditio et status judaeorum.

Finis seu scopus hujus libri, juxta S. Hieronymum et Origenem, est omnibus praebere viduam Judith, quasi exemplar castitatis et exemplum fortitudinis in defendenda Religione et Patria.

Sed praecipuus finis seu scopus hujus libri est populo Judaico ostendere, illum a Deo dirigendum protegendumque esse in omnibus suis necessitatibus modo Legi sit fidelis, vel saltem per veram poenitentiam ad viam justitiae et veritatis denuo veniat. Hic scopus satis indicatur his verbis Achior ad Holofernem: «Si non est offensio populi hujus coram Deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam Deus eorum defendet eos et erimus opprobrio universae terrae. (1)

(1) Judith. V, 25.

322. Quoad divinam hujus libri auctoritatem, quidam ad illum allusiones inveniunt in N. T., ut ex. gr. illa verba Luc. I, 42 «Benedicta tu inter mulieres» si comparentur cum verbis Achior, (Judith. XIV, 7) juxta textum graecum. Etiam alia N. T. loca quibusdam videntur desumpta ex libro Judith: sed hoc satis dubium est. Sufficiunt nobis pro divina inspiratione hujus libri testimonia Patrum Ecclesiae Occidentalis, nempe SS. Clementi Rom. Tertuliani, S. Augustini, Ambrosii, Fulgentii, et Conciliorum Cartag. et Hypon., et Decreta Pontificum Inocentii I et Gelassii; et ex Ecclesia Orientali S. Clem. Alex., Origenes, et Athanasius et Concilium I Nicaenum.

Videtur S. Hieronymum numerare in Prologo Galeato librum Judith inter libros apocryphos; sed post declarationem Concilii Nicaeni, hunc librum veluti Scripturam Canonicam agnovit. In Epist. 140, ait «Ruth et Esther, et Judith tantae gloriae sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint.»

Praeterea ex aliis locis hujus operis scimus, nomen *apocryphus,* tum a S. Hieronymo, tum etiam ab aliis Patribus, multiplici sensu accipi (1)

PARS EXEGETICA

323. In his quae Judith fecit et dixit, excusari potest a peccato?—324. An Bethulia vere extiterit et ubi sita fuerit.—325. Quomodo Summus Pontifex vocatur in hoc libro, modo Eliachim modo Joacim.

323. In primis dicendum, antequam nihil horum fecisset vel dixisset, Judith orasse Deum, ut ipsam adjuvaret

Quod vero, se vestibus pretiosis, unguentis etc. composuerat ad suam pulcritudinem augendam peccatum non fuit, ut ex his verbis Cap. X, 4, patet: «Cui etiam Dominus contulit splendorem: quoniam omnis ista compositio non ex libidine, sed ex virtute pendebat: et ideo Dominus hanc in illam pulcritudinem ampliavit, ut incomparabili decore omnium oculis appareret.»

Sed dices, Judith sciebat, se ad libidinem provocaturam fore Holofernem.

Tamen hic non erat scopus seu intentio Judith, sed liberatio populi. Jam vero cum justa adest causa, potest quis permissive se habere respectu mali, qui per accidens ex aliena malitia sequitur, quamvis effectus malus praevideatur secuturus.

(1) Cons. Vigouroux *Bible et decouvertes*, tom. IV.

Dicunt adversarii, Judith cum dixit exploratoribus Assyriorum, Cap. X, 12-13:« Quae respondit: Filia sum Hebraeorum, ideo ego fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi, quod dentur vobis in depraedationem, pro eo quod contemnentes vos, noluerunt ultro tradere se ipsos, ut invenirent misericordiam in conspectu vestro. Hac de causa cogitavi mecum, dicens: Vadam ad faciem principis Holofernis, ut indicem illi secreta illorum, et ostendam illi quo aditu possit obtinere eos, ita ut non cadat vir unus de exercitu ejus.» mentitam fuisse.

Quidam respondent dicentes, verba Judith litteraliter accipienda non esse, sed tantum sensu prophetico; quem quidem sensum ignoramus: nonnulli per Holofernem et ejus exercitum intelligunt Titum et Vespasianum cum Romanorum exercitu, in quorum manus tradidit Deus populum judaicum.

Alii vero putant Judith excusari non posse a mendacio. Inter eos ait S. Thomas: «Quidam commendantur in Scriptura non propter perfectam virtutem, sed propter quamdam virtutis indolem, scilicet quia apparebat in eis aliquis laudabilis affectus, ex quo movebantur, ad quaedam indebita facienda; et hoc modo Judith laudatur, *non quia mentita est Holoferni,* sed propter affectum, quem habuit ad salutem populi, pro qua periculis se exposuit. Quamvis etiam dici possit, quod verba ejus veritatem habent secundum aliquem mysticum intellectum.» (1)

Ex hoc vero mendacio, nihil vel fere nihil infertur contra sanctitatem Judith; non enim est necessarium admittere eam immunem fuisse ab omni pecato, etiam veniali: et praeterea, de pluribus actibus moralibus Veteris Testamenti, non est judicandum juxta spiritum Evangelii: tunc enim licita videbantur plura quae ab Evangelio damnantur.

324. Juxta rationalistas Bethulia numquam exstitit, nec de ea verbum habet Josephus, in sua historia Judaeorum.

Bethulia revera exstitit; juxta alios in confiniis Tribuum Isachar et Manasses; juxta nonnullos in Tribu Simeon; in confiniis Arabiae, prope desertum, ita ut sit illa civitas quae vocatur Bethul (Jos. XIX). Alii putant Bethuliam sitam fuisse in Tribu Zabulon, in illo loco, in quo Josue (XIX, 15) collocat Bethlehem. Argumentum vero a silentio Josephi deductum, nullum est, cum sit mere negativum. Et praeterea possumus dicere

(1) 2. 2. q. CX, art. III, ad. 3.

cum Natali Alexandro, hoc argumentum nimis probare; nam Josephus in sua historia praetermisit historiam Job, infantium caedem, et plura alia, quae tamen apud omnes, vera et realia sunt.

325. Quomodo Summus Pontifex vocatur in hoc libro, modo Eliachim modo Joacim?

Quia hic Pontifex erat binomius, et utrumque nomen in lingua hebraica idem significat, nempe *qui Deum surgere facit.*

Caput XXIII

De libro Esther.

PARS CRITICA.

326. Brevis descriptio historiae Estheris et Mardochaei.—327. Veracitas historica hujus libri. — 328. Lingua. — 329. Opiniones circa auctorem hujus libri.—330. Quo tempore haec historia contigerit.—331. Ostenditur divina auctoritas libri Esther etiam quoad partem deuterocanonicam.

326. Habet hic liber sexdecim capita, quae hanc continent historiam. In diebus Assueri, qui regnavit ab India usque Aethiopiam super centum viginti septem provincias, fecit magnum convivium cum principibus Medorum et Persarum, et praefectis provinciarum, centum et octoginta diebus. Et etiam omni populo Susan praeparavit convivium septem diebus. Etiam regina Vasthi fecit convivium feminarum in suo palatio. Cum septimo die convivii rex esset hilarior propter nimiam potationem, praecepit ut introducerent reginam Vasthi coram eo ut cunctis convivio adstantibus ostenderet pulchritudinem illius; cum vero regina mandatum regis contempsisset, Assuerus nimio furore succensus, et praevio consilio principum, repudiat suam uxorem, et decretum mittit in omnes provincias, ut uxores viris suis omnino subditae sint. Tunc, ut novam duceret uxorem, mandat rex vocare ad se juvenes pulcherrimas, et inter eas eligit Esther seu Edissa, quae erat ex Tribu Benjamin, filia Abihail fratris Mardochaei qui Esther adoptaverat in filiam post mortem Abihail. Mardochaeus detegit conjurationem duorum eunuchorum, qui regem occidere cogitabant: quod cum rex scivisset, annalibus regni tradere decrevit. Aman, supremus princeps Assueri irascitur, quia Mardochaeus coram eo genua non flectebat neque adorabat eum, et obtinet a rege decretum

ut omnes judaei exterminarentur, et hoc praecipit fieri mense duodecimo. Sed Esther parat convivium Regi cui adsit etiam Aman; et cum rex in illa nocte legeret annales regni, et videret nullam mercedem tributam fuisse Mardochaeo, jubet eum, praecedente Aman, per omnes vias civitatis in triumphum duci. Iratus Aman parat Mardochaeo patibulum quinquaginta cubitorum altitudinis. Sed altero die, novum fecit convivium regina, cui aderat rex cum Aman: et tunc Esther, rogavit pro suo populo, et manifestavit hujus hostem et inimicum esse Aman, qui jussu regis in patibulo quod ipse paraverat Mardochaeo periit. Esther praeterea obtinet a rege epistolas, ut judaei die ab Aman designato pro exterminio eorum possent suos adversarios exterminare; et quidem eos exterminarunt, et in ipso die perierunt decem filii Aman, et institutum est a Mardochaeo festum *Phurim* seu *sortium*, eo quod Aman sorte elegerat mensem quo exterminandi erant judaei. Cap. X et XI exponuntur duo somnia Mardochaei; et postremis quinque capitibus, plura denuo narrantur jam antea relata.

327. Semler et alii rationalistae dixerunt hunc librum non esse veram historiam, sed meram fabulam.

Itaque veracitas historica hujus libri probatur: 1.° Quia in hoc libro leguntur nomina regis, duarum reginarum, eunuchorum qui regem occidere cogitabant, uxoris et filiorum Aman, et aliae circumstantiae quae non nisi in libro vere historico locum habere possunt.

2.° Quia ad factorum epocham determinandam, allegantur annales Medorum atque Persarum, quorum auctoritas historica a nemine rationalistarum in dubium revocari potest.

3.° Quia, 2.° Machabaeorum, legimus adhuc festum Phurim celebrari, quod festum vocabant *diem Mardochaei:* id ipsum testatur Josephus.

Demum 4.° quia facta quae in hoc libro narrantur adamussim conveniunt cum factis historiae profanae respectu regni Persarum.

Argumenta adversus auctoritatem historicam hujus libri, solventur in secunda parte hujus Capitis.

328. Quidam, ut Caminero, putant hunc librum primitus scriptum fuisse chaldaico sermone, minutim narrans facta Estheris et Mardochaei, et continens omnia documenta regia desumpta ex annalibus Persarum. Sed postea, ut legi poterat

in festo Phurim, factum est hebraico sermone quoddam compendium, eliminatis omnibus additionibus chaldaicis ex annalibus Persarum desumptis. Demum quidam interpres graecus, utrumque opus in suam linguam vertit: hoc videtur inferri ex hebraismis et chaldaismis quibus abundat hic liber.

S. Hieronymus haec habet in Praef. in Esther: «Librum Esther ego de archivis Hebraeorum revelans verbum e verbo expressius transtuli... vos autem o Paula et Eustochium... tenentes Esther hebraicum librum per singula verba nostram translationem aspicite, ut possitis agnoscere me nihil etiam augmentasse addendo, sed fideli testimonio simpliciter, sicut in hebraeo habetur, historiam hebraicam latinae linguae tradidisse.»

329. Quoad auctorem hujus libri, diversae dantur opiniones: Thalmudistae illum adscribunt viris praestantissimis Sinagogae: S. Isidorus Hisp. et S. Augustinus, putant auctorem hujus libri fuisse Esdram: Eusebius asserit auctorem fuisse Esdrae posteriorem: S. Clemens Alex. docet hunc librum conscriptum fuisse a Mardochaeo: alii hoc opus tribuunt Summo Sacerdoti Joachim, filio Josedec: juxta nonnullos, hic liber exaratus fuit ab auctore coaevo incola Persiae. Demum, nunc communior sententia docet hunc librum magna ex parte conscriptum fuisse a Mardochaeo, eique finem apposuisse Esdras vel Sinagoga.

In primis, videtur auctorem fuisse coaevum factis quae narrat: refert enim minutatim ingressum Esther in cubiculum Assueri, quid dixerit Esther Asuero, exaltationem Mardochaei, nomina plurium personarum et familiarum aliasque circusmtantias, quae per solam traditionem conservari non potuerunt.

Praeterea quaedam narrantur, ut somnium Mardochaei, quae non nisi ab ipso referri potuerunt.

Deinde quaedam documenta extrahi debuerunt ex archivis regiis, quod non nisi a persona magna dignitate ornata fieri potuit.

Demum cap. IX, v. 20 legimus: «Scripsit itaque Mardochaeus omnia haec, et litteris comprehensa misit ad Judaeos, etc.»v. 26: «Et cuncta, quae gesta sunt, epistolae, id est, libri hujus volumine continentur.» Et v. 29: «Scripseruntque Esther regina filia Abihail, et Mardochaeus judaeus etiam secundam epistolam.» Haec verba intelligi possent de aliqua tantum parte libri: sed cum omnia quae hucusque continentur, scribi potue-

rint ab ipso Mardochaeo, nullum est inconveniens in hoc quod dicamus Mardochaeum fuisse omnium scriptorem.

Habet hic liber duas appendices: nempe, cap. IX, 23-28, ubi de celebratione festi Phurim agitur; et 29-32, ubi huic festo conjungitur jejunium. Utraque appendix supponit multo antea festum Phurim fuisse institutum, et ideo Mardochaeo tribui nequeunt, cum etiam stylus omnino sit distinctus a reliquo libri.

Sic conciliari possunt opiniones Patrum, dicendo Mardochaeum scripsisse magnam partem libri: appendices vero ab Esdra adjectas fuisse.

330. Quoad tempus quo historia hujus libri contigerit, scriptores in diversas abeunt sententias. Nonnulli affirmant, ut Melchior Canus, hanc historiam contigisse ante captivitatem babylonicam, et Assuerum fuisse vel patrem Darii Medi, de quo Daniel IX, vel ipsum Darium Medum.

Sed haec opinio rejicitur, quia Assuerus fuit rex non Medorum sed Persarum.

Alii putant, hujusmodi contigisse historiam post captivitatem, sed in determinando quis fuerit Assuerus magna est diversitas sententiarum.

Ad pleniorem rei intelligentiam, subjicimus chronologiam Regum Persarum. Post Cyrum, filius ejus

Cambyses	regnavit annis 7 et mens.	5	
Smerdes Magus		7	
Darius Hystaspis	36		
Xerxes Magnus	¿	?	
Artaxerxes Longimanus	40		
Xerxes		1	1|2
Sogdianus Spurius		6	
Darius Nothus	19		
Artaxerxes Mnemon	43		
Artaxerxes Ochus	23		
Arses	3		
Darius Codomanus			

Alexander Magnus sibi subjicit regnum Persarum.

Inter hos reges eligendus est aliquis, qui saltem duodecim annis regnaverit; quia ex Cap. III. v. 7. Esther constat, Assuerum regnasse saltem duodecim annis. Igitur ex praecedenti catalogo Regum excludendi sunt, Cambysses, Smerdes Magus,

Xerxes filius Artaxerxis Longimani, Sogdianus, Arses et Darius Codomanus.

Nunc vero Vigouroux, Caminero, Cornely, Ubaldi et fere omnes scriptores moderni putant, Assuerum fuisse Xerxem Magnum, filium Darii Hystaspis. Nam ea quae in hoc libro dicuntur de Assuero optime conveniunt Xerxes Magno: et quidem, Assuerus (Esth. I, 3) tertio anno imperii sui, magnum dedit convivium omnibus principibus ac praefectis regni, centum octoginta diebus; similiter Xerxes, juxta Herodotum (Lib. VII, cap. 11, 19) tertio anno imperii sui congregavit omnes principes et praefectos regni, eosque in convivio, ut mos erat apud Persas, de expeditione contra graecos suscipienda consuluit. Cum vero tantus esset numerus principum, non est mirum quod convivium, saepius iteratum, durasset spatio sex mensium.

Praeterea moralis character Assueri optime convenit cum charactere Xerxes Magni; nam Assuerus exhibetur luxuriosus, crudelis et praecipitis judicii: id ipsum dicunt de Xerxe Magno antiqui historici cum Herodoto. (1)

Denique magnam extensionem imperii regis Assueri, apprime convenit extensioni imperii Xerxes Magni.

Sed Patri Wouters et aliis, plausibilior ac verisimilior vide-

(1) Audiatur Vigouroux: «Lo que se dice de la extensión del imperio persa, I, 1: X, 1, de los usos de la corte y en fin del caracter caprichoso de Asuero, conviene perfectamente á Jerges. Los autores griegos y latinos al hablar de su caracter, nos le presentan bajo el mismo aspecto que el escritor hebreo: sensual, vengativo, cruel y extravagante. El Lidio Pytio le dá grandes sumas para la guerra contra Grecia, trata muy bien sus ejércitos, pidiéndole solamente la exención de la milicia del primogénito de sus seis hijos que sirven en sus tropas. Jerges manda al momento cortar al joven en pedazos y pasar á sus soldados por medio de sus despojos sangrientos, Herod. VII, 37-39; Seneca, *De ira* VII, 17. Porque una tempestad se llevó el puente de barcas construído sobre el Helesponto para el paso de su ejército, este mismo rey condenó á muerte al constructor y ordenó azotar al mar y cargarle de cadenas, Herod., VII. 35. En la batalla de las Termópilas hizo colozar en primera fila, si hemos de dar fé á Diodoro de Sicilia, á los soldados medos para que murieran todos. Después de su derrota en Grecia, olvidó sus desastres, entregándose á toda clase de vicios, Herod. IX, 108, siq. Tal era Jerges, tal era Asuero.» *Manual. Bibli. De lib. Esther.* Art. II. Et ibidem in nota ait: Uno de los primeros resultados de la lectura de las inscripciones persas, dice Mr. Oppert, ha sido la identificación de Asuero con Jerges.

tur sententia eorum, qui dicunt, Assuerum fuisse Darium Hystaspem.

Nam quod in hoc libro dicitur de potentia etc. Assueri, id ipsum de Dario Hystaspe legimus, 3 Esdrae, cap. III, v. 1-2: «Rex Darius fecit coenam magnam omnibus vernaculis suis, et omnibus Magistratibus Mediae et Persidis, et omnibus purpuratis, et praetoribus, et consulibus, et praefectis sub illo ab India usque Aethiopiam, centum viginti septem provinciis.» Verum est, hunc librum non esse Canonicum; sed tamen ejusdem auctoritatis historicae est ac historia Herodoti, aliorumque gentilium. Quod vero Darius de quo hic agitur sit Darius Hystaspes, nemo negat.

Praeterea postremo cap. hujus libri (Esther) agnoscit Assuerus, Deum judaeorum sibi tradidisse regnum, quod optime convenit cum voto quod Darius Hystaspis voverat ad regnum obtinendum (3. Esdr. IV, 43), et melius adhuc cum edicto ipsius de restaurationae templi (1. Esdr. VI, 3). (1)

331. Lutherus primus fuit, qui totius hujus libri divinam inspirationem negavit: tamen ipsius discipuli partem protocanonicam, id est a capite I ad versum 3 capitis X, ut divinitus inspiratam admiserunt. Etiam S. Hieronymus, Praef. in hunc librum dicit: «Librum Esther variis translatoribus constat esse vitiatum: quem ego de Archivis Hebraeorum revelans, verbum e verbo expressius transtuli. Quem librum editio Vulgata, laciniosis hinc inde verborum sinibus trahit, addens ea, quae ex tempore dici poterant et audiri, sicut solitum est Scholaribus disciplinis, sumpto themate, excogitare quibus verbis uti potuit qui injuriam passus est, vel qui injuriam fecit,» ergo videtur S. Hieronymum postrema hujus libri capita habuisse ut apocrypha.

Natalis Alexander ait, hic S. Hieronymum loqui ex Hebraeorum sententia. Juxta Sylvium, S. Hieronymus non agit de ipso textu originali libri Esther, sed de editione, qualis suo tempore circumferebatur.

Quidquid sit de sententia S. Hieronymi, negari non potest divina auctoritas totuis libri Esther. Nam versio LXX, et versio latina Itala, quibus Ecclesia longo tempore usa est, illum librum integrum continent.

(1) Plura invenies apud Wouters, *Dilucidat. etc. In lib. Esther* Quaest. IV.

S. Clemens Rom., allegat quasi testimonia divinitus inspirata, quaedam desumpta ex parte deutero-canonica hujus libri. Origenes in Epist. ad Julium Africanum scribit: «In libro Esther, neque Mardochaei, neque Esther, preces, quae legentes possunt aedificare habentur apud Hebraeos, sed nec Epistola, vel Amani de deletione Judaicae gentis scripta, vel Mardochaei sub nomine Regis Artaxerxis eumdem populum a morte absolvens. Apud LXX autem et Theodotionem ea sunt.» S. Joannes Chrys. alludit ad Cap. XIV, 13, Esther, cum scribit (Hom. 3 ad popul): «Fuit quaedam mulier Hebraea.... talia orans verba: Grata, Domine fac verba mea, et da sermonem compositum in os meum.» Demum ipso et S. Hieronymus (In cap. I. Epist. ad Galatas) utitur tanquam Scriptura divina, hoc loco desumpto, ex Cap. XIV, 11, Esther: «Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt.»

Post declarationes Conciliarum et praesertim Concilii Tridentini, nullus est ambigendi locus circa divinam inspirationem totius libri Esther.

Quaedam argumenta in secunda parte hujus Capitis solventur.

PARS EXEGETICA

332. Quomodo idem rex, modo Assuerus, modo Artaxerxes in hoc libro nominetur.—333. Utrum licitum fuerit matrimonium Esther cum Assuero.—334.—Quomodo magna illa convivia, de quibus in hoc libro agitur concilientur cum sobrietate Persarum.—335. Incredibite videtur quod magno illo convivio adessent omnes praefecti regni, nisi dicamus omnes provincias absque suo praeside vel auctoritate mansisse spatio sex mensium.—336. Irrisorium videtur decretum de uxorum subjectione, cum constet in Oriente mulieres suorum maritorum vere servas fuisse.—337. Inverosimile etiam est quod Aman et Mardochaeus, homines alienigenae, primas regni dignitates obtinuissent.—338. Nec magis credibilia sunt: 1.um quod Mardochaeus non honorasset Aman sicut omnes alii: 2.um quod Aman hac de causa obtinuisset á rege decretum exterminii omnium judaeorum: A 3.um quod rex revocaverit hoc decretum quod erat irrevocabile.— 339. Vindicta, quam hebraei de suis hostibus sumpserunt, ¿fuit ne licita?—340. Quaedam apparentes contradictiones dilucidantur.

332. Darius in hoc libro nominatur, tum Assuerus, tum Artaxerxes, quia nomen *Assuerus* erat commune omnibus regibus Medorum, et *Artaxerxes*, regibus Persarum: cum ergo Darius fuisset rex utriusque regni potuit vocari tum *Assuerus*, tum *Artaxerxes*.

333. Matrimonium Esther cum Assuero videtur fuisse *nullum*, quia regina Vasthi adhuc erat in vivis; et *illicitum*, quia judaeis prohibita erant conjugia cum extraneis.

Respondeo, matrimonium illud fuisse *validum*, quia tunc polygamia erat licita vi dispensationis divinae, quam solummodo Christus sustulit: fuit etiam *licitum*, vi quoque divinae dispensationis, quae omnem periculum perversionis, in quo lex fundabatur, ab Esther avertebat.

334. Quomodo magna illa convivia, de quibus in hoc libro agitur, concilientur cum sobrietate Persarum?

Longo quidem tempore Persas sobrios fuisse constat ex historia: sed postquam coeperunt novas regiones dominare, et regnum magnam suscepit extensionem et divites facti sunt spoliis et praediis hostium, se tradiderunt luxuriae, ostentationi et mollitiei, ut ex historia profana etiam constat.

Hujusmodi convivia frequenter celebrabantur ab imperatoribus Romanis; et erant valde communia Media aetate quae hispanice dicuntur *mesas francas*, seu convivia quibus adesse poterat omnis populus: quod etiam nunc, saltem ex parte servatur in quibusdam regionibus Hispaniae.

335. Incredibile videtur, quod magno illo convivio adessent omnes praefecti regni, nisi dicamus, omnes provincias absque suo praeside mansisse spatio sex mensium.

Ex sacro textu non infertur necessario, omnes praefectos *simul* adfuisse convivio, et in Susan permansisse toto spatio sex menxium. Sed Darius volens bellum inferre graecis, prius consuluit principes et praefectos regni; et ad hoc vocabat eos succesive in Susam: et unaquaque die post concilium habebatur convivium; et sic explicatur magna duratio illius convivii. Deinde praefecti, durante absentia eorum, aliquem constituebant qui auctoritatem exerceret in provinciam quam desserebat.

336. Irrisorium apparet, decretum de uxorum subjectione, cum constet in Oriente mulieres suorum maritorum vere servas fuisse.

Contrarium omnino probant, Regina Vasthi, quae coram omnibus principibus Regi obedire nolluit: Regina Esther quae ab Assuero quaecumque voluerat obtinebat, et demum uxor Aman, qui suo marito utebatur quasi instrumento ad omnia crimina patranda.

Praeterea quod fecit regina Wasti, erat, juxta legem Persarum, quae prohibebat mulieribus illustribus se ostendere coram extraneis.

337. Inverisimile etiam videtur, quod Aman et Mardochaeus, primas regni dignitates obtinuerint, cum tamen fuisent alienigenae.

Mardochaeus utique erat alienigena respectu Medorum et Persarum; non vero Aman qui fuit Medus. (1) Et etiamsi uterque fuerit alienigena, historia tum antiqua, tum contemporanea, plura nobis exempla offert Regum qui ministris alienigenis suum imperium bene vel male administrarunt.

Lege Historiam Hispaniae a saeculo XVI ad nos usque. Demum haec omnia sic contigerunt Deo ita disponente pro bono sui populi; haec vero Dei specialis providentia erga populum suum, rationabiliter negari non potest.

338. Nec magis credibile videtur: 1.um quod Mardochaeus non honorasset Aman sicut et caeteri qui in palatio regis erant: 2.um quod Aman hac de causa obtinuisset a Rege decretum exterminandi non modo Mardochaeum sed etiam omnes judaeos, qui Amani hunc honorem non negabant; et 3.um quod Assuerus revocaverit hoc decretum, quod juxta morem Persarum erat irrevocabile.

Ad 1.um dicendum cum Estio, Aman ex collo suspensum habuisse quoddam idolum, et ideo Mardochaeum nolluisse eum adorare, ne videretur idolo cultum tribuere. Alii dicunt Aman voluisse cultu divino adorari, et hac de causa Mardochaeum Aman non adorasse: hoc infertur ex cap. XIII, v. 12-14: «Cuncta nosti, et scis quia non pro superbia, et contumelia, et aliqua gloriae cupiditate fecerim hoc, ut non adorarem Aman superbissimum, (libenter enim pro salute Israel

(1) «Se ha creído, ait Oppert, por espacio de mucho tiempo que Aman, hijo de Amadatha, cuyo nombre ha recibido tan triste celebridad, era Amalecita, porque uno de los reyes de Amalec, se llamaba Agag. Y puesto que ya en la antigüedad los nombres de Esau y Amalec, eran tomados como la denominación de los paganos de Europa, los setenta tradujeron el hebreo *agagi* por Μακεδῶν el Macedonio. Sin embargo, el nombre de Aman, como el de su padre, es de origen medo-persa. Sabemos ahora por las inscripciones de Khorsabad que el país de Agag era realmente una parte de la Media. Ahora bien, esto es una nueva circunstancia que prueba hasta en sus menores detalles el valor histórico del libro de Esther.» *Manual Bíblico*, *Lib. Esther*. Art. II.

etiam vestigia pedum ejus deosculari paratus essem), sed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, et ne quemquam adorarem, excepto Deo meo.»

Ex Strabone, Seneca, Quinto Curtio et ex aliis gentilibus historicis constat, Reges Persarum sibi deferri voluisse honores divinos. Fortasse dices Aman non fuisse Regem; utique, sed animadvertendum est apud gentiles fuisse deos majores et minores: et ideo Aman honorem divinum, etsi minorem illo qui Regi tribuebatur, exigebat.

Praeterea, Mardochaeus sciebat, in conjuratione eunuchorum ad occidendum Regem, partem habuisse Aman, qui suam habebat factionem hostilem Regi; judaei vero Regi favebant. Et en praecipua causa, qua Mardochaeus nolluit adorare Aman.

2.um argumetum solutum est in 1.°

Quoad 3.um dicimus Assuerum non revocasse primum decretum, sed aliud dedisse, ut hebraei possent se ipsos armis defendere, cum pervenisset dies exterminii eorum.

339. Vindicta quam judaei de suis hostibus sumpserunt, ¿fuit ne licita?

Fuit licita, utpote facta vi decreti regni. Praeterea cum de aggresione injusta agitur, qualis fuit ea de qua in hoc libro est sermo, vim vi repellere justum ac licitum est.

340. Adversarii auctoritatis historicae et divinae hujus libri, quasdam in ipso inveniunt contradictiones, quae ut videbimus non nisi apparentes sunt. Cap. II legimus Mardochaeum detexisse conjurationem eunuchorum, *anno septimo* Assueri; et cap. VI, 3, additur Mardochaeum nullam mercedem accepisse; sed ex cap. XI et XII constat, Mardochaeum praedictam conjurationem detexisse *anno secundo* Assueri, et insuper pro delatione mercedem accepisse.

Sic cl. P. Wouters haec loca conciliat: «Resp. Neg. assumpt. Ac dico, postrema capita bene cohaerere, quantum ad veritatem rerum, quae narrantur, etsi non quoad ordinem: Postrema namque capita secundum ordinem rei gestae non sunt postrema, sed quaedam pertinent ad libri initium, ut patet tum ex Versione LXX Interpretum, in qua, sicut supra Quaest. 1 dictum fuit, omnia suo ordine collocata sunt, tum ex notationibus S. Hieron. quae cap. 10, 11 et sequentibus hujus libri sunt insertae. Quare autem Ecclesia patiatur ea capita ad finem

libri permanere, ratio esse potest, ut intelligamus, quid hujus libri sit in Codicibus Hebraeis, et quid non sit.—Narratio igitur insidiarum, quae in nostris Bibliis habetur cap. 12, ad initium libri pertinet, atque ibi narrantur insidiae per anticipationem, quae rursum narrantur postea suo loco, cap. 2.

Factae sunt autem anno septimo Assueri, ut habetur cap. 2, non autem anno secundo, ut videtur colligi ex cap. 11, siquidem illa verba v. 2: *Anno secundo, regnante Artaxerxe maximo* etc., non debent extendi usque ad narrationem insidiarum, de qua cap. 12, sed solum ad ea, quae dicuntur in ipso cap. 11, id est, ad somnium, quod Mardochaeus vidit antequam Esther Assuero conjungeretur. Quod vero objectum est de mercede delationis... Potest etiam responderi, quod locus capitis 12 intelligatur munusculis minoribus, v. g. de summa pecuniaria data Mardochaeo, dum interim servabat ipsum in Palatio Rex, ut plene remuneraret ejus fidelitatem. Cum vero nondum plenam illam retributionem accepisset, vere dicitur cap. 6, v. 3: *Nihil omnino mercedis accepit*, dignae scilicet, et proportionatae tanto beneficio, quo Regem a praesenti morte liberaverat.» (1)

Aliam etiam contradictionem vel discrepantiam inveniunt adversarii in his locis; cap. III, 5-6, dicitur, causam indignationis Aman contra Mardochaeum fuisse quod Mardochaeus illum non adoraret; sed cap. XII, 6, legimus causam fuisse, quod Mardochaeus detulisset eunuchos.

Nullum est inconveniens in hoc quod amittamus utrumque factum fuisse causam indignationis Aman.

(1) *Dilucid. in Sac. Scrip. in lib. Esther*, Quaest. II —Notanda sunt etiam haec verba cl. Caminero: «Mardochaeus non vere dicitur *secundo anno* conjurationen aperuisse (XII, 1, 2 coll. XI, 2) quamvis ita primo aspectu videatur in vulgata versione per illa verba *eo tempore*, quae in graeco desunt.» *Man. Isag.* Introd. Partic. Cap. XXII.—Similia habet Iltm. P. Scio in suis notis hispanicis ad Sac Bibliam.

Caput XXIV

De libro Job.

PARS CRITICA.

341. Biographia Patriarchae Job.—342. Num hic liber vere sit historicus.—343. Divina inspiratio hujus libri ostenditur.—344. An omnia quae in hoc libro continentur sint vera et divinitus inspirata?—345. Opiniones quoad ejus auctorem.—346. Num probabiliter fuerit ipse Job.—347. Quo tempore haec historia contigerit.—348. Solvuntur sequentes objectiones adversus historicam et divinam hujus libri auctoritatem: 1.ª Persona Job est valde indefinita: 2.ª Conversatio Angelorum et Satanae cum Deo videtur ridicula: 3.ª Bonitati divinae opponitur quod Deus Satanae tantam tribueret libertatem ut tentaret Job; 4.ª neque verisimile est quod ommes illae calamitates una post aliam venirent, ita ut in qualibet earum unus tantum incolumis exiret ut Jobi notitiam deferret: 5.ª demum videtur incredibile quod Patriarchae Job duplicarentur omnia quae amisserat, et aetate jam provectus sicut et ipsius uxor, habuerit ex ea septem filios et tres filias.

341. Liber hic continet quadraginta et duo capita, in quibus nobis proponitur exemplar patientiae in persona Job, qui natus est in regione Hus, circa cujus positionem topographicam multum disputant interpretes. Nos amplectimur sententiam eorum qui dicunt hanc regionem sitam fuisse inter Idumaeam et Arabiam. Juxta aliquos Job est ille Jobad de quo agitur, Gen. XXXVI, 33, pronepos Esau.

Job vir rectus et timens Deum habebat septem filios et tres filias; septem millia ovium, tria millia camelorum, quingenta juga boum et quingentae asinae. Sed cum Satanas a Deo facultatem obtinuisset tentandi Job, destruxit omnia quae hic habebat, et Job mirabili patientia recipit notitias immediate succedentes ruinae et mortis ovium, camelorum, boum, asinarum et filiorum suorum. Quasi haec omnia nihil fuissent, Deus permisit Satanae ut tangeret corpus ipsius Job: et Satanas percussit Job ulcere pessimo a planta pedis usque ad verticem capitis. Job sedens in sterquilinio patienter sustinebat reprehensiones et discursus uxoris et trium amicorum, qui ostendere conabantur omnes calamitates quibus homo affligitur esse totidem poenas peccatorum personalium. Job vero innocentiam suam defendit. Tunc quartus amicus Job, nomine Eliu, reprehendit alios tres amicos, et ostendit Deum non injuste agere cum calamitatibus affligit etiam eos qui in eum non peccaverunt. Deinde ipse Deus loquitur ex turbine et ostendit

Job suam infinitam potentiam et majestatem et reprehendit eum quia aliquantulum modestiae et patientiae fines transiliret in defendenda sua causa, quamvis haec esset justa: Job humiliter confitetur, secreta Dei imprudenter investigare voluisse; et Deus reprehendit amicos Job. Postremo Job denuo sanitatem obtinet, et omnia bona quae amisserat duplicantur, et habet septem filios et tres filias. Cumque haec omnia contigissent anno aetatis suae septuagessimo, adhuc vixit usque ad annum centessimum et quadragessimum, et vidit filios filiorum suorum usque ad quartam generationem.

342. Thalmudistae, Lutherus et alii dixerunt, hunc librum non esse nisi puram fictionem, ad virtutem patientiae commendandam, inventam. Alii ut Rossemmuller, Janh, Herbet et Huetius, quamvis teneant Job revera exstitisse, tamen dicunt librum parabolis vestitum esse. Huic sententiae aliquo modo accedit Ubaldi, cum dicit: «Notamus denique historiam Jobi in substantia quidem veram esse, et uti talem a sacris scriptoribus citari (Cfr. Ezech. XIV, 14; Tob. II, 12; Epist Jac. V, 11), sed tamen poeticis coloribus exornatum; quod praecipue de Jobi et amicorum colloquiis intelligendum est, quae ingeniosa et elaborata poemata sunt versibus hebraicis expressa, qua ratione nemo existimavit Jobum in summis doloribus constitutum loqui voluisse, aut ejus amicos cum eo disputasse.» (1)

Inter modernos rationalistas, nemo est qui realem Patriarchae Job existentiam neget.

Probatur itaque veracitas historica hujus libri: 1.° ex Sacra Scriptura. Nam cap. XIV, 14, Ezech. legimus: «Si fuerint tres viri in medio ejus, Noe, Daniel et Job, ipsi justitia sua liberabunt animas suas, ait Dominus exercituum.» Ubi Job comparatur cum Noe et Daniel qui verae et reales personae fuerunt: ergo neque Job est persona ficticia. Cap. II, 12, dicitur apud Tobiam: «Hanc autem tentationem ideo permisit Dominus evenire illi, ut posteris daretur exemplum patientiae ejus, sicut et sancti Job.» Ergo Job fuit persona vera et realis sicut Tobias. Demum cap. V, 11, Ep. Jacob legimus: «Ecce beatificamus eos qui sustinuerunt: sufferentiam Job audistis.»

2.° Omnes Patres unanimiter fatentur hunc librum esse historicum: inter alios S. Augustinus recensitis quibusdam libris histo-

(1) *Introd. crit. in Sac. Scrip.* P, I. Sect. II Cap. II. Art. II.

ricis scribit: «Haec est historia, quae sibi annexa tempora continet atque ordinem rerum: sunt aliae tamquam ex diverso ordine, quae neque huic ordini neque inter se connectuntur, sicut est Job et Tobias et Esther et Machabaeorum libri duo et Esdrae duo, qui magis subsequi videntur ordinatam illam historiam usque ad Regnorum vel Paralipomenon terminatam.» (1) Juxta S. Joan. Chrys.: «Parabolae illae sunt, ubi exemplum ponitur et tacentur nomina.» (2) in hoc vero libro designatur nomen Job, regionis in qua habitavit, filiorum et filiarum ejus et suorum amicorum; specificantur divitiae ipsius etc.; quae omnia characterem historicum hujus libri confirmant.

3.° In Martyrologio Romano, Graeco et omnium ecclesiarum orientalium habetur Job in catalogo Sanctorum.

Ut vidimus, quidam dicunt, hunc librum esse partim historicum, partim vero poeticum et ideo ficticium: sed haec opinio nullatenus admitti potest, cum sit heraetica, eo quod supponat aliquid esse in hoc libro quod sit falsum. Praeterea fictionem et poesim a veritate historiae separari non possunt; haec vero sacer auctor debuit distinguere, ne lectores induceret in errorem. Demum, juxta adversarios, hic liber esset congeries veritatis et fictionis: hoc vero admitti non potest in libro, ubi omnia eodem modo et pari sensu, stylo etc. narrantur.

Postremo in Koram, plura sunt quae Job respiciunt, et apud arabes plures familias pretendunt originem trahere a Patriarcha Job.

Silentium Josephi circam librum Job, nihil probat adversus characterem historicum ipsius: nam Josephus tantum texit historiam Israelitarum, de qua gente non erat Job.

343. Quoad divinam inspirationem hujus libri, constat, in primis, ut vidimus, in aliis Sacrae Scripturae libris allegari, quasi eamdem habens auctoritatem ac caeteri libri Sacri. Id ipsum confirmat universalis traditio tum christianorum, tum etiam judaeorum. Demum, hunc librum, ut sacrum et divinitus inspiratum continent omnes Canones, omnesque versiones: ergo de ejus divina inspiratione, dubitare non licet.

344. Nunc quaeritur, an omnia quae in hoc libro narrantur sint vera et divinitus inspirata.

---

(1) *Doctr. Christ.* II. 8.

(2) *Homil. I. de Divite et Lázaro.*

Resp. Certum est, in primis, omnia facta quae in hoc libro narrantur contigisse: certum est etiam Deum inspirasse auctori hujus libri, ut omnia facta, discursus etc. quae liber continet, scriptis consignasset.

Num quaeritur, utrum ipsimet discursus seu orationes, Job, uxoris et amicorum suorum, veritatem in seipsis contineant.

Indubium est, loca illa in quibus Deus ipse loquitur purissimam veritatem continere. Quoad orationes Job, plures absque dubio veritati conformes fuerunt, quia Deus reprehendit amicos suos, eo quod non recte locuti fuissent, «*sicut servus suus Job.*» Tamen aliqui credunt non omnia a Job dicta, fuisse vera nec divinitus inspirata: nam quandoque Deus eum reprehendit: et S. Beda et S. Thomas asserunt Job locutum fuisse quaedam reprehensionis digna. Sed juxta citatos scriptores, et S. Augustinum et Hieronymum, nullus est error doctrinalis in verbis Job: ideoque et reprehensio divina, et retractatio ipsius Job, non nisi audaciam qua Job cum ipso Deo locutus est, respiciunt.

Quoad orationes amicorum Job, quaedam verae et divinitus inspiratae fuerunt, nam Apostolus, Epist. I. ad Cor., allegat ad litteram haec verba amici Job, cui nomen Eliphaz; «Comprehendam sapientes in astutia eorum» (Job. V, 13). Sed dicit Estius, Apostolum quandoque uti etiam testimoniis gentilium; tamen in hujusmodi testimoniis Apostolus non praemittit illa verba «*sicut scriptum est*» ut facit in nostro casu.

Tamen plura falsa et erronea locuti sunt amici Job, et hac de causa a Deo reprehenduntur.

345. Thalmudistae putant hunc librum scripsisse Moysem' cum esset apud Madianitas pascendo oves soceri sui Jethro; et illum scripsit volens consolari judaeos sub Pharaone gementes: ad hoc, ante eorum oculos posuit exemplar patientiae, et protectionis divinae argumentum, ne animo dejicerentur. Tamen haec Thalmudistarum sententia nullam fere habet auctoritatem, cum ipsi inter se non conveniant quoad tempus quo vixit Job: quidam enim eum faciunt coaevum Esdrae, alii Davidi, non nulli Judicibus, et alii demum Moysi.

Pineda et Bonfrerius docent textum primitivum hujus libri fuisse arabicum vel chaldaicum: ipsum vero versum fuisse in sermonem hebraicum a Moyse. Etiam Tostatus, Cajetanus, Bellarminus, Bossuet, aliique hunc librum Moysi tribuunt. Sed eatenus haec opinio admitti non potest, quia forma poetica



canticorum quae in libris Moysis inveniuntur, omnino distinguitur a forma poetica libri Job.

Plures his nostris temporibus credunt hunc librum esse aetatis Salomonicae, et nonnulli asserunt ipsius auctorem fuisse Salomonem: videtur hanc sententiam defendere S. Greg. Nazian., S. Joan. Chrys., Calmet et Harduin. Cornely probabilitatem hujus opinionis his rationibus ostendit: 1.° quia elegantia et perfectio litteraria qua hic liber exaratus est optime respondet aetati Salomonis, quando nempe littetatura hebraica maximam perfectionem attingit: 2.° Quia magna adest affinitas inter proverbia Salomonis et librum Job quoad sententias et etiam quoad ipsa verba, ut ostendit Calmet, comparatione instituta inter diversa loca utriusque libri. Neque ad hanc affinitatem explicandam sufficit dicere, auctorem libri Job imitatum fuisse Salomonem, sed necessarium est agnoscere auctorem utriusque libri fuisse unum idemque. Id ipsum confirmat, quod auctor libri Job ostendat se habuisse notitiam valde perfectam scientiarum naturalium: Salomonem vero in hujusmodi scientiis peritissimum fuisse, optime scimus. (1)

346. Doctissimus Caminero, opinatur auctorem hujus libri fuisse vel ipsum Job, vel coevum huic Patriarchae: et has rationes affert: 1.° in hoc libro proponitur ut exemplar virtutum et typus Messiae, vir quidam Idumaeus; nemo vero inter hebraeos aetatis Moysis vel posterioris hoc fecisse credi potest: nam aetate Moysis, Idumaei, veteres traditiones respuentes neque verum Deum colentes, constituebant populum vere corruptum et immoralem, ideoque minime aptum ut in illo hebraei invenirent exemplar virtutis quod in hoc libro proponitur.

2.ª Nulla in hoc libro fit mentio alterius superstitionis quam sabaeismi, seu cultus astrorum, valde communis apud chaldaeos et arabes, non vero apud hebraeos.

3.ª Nihil in hoc libro dicitur de legislatione Mosaica, neque de prodigiis a Deo patratis in Aegypto et in deserto in favorem sui populi, quorum fama pervenerat ad omnes vicinas regiones: Moyses vero, vel auctor ipsi coaevus, haec non omississet.

4.ª Quia forma qua, juxta hunc librum, constituebantur tribus, familiae, sacerdotium, divitiae in pecoribus sitae, administratio justitiae etc, optime quadrat moribus patriarchalibus multo anterioribus Moysi.

(1) *Op. cit. De Vet. Test. lib. Didact.* Cap. II. de lib. Job.

5.ª Quia hujusmodi descriptiones vitae et morum tanta fidelitate et uniformitatae factae, tribui nequeunt auctori multo posteriori factis quae narrat: nam secus in libro necessario apparerent indicia quae illud genus vitae et mores mutatos fuisse ostenderent.

6.ª Quia descriptiones Idumaeae et Arabiae quas auctor facit, satis demonstrant, hunc auctorem in illis regionibus habitasse.

7.ª Id ipsum probare videtur, lingua hujus libri chaldaismis et arabismis undique scatens.

Si ergo auctor hujus libri non fuit Moyses, neque Eliu, ut quidam absque ullo fundamento dixerunt, probabile apparet ipsum Job hunc librum scripsisse. Hanc sententiam videntur aliquo modo confirmare haec verba Job (XIX, 23): «Quis mihi tribuat ut scribantur sermones mei? quis mihi det ut exarentur in libro?»

Sed huic sententiae videntur opponi illa verba «*Finita sunt verba Job*, quae inveniuntur in fine Cap. XXXI.

Tamen ex his verbis tantum infertur, jam Job locutum non fuisse cum amicis sed solummodo cum Deo. (1)

Ut finem huic paragrapho apponamus, animadvertimus, juxta Origenem, Job et suum librum anteriores esse Moyse. S. Gregorius M. asserit Librum ab ipso Job exaratum fuisse; sed Job vixisse aetate Judicum.

347. Quoad aetatem qua vixerat Job haec habemus indicia: Job fuit posterior Abraham et Esau; nam amici ejus nempe Eliphaz erat nepos Esau (Gen. XXXVI, 11) sicut etiam Sophar (ibid.); Baldad vero fuit filius Abrahae et Cethurae (Gen. XXV, 2)

In hac quaestione haec habet S. Augustinus: «Quia si negant facillime convincuntur de sancto et mirabili viro Job, qui nec indigena nec proselytus, id est, advena populi Israel fuit: sed ex gente Idumaea genus ducens, ibi ortus, ibidem mortuus est.... quae tempora ejus quamvis non inveniamus in canonicis, colligimus tamen ex libro ejus, quem pro sui merito Israelitae in auctoritatem canonicam receperunt, tertia generatione posteriorem fuisse quam Israel.» (2)

(1) *Man. Isag* Sect. III. Cap. XIX.

(2) *De Civ, Dei*, 18, 47.

Job fuisse anteriorem quam Moyses, ex eo videtur inferri, quod in hoc libro nulla allusio fiat ad ea quae contigerunt durante Exodo, vel post Exodum, sed utique ad illa quae narrantur in Genesi.

Etiam in libro Job mentio fit de quadam moneta antiqua non signata, nempe *quesitah*, quod nomen non nisi in Genesi et Job legitur.

348. Adverssarii auctoritatis divinae et historicae hujus libri, sequentes proponunt objectiones: 1.ª Persona Job est valde indefinita.

Re quidem vera, de Job nihil aliud dicitur, nisi quod fuerit de terra Hus: sed ex hoc nihil infertur contra auctoritatem historicam et divinam hujus libri: nam ex. gr. de propheta Joel tantum dicitur quod fuerit filius Phatuel; de propheta Jona, id tantum scimus, nempe fuisse filium Amathi: nemo tamen rationaliter dicet neque Joel neque Jonam extitisse, vel eorun libros divina et historica auctoritate carere.

2.ª Conversatio Angelorum et Satanae videtur ridicula.

Quidquid supernaturalismi notam includit, rationalistis videtur incredibile et ridiculum; si vero eorum probationes vel argumenta spectes, sede, amice lector, ne fatigeris.

Theophaniae et Angelophaniae frequentes sunt in Sacris Scripturis, ut omnibus qui eas vel leviter legerunt patet: neque ulla est in hoc impossibilitas semel admissa existentia Dei et Angelorum. Colloquia vero, de quibus sermo est in hoc libro, habita sunt in domo Job, non autem in coelo. Angeli boni probabiliter fuerunt, angeli custodes vel tutelares domi Job.

3.ª Dicunt adversarii, bonitati divinae opponi quod Deus dederit Satanae facultatem ut tam atrociter tentaret Job.

Deus voluit proponere nobis illustre exemplar patientiae, et simul ostendere impotentiam diaboli contra efficaciam divinae gratiae, qua Deus jugiter Job adjuvit, ne deficeret et vinceretur; quae gratia adjutrix a Deo homini non negatur in tentationibus, juxta illud Apostoli: «Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis: sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere.» (1)

4.ª Incredibile videtur quod omnes illae calamitates statim una post aliam contigissent, et ita ut in qualibet earum non nisi unus homo incolumis exiret.

(1) I ad Cor. X, 13.

Nihil horum incredibile esse debet illi qui existentiam simul et potentiam diaboli agnoscat: potuit namque Satan inducere sabaeos et chaldaeos ut raperent boves, asinas et camelos Jobi, et etiam haec facere illo tempore quo praevidebat, oves et pastores et filios Job, perituros esse vi magnae alicujus tempestatis. Omnes hae calamitates statim una post aliam contigerunt ut tentatio esset major. Quod vero in unaquaque earum unus tantum homo salvus fieret, vel factum est etiam a Satan, vel qui notitiam defferebat, horrore perterritus, omnes alios homines qui secum fuerant, periisse, putabat.

5.ª Demum, videtur etiam incredibile quod Patriarchae Job duplicarentur omnia quae amisserat, et aetate jam provectus, sicut et uxor ipsius, habuerit ex ea septem filios et tres filias.

Sacra Scriptura minime dicit Job statim post sanationem, duplicata recepisse omnia quae amisserat, sed hoc factum est aliquo transcursu temporis et vi specialis providentiae Dei; quae quidem non excludit media naturalia, ut hereditas, munera amicorun qui innocentiam Job agnoverunt etc. Demum Sacra Scriptura non dicit Job habuisse denuo septem filios et tres filias ex prima sua uxore: unde aliam juniorem ducere potuit.

PARS EXEGETICA

349. Num Job maledicendo diem nativitatis suae, aliisque verbis peccaverit.—350. Quomodo haec loca concilientur: (XXVII. 6) «Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.» et (VII. 20) «¡Peccavi! ¿Quid faciam tibi ó custos hominum?»—351. Quomodo hic locus exponatur, (II. 13.) «Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum.»—352. Quae animalia designent Behemot et Leviatham.—353. Quae doctrina dogmatica et moralis in hoc libro commendetur.

349. Job maledicendo diem nativitatis suae aliisque verbis, non peccavit saltem mortaliter: secus neque Sacra Scriptura, neque Patres ipsum proponerent ut exemplar patientiae, nec Deus dixisset amicis Job, quod non fuerint *recte* locuti sicut servus suus Job.

Praeterea, ut dicit S. Gregorius M. Job est typus Jesuchristi, et ideo plura ejusdem verba, intelligenda non sunt sensu litterali proprio.

Quoad maledictionem diei nativitatis, intelligenda est partim ut locutio figurata et hyperbolica, et partim ut manifestatio vo-

luntatis inefficacis, ad modum quo Salvator dixit «Transeat a me calix istae» (Matth. XXVI, 39),

350. Nulla datur contradictio inter haec loca: (XXVII, 6) «Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea» et (VII, 20) «¡Peccavi! ¿quid faciam tibi o custos hominum?»

Nam in primo loco agitur de pecatis venialibus in quae homo frequenter incurrit, et Job postulat a Deo ut ipsum doceat modum pro his peccatis satisfaciendi.

In altero vero loco, sermo est de peccatis gravibus quae Job imputabant amici sui.

351. Quomodo hic locus exponatur, (II, 13) «Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum.»

Haec verba ad litteram intelligi non debent: sed erat mos illis temporibus, comitari septem dierum spatio illum cui aliquid adversi acciderit: et magna diei parte erant sedentes in terra, et nihil vel fere nihil loquebantur, propter aflictionem illius amici vel propinqui quaem consolari volebant. Tamen nec sessio, neque silentium erat omnino absolutum.

352. Verbum *Behemoth* quod significat *bestia*, videtur designare animal quadrupedum ingentis magnitudinis, fortasse elephantem vel hippopotamum.

Vox *Leviathan* monstrum aquaticum, ex. gr. balaenam vel crocodilum.

Juxta Patres, his nominibus designatur diabolus.

353. Quae doctrina dogmatica et moralis in hoc libro commendetur.

In hoc libro, clarissime asseritur doctrina de veritate resurrectionis carnis, his verbis (Cap. XIX, 25-27)«Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt.»

Ex his postremis verbis «Quem visurus sum ego ipse et oculi mei conspecturi sunt» etiam infertur veritas Incarnationis Domini N. J. Christi: nam Deus, quatenus Spiritus est, et non incarnatus, vel aliqua corporali forma indutus, oculis corporalibus videri non potest.

Si de doctrina practica sermo sit, hic liber docet, dolores, aflictiones, omnesque calamitates hujus mundi, patienter esse

tolerandas, ut duplicatum vel potius centuplicatum reportemus negotium omnimodam fiduciam in Deo habentes, qui non permittet nos tentari supra id quod possumus.

Caput XXV

De libro Psalmorum.

PARS CRITICA

354. Diversae species psalmorum.—355. Quomodo a Judaeis et Graecis vocabantur.—356. Psalmi *schirim, mizmorim, schirim-mizmor* et *mizmor-schirim*.—357. De musicorum coetibus a Davide et Salomone institutis, et de instrumentis musicis quibus utebantur.—358 Variae divisiones psalterii justa judaeos et christianos.—359. Numerus psalmorum. Discrepantia inter textum hebraicum, graecum et vulgatam.—360. Tituli psalmorum. Quae oporteat scire ad eorum intelligentiam. Num hujusmodi tituli authentici sint. —361. Quid dicendum de psalmis Machabaicis et de psalmo CLI.—362. Num omnes psalmi sint Davidis.—363. Ostenditur divina libri psalmorum inspiratio.—364. Psalmi Messianici sensu tum litterali, tum spiriatuali, et eorum existentia.— 365. Causae obscuritatis hujus libri.—366. Ipsius excellentia et utilitas.—367. Solvuntur objectiones adversus divinam inspirationem libri psalmorum: 1.ª Saepe David in psalmis se ipsum populumque suum facit justum, quod cum libris historicis V. T. componi nequit: 2.ª Omnes alios populos vocat impios, ipsisque mala gravia precatur: 3.ª non alias poenas neque praemia nisi temporalia proponit: et 4.ª numquam de futura vita in hoc libro mentio fit.

354. Liber Psalmorum continet 150 cantica seu poemata spiritualia; quaedam ex ipsis sunt *laudis* et gratiarum actionis; alia *deprecationis* et fletus: nonnulla *poenitentialia*; quaedam *execratoria*; aliqua *didactica* seu doctrinalia; plura *historica*; nonnulla *gradualia*, pro his qui peregrinabantur in Jerusalem, et demum *prophetica*, quae generatim respiciunt Messiam.

355. Antiquitus hebraei haec cantica vocabant *Tehillim* (hymnos, laudes) et *Thephillot* (praeces), quae denominationes non bene conveniunt omnibus Psalmis, cum plures nullum habeant characterem hymni, nec laudis nec precum. Tamen etiam psalmi historici, poenitentiales et prophetici saltem indirecte testantur et agnoscunt infinitam Dei misericordiam, providentiam et sapientiam: unde ut hymni et laudes haberi possunt.

Quare juxta S. Hieronymum «totum Psalterium non est nisi ad Deum in cunctis operibus deprecatio.»

Judaei Alexandrini, hujusmodi cantica spiritualia, vocarunt *psalmos* a verbo ψαλλειν quod significat *fidibus canere* (tañer.)

356. Psalmi qui sola voce humana et absque instrumentis musicis canebantur, dicti sunt *schirim:* qui vero destinati erant ut canerentur cum instrumentis musicis, appellabantur *mizmorim:* cum cantus praecedebat concentum instrumentorum musicorum, psalmus dicebatur *schirim-mizmor;* secus vero *mizmor schirim.*

357. Ad laudes Domino decantandas David destinavit 4.000 cantorum: et Salomon addidit triginta collegia instrumentorum musicorum (bandas de música) Musici ut recte et ordinate canerent habebant suos praesides (maestros de capilla.)

Quoad instrumenta musica quibus tunc utebantur, difficile admodum est determinare eorum naturam et structuram, sed probabile est adhibuisse quae hispanice dicimus *castañuelas* (cymbalis benesonantibus), *cimbalos*, *platillos ó campanillas* et *pandero* (tympanum); quoad instrumenta quae vi aeris sonos emittunt (instrumentos de viento), adhibuerunt *organum*, cujus structura absque dubio simplicior fuit quam nunc est; *tibiam*, *fistulam* (especie de flauta ó gaita); et *tubam* (trompeta metálica); quoad intrumenta ex chordis conflata, adhibuerunt *psalterium*, *citharam* et *nabluu* (especie de arpas, que cuando tenían diez cuerdas se llamaban decacordos.)

358. Judaei antiquitus Psalterium vocabant Pentateuchum, quia ipsum dividebant in quinque partes: 1.ª complectebatur 41 psalmos: 2.ª 31; 3.ª 17; 4.ª etiam 17 et 5.ª 41. Hoc modo divisum est Psalterium in versionibus Syriaca et Arabica, et etiam, juxta Eusebium, in versionibus graecis, et in ipso textu originali hebraico. S. Ambrosius, Hilarius, Hieronymus et Augustinus hanc etiam divisionem admittunt, sed supposita unitate totius Psalterii. Fundamentum hujus divisionis est, quod in fine cujuslibet partis legantur hujusmodi locutiones *fiat, fiat*, vel *amen*, aut *hallelu-iah.*

Bellarminus et alii dividunt Psalterium in tres partes, quarum quaelibet 50 psalmos continet: prima quae finem habet in psalmo *Miserere*, est propria *poenitentium*, seu eorum qui ambulare incipiunt per viam perfectionis; secunda quae finitur in psalmo *Misericordiam et judicium cantalo tibi Domine*, destinata est *justis proficientibus;* et tertia quae reliquos psalmos complectitur, *ad perfectos* spectat. Hanc divisionem insinuat S.

Augustinus his verbis: «Non frustra mihi videtur Psalmus quinquagesimus esse de poenitentia, centesimus de misericordia et judicio, centesimus quinquagesimus de laude Dei in sanctis ejus. Sic enim ad aeternam sanctamque tendimus vitam, primitus peccata nostra damnando, deinde bene vivendo, ut post condemnatam vitam malam gestamque bonam mereamur aeternam.» (1)

Quidam, inter quos Cornely (2) putant eatenus dividendum esse Psalterium in quinque partes, quia antiquitus quinque fuerunt psalmorum collectiones, diverso tempore et a diversis collectoribus factae: si enim unus tantum fuisset omnium psalmorum collector, ¿quomodo explicatur quod idem psalmus «*Dixit insipiens etc,* duplicatus appareat (Psal. XIII et LII.) Praeterea ultimo versu psalmi LXXI, legitur: «Defecerunt laudes David filii Jesse», quae verba innuere videntur, huc finem habere aliquam collectionem psalmorum.

Demum diversus usus nominum Jehovah et Elohim etiam ostendit diversas collectiones psalmorum extitisse. Nam in prima, quarta et quinta parte, fere exclusive adhibetur nomen Jehovah; in secunda autem Elohim; et in tertia promiscue usurpatur utrumque nomen. (3)

(1) *In. Psal.* 150.

(2) *Curs. Sac. Scrip. Introd. special. De Psalt. Dav.*

(3) Vigouroux in hac re sic scribit: «Los que..... creen que los Salmos fueron clasificados atendiendo el nombre de Dios que usa cada uno; pero el libro III en que el nombre de Elohim vá cediendo gradualmente la ventaja al de Jehova, destruye esta explicación. Se ha supuesto tambien con más verosimilitud, que el empleo de Elohim en los libros II y III proviene de que las colecciones datan de la época que media entre Salomón y Ezequías, durante la que era muy poco usado el nombre de Jehovah. Esta hipótesis cronológica está confirmada por los títulos de cierto número de Salmos. Parece sin embargo, estar en contradición con el contenido del libro II, que contiene muchos Salmos de David, en los que se lee Jehovah en vez de Elohim. Para explicarla, se puede admitir que el mismo David reunió los Salmos del primer libro con un fin litúrgico; y que excluyó los Salmos L-LXIII, porque los creyó demasiado personales, y por haber en ellos alusiones directas á su vida privada, los tuvo por impropios para el canto público. No puso en la primera colección más que los que tenían un caracter general ó que pudieran facilmente generalizarse y sustituyó en ellos el nombre más teocrático de Jehovah en vez del de Elohim. Más tarde se coleccionaron en los libros siguientes los Salmos davídicos que el real Profeta no había reunido por sí mismo.» *Man. Bibl.* Ant. Test. P. II. Cap. III. Art. I.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y ARCHIVO HISTÓRICO

359. Juxta Concilium Tridentinum, psalmi omnes canonici sunt centum et quinquaginta.

Numeratio Psalmorum in textu hebraico, et versione graeca et vulgata et syriaca, distincta est; sed haec diversitas ex eo procedit, quod quandoque ex duobus psalmis fit unus, vel e contra, unus psalmus in duos dividitur. Unde qui in Vulgata est 9 et 10, apud hebraeos est 9 tantum; qui apud nos est 113, apud hebraeos sunt 114 et 115; psalmus 116 juxta hebraeos, apud nos est 114 et 115; psalmus 147 apud hebraeos, est nobis 146 et 147. Tamen tum in textu hebraico, tum in omnibus versionibus et etiam in Vulgata, psalmi iidem sunt.

360. Admodum difficile est interpretari titulos psalmorum. Ad hoc multum juvat cognoscere in psalmis 1.° personas; 2.° tempora; 3.° naturam, et 4.° musicam.

1.° Persona quae in titulo apparet, ex. gr. quando legitur «Psalmus David» «Psalmus Asaph» vel designat illam quae psalmum composuit, vel illam de qua agitur, vel cui traditus est psalmus, ut juxta regulas musicae ordinaret.

2.° Quod ad tempus pertinet, observandum est, quo tempore vel qua occasione scripti fuerint, vel qua hora cani deberent: sic tituli psalmi III, «Psalmus David, cum fugeret a facie Absalom filii sui» et L, «Psalmus David, cum venit ad eum Nathan propheta, quando intravit ad Bethsabee» sufficienter indicant occasionem qua compositi sunt hi psalmi. Ex his titulis ps. XXI, «In finem pro suceptione matutina, psalmus David», et ps. XCI, «Psalmus cantici, in die sabbati» et CI «Oratio pauperis, cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam», scimus, qua hora, die et occasione cani deberent hujusmodi psalmi.

Nonnulli psalmi hunc habent titulum «*In finem*» qui juxta aliquos significat hunc psalmum ponendum esse inter eos qui ad finem spectant; vel non habuisse diem fixum ut caneretur; vel psalmum esse propheticum et Messiam respicere qui est finis Legis.

Aliqui psalmi praeseferunt hunc titulum «*pro octava*» qui videtur designare quod David vel auctor ejus ipsum composuisset, ut caneretur cum instrumento musico octo chordarum, vel quod cani deberet octavo tono.

3.° Quoad naturam ipsius psalmi, considerandum est, an sit eucharistiscus, deprecatorius, execretatorius, propheticus etc.

Et demum 4.° quod ad musicam attinet, sufficiant quae supra hoc eodem capite sunt dicta.

Nunc quaeritur, utrum hi tituli authentici sint.

Quidam docuerunt, titulos psalmorum non esse authenticos, sed additos fuisse ab interpretibus alexandrinis, vel ab his qui diversas collectiones psalmorum fecerunt ut essent quasi glossae ad faciliorem intelligentiam uniuscujusque psalmi.

Sed probari potest, titulos psalmorum esse authenticos: et militant pro veritate hujus propositionis: 1.° Eorum antiquitas, nam procul dubio antiquiores sunt quam Versio Alexandrina, praesertim si sermo sit de titulis quae ad musicam spectant, qui quidem tituli obscurissimi fuerunt alexandrinis sicut et nobis.

2.° Traditio Judaica quae semper hos titulos ut Sacram Scripturam recepit. Etiam Patres, ut S. Joannes Chrysostomus, Hilarius, Augustinus, Hieronymus et alii dicunt hos titulos fuisse ab Spiritu Santo inspiratos, esse claves Psalmorum etc.

3.° Quia mos erat apud Orientales praefigere suis canticis titulos, ut apparet in pluribus Canticis V. Testamenti.

4.° Demum, ut ait Vigouroux, defectus tituli in quibusdam Psalmis, satis designat, motivum extitisse ad praefigendum titulum quibusdam Psalmis, non vero aliis.

Notandum est 5.° neminem negasse authentiam et divinam inspirationem horum titulorum usque ad Theodorum Mopsuestanum.

Ut jam indicavimus, quidam dicunt hos titulos ab alexandrinis, vel a collectoribus additos fuisse ad faciliorem Psalmorum intelligentiam: tamen, si hoc verum est, quomodo intelligitur quod ¿quidam tituli obscuriores sint quam ipsi Psalmi? ¿quod aliqui tituli Psalmis minime conveniant? et quod plures Psalmi nullum praeseferant titulum?

Fatemur quidem, aliquam esse discrepantiam inter textum hebraicum, graecum et alias versiones; hoc tamen non obstat ut dicamus titulos Psalmorum esse authenticos et divinitus inspiratos.

361. ¿Quid dicendum de Psalmis Machabaicis, et de Psalmo CLI?

Ex eo quod plures Psalmi, sint vere exhortationes ad bellum et ad patriam defendendam, quidam inferunt, hos Psalmos compositos fuisse aetate Machabaeorum. Sed hoc falsum est: Nam juxta Josephum Flavium, collectio Psalmorum jam

existebat aetate Artaxerxis Longimani, et recepta fuit in versione Alexandrina. Libro I Mac. VII, 16-17, allegatur Psal. LXXVIII, qui aptissimus est ad animos erigendos ab bellum.

Psalmus CLI qui habetur in versione graeca et syriaca, quique suponitur scriptus a David postquam vicit Goliath, est juxta omnes, apocryphus.

362. Quaeritur, an omnes Psalmi sint Davidis.

Juxta aliquos, David est auctor omnium Psalmorum: nam Concilium Tridentinum hunc librum «Psalterium *Davidicum, centum quinquaginta Psalmorum*» vocat.

Praeterea S. Augustinus ait: «Erat autem David, vir in canticis eruditis, qui harmoniam musicam non vulgari voluptate, sed fideli voluntate dilexerit... omnis fere prophetia ejus in psalmis est, quos centum quinquaginta liber continet, quem psalmorum vocamus. In quibus nonnulli volunt eos solos factos esse a David qui ejus nomine inscripti sunt. Sunt item qui putant non ab eo factos personae ipsius fuisse cooptatas. Mihi autem credibilius videntur existimare qui omnes illos centum et quinquaginta psalmos ejus operi tribuunt, eumque aliquos praenotasse etiam nominibus aliorum, aliquid quod ad rem pertineat figurantibus, caeteros autem nullius hominis nomem in titulis habere voluisse... Nec movere debet ad hoc non credendum quod non nullorum nomina prophetarum qui longe post David regis tempora fuerunt quibusdam psalmis in eo libro leguntur inscripta, et quae ibi dicuntur, velut ab eis dici videntur. Neque enim non potuit propheticus Spiritus prophetanti regi David haec etiam futurorum prophetarum nomina revelare». (1)

Hanc eamdem sententiam tuentur S. Ambrosius, S. Joan. Chrys., Theodoretus, Cassiodorus, Bellarminus, aliique.

Tamen juxta communiorem sententiam non omnes psalmi sunt Davidis. Et quidem S. Hieronymus ait «errare eos, qui omnes psalmos Davidis esse arbitrantur et non eorum, quorum nominibus inscripti sunt.» (2) Similiter S. Isidorus Hisp. scribit: «Auctores autem psalmorum sunt qui ponuntur in titulo, Moyses scilicet et David et Salomon, Asaph, Ethan, Idithim et filii Core, Eman, et reliquorum quos Esdras uno volumine comprehendit.» (3)

(1) *De Civit. Dei* XVII, 14.
(2) *Ep. 110 ad Cypr.*, 4.
(3) *Etymol.* Lib. VI. Cap. II.

Tamen plures interpretes putant, nomen quod in titulo invenitur non semper designare auctorem psalmi, sed quandoque illam personam designat cui ex gr. David psalmum illum dedicavit.

Davidi tribuuntur omnes psalmos, scilicet 73, qui nomen ejus in titulo habent: psalmus 89 attribuitur Moysi, qui videtur illum scripsisse postquam populus peccavit in deserto. Sed quidam Patres putant, in hoc Psalmo David loqui loco vel nomine Moysis: psalmi 71 et 126 Salomoni tribuuntur, quamvis quidam supponant primum scriptum fuisse a Davide postquam Salomon dignitate regia indutus est: et hic est ultimus quem scripsit David; nam sic finitur: «Defecerunt laudes David filii Jesse: (1) Quoad psalmum 126 «Nisi Dominus aedificaverit domum etc» quidam censent scriptum fuisse a Davide ad instructionem Salomonis; alii supponunt hunc psalmum compositum fuisse a Salomone, cum aedificaretur templum: et non nulli credunt, aetate Nehemiae; quando reaedificabatur templum, exaratum fuisse. Duodecim psalmi tribuuntur Asaph, Eman et Etham, qui fuerant praefecti musicorum: alii vero opinantur hos psalmos esse Davidis qui illos dedicavit praedictis musicorum praefectis. Septem et triginta psalmi nullum habent nomen in titulo; unde difficile est determinare quis fuerit eorum auctor.

Demum diversitas nominum in titulis, styli et scopi, satis ostendunt non omnes psalmos esse unius auctoris, et ideo solius Davidis.

Cum tamen maxima illorum pars, jure et merito Davidi tribuatur, ideo Concilium Tridentinum, Psalterium vocavit *Davidicum*.

363. Quoad divinam inspirationem hujus libri, eam semper agnoverunt tum antiqua Synagoga, tum Ecclesia Catholica. Et quidem in epistola quam Hircanus, Synagoga et judaei palaestinenses miserunt ad judaeos Aegypti, in Esdrae Canone numeratur etiam David, seu ejus Psalterium. (II. Mach. II. 13.) Etiam Lib. I Mach. VII, 17, allegatur versus 3, psalmi (LXXVIII, ut Sacra Scriptura: praecedit namque formula «sicut scriptum est.»

(1) Neque tamen hoc ita intelligendum est ut post psalmum 71, nullus alius sit Davidis, secundum ordinem quo in libro collocati sunt.

Quoad N. Testamentum tum Jesus-Christus tum Apostoli saepissime utuntur testimoniis ex libro Psalmorum desumptis. Eorum catalogum texere esse res interminabilis.

Jam ab aetate Apostolica Psalmi canebantur in Ecclesiis, et fideles memoriter retinebat illos, ut testantur S. Basilius, Eustochius, Ambrosius et Pachomius.

Objectiones adversariorum postea solvemus.

364. Rationalistae negant existentiam psalmorum Messianicorum: nam hac existentia semel admissa, etiam prophetia necesario admittenda est.

Sed existentia hujusmodi psalmorum res indubia est: nam quorundam characteres tales sunt, ut applicari nequeant nisi Messiae. Sic Psalmus CIX «Dixit Dominus Domino meo etc.» est Messianicus juxta interpretationem ipsius Christi (Matth. XXII, 41-44). Et quidem attenta dignitate regia Davidis, quomodo dicere potuit «Dixit Dominus *Domino meo*» nisi hic ageretur de Messia qui est Dominus dominantium?

Inter psalmus messianicos, quidam sunt messianici secundum sensum litteralem, alii vero secundum sensum typicum vel spiritualem.

Psalmi messianici secundum sensum litteralem illi dicuntur, qui non nisi Messiae applicari possunt, cum exclusione Davidis, Salomonis et cujuslibet aliae personae: tales sunt Psal. II, Quare fremuerunt gentes, etc; ubi versu 8 legitur «Postula a me et dabo tibi gentes hereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae.»: Psal XV, ubi v. 10 legimus «Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem» Psal. XXI. ubi v. 17 «Foderunt manus meas et pedes meos» et v 19. «Diviserunt sibi vestimenta mea»: Psal. XLIV, cujus v. 3 dicit: «Speciosus forma prae filiis hominum»: Psal. LXVIII, ubi v. 22. legitur: «Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.»: et Psal. LXXI, ubi v. 11 legimus: «Et adorabunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient ei.

Psalmi messianici secundum sensum typicum illi sunt, qui sensu proprio applicantur factis, personis et rebus Veteris Testamenti, quia typi sunt Christi et Ecclesiae. Tales sunt, Psal. VIII, cujus verba v. 3, «Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem» sibi applicat Salvator (Matth. XXI, 16): verba, «In omnem terram exivit sonus eorum» Psal. XVIII, 5, S. Paulus (Rom. X, 18) applicat Apostolis: et justa Patres, illa ver-

ba v. 6 «In sole posuit tabernaculum suum» significant Christum esse solem; et Ecclesiam tabernaculum ejus: Psal. XXXIV, «Judica Domine nocentes me, expugna impugnantes me» qui juxta Patres praedicit persecutiones et calumnias quas Salvator sufferre debebat: Apostolus (Ad Heb.) Christo Domino applicat psalmum XXXIX, propter v. 7: «Sacrificium et oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi etc.» Christus sibi ipsi applicat (Joan XIII, 18) psalmi XL, versum 10: «Etenim homo pacis meae, in quo speravi, magnificavit super me supplantationem.» Alii etiam dantur psalmi prophetici, quos tamen omittimus ne longius quam par est procedamus.

365. Variae sunt causae obscuritatis hujus libri: 1.ª forma poetica qua exaratus est, quaeque nobis est fere ignota 2.ª repentinae transitiones a typo in antitypum; ita ut quandoque difficile sit determinare, an agatur de David, Salomone etc, vel de Christo aut Apostolis etc.: 3.ª Quod non semper bene sciamus tempus, ocasionem, circumstantias et scopus quorumdam psalmorum: et demum 4.ª quod tum versio Vulgata, tum etiam aliae versiones libri Psalmorum, valde imperfectae sint.

366. Omnes Patres uno ore praedicant excellentiam et utilitatem libri Psalmorum, et ejus frequentem lectionem christianis omnibus, praesertim vero sacerdotibus commendant. S. Athanasius ad Marcellinum scribens ait: «Omnis Scriptura divinitus inspirata utilisque est ad doctrinam, ut scriptum est: at Psalmorum liber aliquid peculiare habet observatu dignissimum iis, qui attendere voluerint. Quilibet enim liber suum proprium habet et prosequitur argumentum: ex. gr. *Pentateuchus* mundi originem.....; at *liber Psalmorum* sicut hortus omnium reliquorum fructus quasi complectitur eosque canens suos proprios simul manifestat., (1) S. Augustinus scribit: «Psalmorum liber quaecumque utilia sint ex omnibus continet: futura praedicit, veterum gesta commemorat, legem viventium tribuit, gerendorum statuit modum. Et, ut breviter dicam, communis quidam bonae doctrinae thesaurus est, apte singulis necessaria subministrans.» Et alibi, ipsemet S. Doctor ait: «Si sacerdos psalterium ignorat, nomen sacerdotis vix constabit in eo.» Et demum S. Hieronymus ad Rusticum scribit: «Nunquam de manu et oculis tuis recedat liber, discatur psalterium ad verbum.» (2)

(1) *Ad Marcellin.* 2.
(2) *Ep. CXXV ad Rust.* 11.

Demum excellentiam et utilitatem hujus libri ostendit praxis Ecclesiae, quae ad laudes Domino decantandas, praesertim utitur psalmis.

367. Solvuntur objectiones adversus divinam inspirationem hujus libri: 1.ª Saepe David in psalmis seipsum populumque suum dicit esse justum, quod cum libris historicis V. T. componi nequit.

Res. Si David se dicit justum, etiam fatetur hanc justitiam a Deo esse; praeterea non se dicit justum sensu absoluto, sed per comparationem cum impiis et peccatoribus publicis, qui sui, et ideo theocratiae et idcirco Dei hostes erant. Neque vere dici potest David jactare suam justitiam, quia saepissime sua peccata confitetur. Neque ob hoc reprehendendus est David, cum etiam Apostolus dicat: «Nihil mihi conscius sum.»

Similiter affirmat justitiam sui populi in ordine ad populos gentiles qui omnino immorales et corrupti erant. Neque de *omni* populo loquitur, sed de *veris Israelitis* ut dicit Apostolus ad Rom. X, 6, quod etiam David indicat his verbis psalmi LXXII, 1; «Quam bonus Israel Deus, his qui recto sunt corde.» Hac de causa David in suo libro, saepe reprehendit populum, et praedicit vocationem gentilium ad veram Fidem.

Objectio 2.ª David omnes alios populos vocat impios, ipsisque gravia mala precatur.

Resp. David precatur mala populis gentilibus, non odio vel desiderio vindictae motus, sed spiritu justitiae; cum enim labores impiorum praevalerent, timendum erat ne ipsi cultores veri Dei in idololatriam et in viam perditionis inciderent; quare David vult ut brachio justitiae Dei Omnipotentis, labores impiorum frustrentur.

Ex alia parte hujusmodi imprecationes Davidis, involvunt voluntatem regii Prophetae, ut peccatores a Deo opprimantur, et sic ad viam justitiae et sanctitatis redeant; hujusmodi vero voluntas seu volitio est licita.

Obj. 3.ª David non alias poenas neque praemia nisi temporalia proponit.

Resp. Haec est hominis conditio, ut a rebus sensibilibus ad insensibilia et spiritualia ascendat. Cum ergo David loquatur populo, cui necessarium erat etiam res spirituales, sub involucro rerum sensibilium proponere, ideo ut hortetur illum ad virtutem sectandam et ad vitium fugiendum, memorat praemia et

poena temporalia, quae ad praedictum finem multum etiam inserviunt; quin tamen excludantur poenae et praemia aeterna, quae David agnoscit, cum vitam futuram agnoscat ut statim videbimus.

Obj. 4.ª Nunquam de futura vita in hoc libro mentio fit.

Resp. Etiamsi hoc verum esset, non liceret inferre aetate Davidis, judaeos nullam habuisse notitiam vitae futurae; nam plura sunt loca V. Testamenti, quae hanc notitiam extitisse demonstrant: talia sunt Job XIX, 25: «Et in novissimo die de terra surrecturus sum etc» Deut. XXXIII, 39: «Ego occidam et ego vivere faciam.» I Reg. II, 6 «Dominus mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.» Ezech, XXXVII, 1-6: Facta est super me manus Domini, et eduxit me in spiritu Domini; et dimisit me in medio campi, qui erat plenus ossibus..... Et dixit ad me: Fili hominis, putasne vivant ossa ista?... Haec dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum et vivetis, et dabo super vos nervos et succrescere faciam super vos carnes, et superextendam in vobis cutem; et dabo vobis spiritum et vivetis.» Quoad tempora posteriora res adhuc magis evidens est: «nam II Machab. XII, 43-46: «Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti, misit (*Judas*) Jerosolymam offeri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans.... Sancta ergo et salubris est cogitatio pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur. Eodem libro et Cap. VIII, 13-14: «Et hoc ita defuncto, quartum (*nempe ex septem fratribus*) vexabant similiter torquentes. Et, cum jam esset ad mortem, sic ait: Potius est ab hominibus morti datos, spem expectare a Deo, iterum ab ipso resuscitandos.»

Sed diversa ipsius Psalterii loca testantur existentiam vitae futurae: ex. gr. Psal. XV, 9-10: «Propter hoc laetatum est cor meum, et exultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescet in spe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno; nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.» Psal. LXXXIII, 5; «Beati qui habitant in domo tua Domine; in saecula saeculorum laudabunt te.» Psal. XXXVI, 18: «Novit Dominus dies immaculatorum: et haereditas eorum in aeternum erit.» Plura alia omittimus.

Utique David Psal. CXIII, 17, dicit: «Non mortui laudabunt te Domine: neque omnes qui descendunt in infernum.»

Sed verbum *mortui* juxta Patres, designat mortem spiritualem ad vitam gratiae propter peccatum. Quoad verbum *infernum*, vel significat locum ubi sunt damnati, et sic agnoscitur existentia alterius vitae; vel designat sepulchrum, quod propabilius est et tunc significat mortuos non esse laudaturos Deum, cultu publico, solemni et sensibili, sicut nos Ipsum colimus.

PARS EXEGETICA

368. Num haec verba, psal. LXXXI, 1 «Deus stetit in synagoga deorum in medio autem Deos dijudicat» polytheismum contineant.--369. Quomodo sit vera haec sententia: psal. XIII, 3, «Omnes declinaverun, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum: non est usque ad unum» cum semper fuerint justi in mundo?—370. Quomodo haec loca exponantur: 1.um Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentate, et posteriora dorsi ejus in pallore auri » (Psal. LXVII, 14); 2.um «Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra quam fundavit in saecula.» (Psal. LXXVII, 69); 3.um Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum ut excludant eos qui probati sunt argento » (Psal. LXVII, 31. 4.um Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris: et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.» (Psal. XVII, 26-27): et 5.um Moab olla spei meae. In Idumaeam extendam calceamentum meum. (Psal. LIX, 10.)

368. Num haec verba psal. LXXXI, 1: «Deus stetit in synagoga deorum; in medio autem deos dijudicat» polytheismum contineant.

Argumentum hujus Psalmi est exhortari judices terrae ad recte judicandum, ut infertur ex his verbis v. 2-3: «Usquequo judicatis iniquitatem: et facies peccatorum sumitis? Judicate egeno, et pupillo: humilem et pauperem justificate.» Ergo hic, verbum *deos* significat judices qui in hoc mundo vices Dei gerunt; et in medio eorum stat Deus, ut eos judicet.

369. Quomodo vera sit haec sententia psal. XIII, 3: «Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum, non est usque ad unum.»

Juxta plures interpretes, huc Davit describit corruptionem humanae naturae, quatenus asbque gratia, quae ipsam repararet, consideratur.

Juxta alios, hic tantum sermo est de atheis de quibus v. I dicitur: «Dixit insipiens in corde suo non est Deus.»

Quod sit de genere humano agatur post reparationem per

Christum, locutionem hyperbolicam esse agnoscendum est. (1)

370. Quomodo haec loca exponantur: 1.um «Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentatae, et posteriora dorsi ejus in pallore auri.» (Ps. LXVII, 14.)

Hic versus est obscurissimus et ideo difficillimae interpretationis.

Sic Torres Amat hunc versum hispanice vertit: «Cuando dormireis en medio de peligros, sereis como alas de paloma plateadas, cuyas plumas por la espalda echan brillos de oro.»

Alii, verbum *cleros* quod est graecum, putant significare non pericula, sed sortes, vel haereditates sorte obtentas. Hoc sensu S. Augustinus per haereditates intelligit, temporalem quam antiqua sors offerebat, et aeternam quam offert sors nova; qui dormierint vel ex hac vita migraverint amplectendo secundam prae prima, habebunt, ut columba, pennas ut ascendere possint ad Christum.

Juxta Schouppe, hic versus, «est apostrophe ad Ecclesiam, maxime ad praedicatores Evangelii; ita ut sensus sit: Si vos qui evangelizatis verbum Domini, *dormiatis*, id est, quiescatis in medio duorum Testamentorum, novi et veteris, acquiscentes videlicet veritati divinitus inspiratae Prophetis et Apostolis; tunc *pennae columbae*, id est Ecclesiae fides et mores, erunt *deargentatae* puritate sapientiae, et *deaurate* fervore charitatis. (2)

2.um «Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra quam fundavit in saecula.» (Ps. LXXVII, 69.

Sic exponitur hic locus: sicut rhinocerotes amplas et stabiles habitationes extruunt in excelso loco, sic Deus sibi aedificavit Templum magnificum in arcae Sion: et insuper, non mobile, ut in Silo, sed stabile: ideo illud extruxit *in terra quam*

(1) Quoad hunc locum scribit P. Scio; «Este versículo y los dos siguientes no se hallan en el Hebreo, ni en los LXX, y sí en la edición griega llamada *comun*; y creen algunos que fueron trasladados é introducidos aquí del cap. VII de la Epistola de San Pablo ad Rom, en donde el santo Apostol después de haber citado el versículo 4 de este salmo, las añade como sentencias tomadas de diversos lugares de la Escritura. *San Gerónimo*. Otros se persuaden que los judíos suprimieron estos versos, porque en ellos se manifiesta á las claras el estado deplorable de infidelidad y de corrupción en que se hallaba toda su nación.» *Vers. Hisp. Sac. Bibl.*: Psal. XIII, Not.

(2) *Curs. Sac. Scrip.* P. II. Sect. I. Diffic. lib. Psal.

fundavit in saecula, id est, in monte sion, qui repraesentabat Ecclesiam usque ad finem saeculorum duraturam.

Juxta alios sensus est: Deus sibi aedificavit Templum unicum et stabile, sicut cornus rhinocerotis, (id est, statuit unicam et indestructibilem Religionem et Ecclesiam) in terra, quam fundavit in saecula (id est, in Novo Testamento.)

3.um Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum: ut excludant eos qui probati sunt argento.» (Ps. LXVII, 31.)

Arundinetum metonymice accipi potest pro lanceis ex durissima arumdine confectis: unde sensus praedicti loci est: Averte a populo tuo hostes lanceis armatos, et feroces quasi tauros, qui excludere seu spoliare volunt vita et haereditate sua filios populi Israel, qui coram Deo probati sunt, sicut probatur argentum.

4.um Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris; et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.» (Ps. XVII, 26-27.)

Sensus est: Deus, cum his qui sunt sancti, innocentes et electis suavites aget eisque nova bona sanctitatis et auxilia gratiae tribuet. Sed Deus, cum homine perverso, erit etiam perversut, id est durissimus, eique retribuet juxta perversitatem suam.

Sensu accommodatitio significat, hominem sanctificari si conversationem et amicitiam habuerit cum sanctis; et e contra hominem perverti si perversis se adjunxerit. *Dime con quien andas, y te diré quien eres.*)

5.um Moab olla spei meae. In Idumaeam extendam calceamentum meum, (Ps. LIX, 10.)

Moab dicitur *olla spei meae*, quia Israelitae sperabant magnas, in illa regione invenire divitias, cum ipsis subjiceretur; in latino sermone metaphora pauper est quidem, non autem in sermone hebraico. Juxta textum hebraicum legitur: *Moab olla lotionis meae*; id est, moabitae, quasi vilia mancipia mihi inservient etiam in rebus abjectissimis, ut revera contigit. (II Reg. VIII, 2.) Alia verba «In Idumaeam extendam calceamentum meum» idem significant, ac «Idumaeam meae ditioni subjiciam, eamque quasi dominus possidebo.»

Caput XXVI

De libro Proverbiorum.

PARS CRITICA.

371. Ratio ordinis in canone Proverbiorum, Ecclesiastes et Cantici Canticorum.—372. Quomodo liber Proverbiorum antiquitus vocabatur a judaeis et christianis.—373. Quid nomini *proverbii* intelligatur. Utrum omnes hujus libri sententiae *proverbia* dici possint.—374. Divisio hujus libri.—375. Ostenditur probabiliter Salomonem fuisse auctorem hujus libri.—376. De collectionibus proverbiorum et a quibus factae fuerint.—377. Divina hujus libri inspiratio.—378. Adversus eam rationalistae sequentes objectiones proponunt, 1.ª Contradictio existit inter haec duo loca (XXVI. 4): «Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam» et (ibidem V. 5.) «Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.» 2.ª Salomon hunc librum scripsit cum esset jam captus a mulieribus idola colentibus: unde non est credibile quod a Deo fuerit inspiratus.

371. Librum Psalmorum, sequuntur in Canone, libri Proverbiorum, Ecclesiastes et cantici Canticorum. En ratio hujus ordinis juxta S. Hieronymum: «Salomon, juxta numerum vocabulorum tria volumina edidit, Proverbia, Ecclesiastem et Cantica Canticorum, in Proverbiis *parvulum* docens et quasi de officiis per sententias erudiens, unde et ad *filium* ei sermo crebro repetitur; in Ecclesiaste vero *maturae virum aetatis* instituens, ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca et brevia universa quae cernimus: ad extremum jam *consummatum virum* et calcato soeculo praeparatum in Cantico canticorum sponsi jungit amplexibus. Nisi enim prius reliquerimus vitia *(Prov.)* et pompis saeculi renuntiantes expeditos nos ad adventum Christi praeparaverimus *(Eccle)*, non possumus dicere *Osculetur me osculo oris sui (Cant, I. 1.)* Hauc procul ab hoc ordine doctrinarum et phylosophi sectatores suos erudiunt, ut primum ethicam doceant, deinde physicam interpretentur, et quem in his profecisse perspexerint, ad theologiam usque perducant.» (1)

372. Veteres judaei hunc librum appellabant, juxta S. Hieronymum *Misle* et juxta Origenem *Misloth*. Quidquid sit, hoc verbum est primum totius libri.

(1) *Comm. in Eccle.* I. 1.

Primi Christiani et interpretes graeci sic verterunt hebraicam inscriptionem hujus libri, «*Proverbia Salomonis filii David, regis Israel.*» Thalmudistae et quidam et antiquis Patribus, ut S. Justinus, Clemens Alex. et Origenes, vocarunt hunc librum hoc titulo «*Liber Sapientiae*» quia primis capitibus agitur de divina Sapientia.

373. Proverbium significat «verbum publicum atque commune» Ejus originem sit explicat Didimus. Cum adhuc Romani non distinguerent distantias milliariis, tamen in diversis intervallis viarum collocarunt quaedam signa, quibus affixa erat aliqua sententia: duplex erat eorum objectum: primum, nempe, ut viator, quam distantiam peragraverit, sciret: et secundum, ut meditatione et interpretatione illus sententiae, via brevior fierit. (1)

Sententiae quae in hoc libro continentur, stricte loquendo, non omnes sunt *probervia*, quamvis plures hunc characterem habeant, ex gr. totum Cad. XXVI. Cum autem verbum *Maschal*, ex quo derivatur *Misle*, quandoque significet proverbia, vel allegorias aut ironias, sed frequentius sententias, sive proprie dictas, sive per comparationem aliquam expositas; ideo hic liber dici potest *Misle*, quia est quaedam collectio sententiarum.

Ideoque, ait cl. Caminero, *proverbia* hic sunt veritates morales, instructiones, sententiae aut hortationes legi Dei ac doctrinae fundatae, ac poeticae gnomae ad vitae institutionem accommodatae.» (2)

374. Hic liber in tres partes dividi potest, et duas appendices: 1.ª quae complectitur novem priora capita, magnas laudes tribuis sapientiae, et etiam exhortationes ad eam amplectendam, et secundum illam agendum: 2.ª a capitae X ad XXIV utrumque inclusive, primam continet collectionem sententiarum, quae rebus omnibus religiosis, moralibus, politicis, domesticis, omnibusque humanae vitae circumstantiis accommodari queunt. Hujusmodi sententiae sub forma poetica expositae sunt juxta parallelismum antitheticum, sed abque ullo nexu logico neque historico: 3.ª a capite XXV ad XXIX utrumque inclusive, alias similes Salomonis complectitur sententias, quae collectae fuerunt aetate Ezechiae regis Juda.

---

(1) *Manual Bibl. ubi de lib. Prov.* Vigouroux.

(2) *Man. Isag.* Sect. III, Cap. XXII.

Prima appendix est caput XXX, quod hanc inscriptionem praesefert: «Verba congregantis filii Vomentis» Altera appendix est caput XXXI. cujus inscriptio haec est: Verba Lamuelis regis. Visio, qua erudivit eum mater sua.» His appendicibus continentur plures sententiae et consilia ad homines ab ignorantia, lascivia, ebrietate caeterisque vitiis retrahendos; et finem ponit libro, elogium alphabeticum mulieris fortis «Mulierem fortem quis inveniet etc.»

375. Cum hic liber sit collectio quaedam sententiarum, duplex quaestio institui potest: 1.ª Quis fuerit auctor, vel qui fuerint auctores harum sententiarum: 2.ª Quis vel qui fuerint collectores earum.

Nam quamvis inscriptio libri «*Proverbia Salomonis*, etc. videatur totum librum Salomoni tribuere, tamen aliae sunt incriptiones, quae collectionem atque compositionem omnium saltem sententiarum, Salomoni denegare videntur. Et revera; quod quidam viri, aetate Ezechiae aliam collectionem proverbiorum fecissent (XXVI) innuit Salomonem non esse actorem libri, secundum suam actualem formam. Inscriptiones vero cap. XXX et XXXI, indicare videntur Salomonem non fuisse auctorem horum duorum capitum. Itaque, primo agemus de auctore libri, deinde vero de collectore vel collectoribus.

Usque ad saeculum 16 omnes Patres omnesque interpretes, hunc librum integrum tribuebant Salomoni, etsi quoad collectores non fuisset una eorum sententia. Juxta Cornely, haec unanimis Patrum et interpretum fides originem habuit in hoc quod inscriptiones cap. XXX et XXXI, in versione Alexandrina erant obscurissimae, et S. Hieronymus illa nomina Agur et Lamuel, quasi appellativa et non propia Salomoni applicavit. Sed a saeculo XVI, postquam textus hebraicus frequentius adhibere coepit, plures interpretes Salomoni confectionem libri, saltem integri, denegarunt. Grotius docuit Salomonem collegisse plures sententias antiquorum, eisque addidise quas ipse composuerat. De Wete et Bertholdt, novem prima capita, et alia a XXV ad XXIX, dicunt non esse Salomonis. Spinosa antumavit hunc librum scriptum fuisse post captivitatem.

Nos ostendemus probabiliter Salomonem fuisse auctorem totius libri:

1.° Quia cap. I, X et XXV, quae sunt initia trium partium hujus libri, hanc inscriptionem «*Parabolae Salomonis*» praesefe-

runt: 2.° Quia talis est traditio synagogae et Ecclesiae: 3.° Quia nihil est in libro quod aetatem posteriorem Salomoni postulet, sed potius ejus perfectio litteraria optime quadrat statui litteraturae hebraicae temporibus Salomonis: 3.° Quia scimus supernaturali scientia instructum Salomonem invenisse vel composuisse tria millia parabolarum (III Reg IV, 32); incredibile vero vitetur Salomonem vel per se vel per alios, has parabolas adeo utiles, scriptis non consignasse. Etiam verba XXV, I «Haec quoque parabolae Salomonis, quas transtulerunt viri Ezechiae regis Juda», satis ostendunt praedictas parabolas jam antea scriptas fuisse. 4.ª Quia mirabilis scientia quam auctor habere demonstrat circa res politicas, functiones regias, circa tyrannos, aulicos, optimates, servos, etc. optime convenit Salomoni. Demum 5.° nihil in hoc libro dicitur de superstitionibus Baal et Astaroth, quae frequentes fuerunt temporibus posterioribus Salomoni; sed plures continet exhortationes ad homines retrahendos a lascivia aliisque vitiis quibus se tradiderant homines aetate Salomonis.

Dubitandi locus esse poterat circa duo postrema capita, quorum auctores videntur esse Agur et Lamuel: sed juxta S. Hieronymum, haec nomina non sunt propria, cum in nullo alio Sacrae Scripturae loco legantur. Juxta Patres, et interpretes graecos, latinos et syriacos, praedicta nomina sunt symbolica quae optime Davidi et Salomoni applicari queunt. Et quidam illa locutio «*Verba congregantis*, sic interpretari potest» Verba Salomonis qui congregat homines» *Filii Vomentis*, id est, filii David,qui plenus Dei spiritu et sapientia salutares doctrinas sparsit.

Quoad aliam inscriptionem «*Verba Samuelis regis,* notandum est, vocem Samuel idem significare ac *Qui edoctus est a Deo*, quod propriissime de Salomone dici potest.

Cornely non audet negare nomina Agur et Lamuel esse propria, et affert testimonium Baymo, juxta quem, cum designatur nomen personae et de matre sua etiam loquitur, tunc nomen est proprium et non appellativum. Saltem nemo scit, qui sint Agur et Lamuel, in hypothesi quod fuerint personae distinctae a Salomone.

Adversus nostram thesim haec argumenta proponunt adversarii 1.um Plures sententiae inveniuntur repetitae, cum iisdem ideis, et quandoque cum iisdem verbis; ergo auctor hujus libri non fuit unus tantum. Sic Grotius.

Etiam unitate auctoris supposita, hujusmodi repetiones fa-

cile explicantur, si consideremus naturam libri et modum quo exaratus est. Nam juxta III Reg. IV, 32, Salomon non scripsit, sed *locutus est* 3000 parabolas, quas scribae seu librarii regii litteris consignarunt; sed quidam ex his librariis consignarunt scripto aliquas parabolas, quae, ipsis nescientibus, jam in aliis collectionibus consignatae fuerant. Esdras autem et posteriores judaei nihil immutarunt in libro. Praeterea, cum Salomon his parabolis hortaretur homines ad virtutem, nullum est inconveniens in hoc quod aliquas parabolas pluries repetiisset cum iisdem verbis. Notandum est etiam cum Vigouroux, plures repetiones quas proponunt adversarii non veras esse repetitiones: ex. gr. hae duae sententiae.

XII, 2 «De fructu oris sui, homo satiabitur bonis
Anima autem praevaricatorum iniqua.»
XII, 14 «De fructu oris sui, unusquisque replebitur bonis
Et juxta opera manuum suarum retribuet ei»

ut repetitiones minime haberi debent. (1)

2.um Arguit Evvald, diversum esse stylum in diversis partibus hujus libri, et idcirco haberi debere ut complexus fragmentorum quae post Salomonem scripta sunt.

Diversitas styli facile explicatur, si consideremus Salomonem has parabolas diversis temporibus locutum fuisse, et diversos etiam scribas vel librarios eas scripsisse. Saltem, juxta peritos in sermone hebraico, in libro integro viget et apparet illa elegantia et perfectio litteraria quam assecutus est lingua hebraica aetatis Salomonis.

376. Supponitur a quibusdam tres extitisse collectiones proverbiorum, et totidem fuisse earum auctores.

Juxta cl. Cornely, prima collectio complectitur 24 priora capita, quorum auctor et collector fuit ipse Salomon: nam efformant aliquid unum, cum suo prologo, Cap. I ad X; corpore, ut ita dicam, libri, usque ad XXII, 16, et epilogo, usque ad

(1) Conf. Vigouroux, Man. Bibl. de Lib. Prov., qui affert etiam hoc testimonium Hitzig. «Tales repeticiones, hechas ya con ligeras, ya con mayores variantes, en lugar de probar la pluralidad de autores, afirman por lo contrario su unidad, porque por una parte nos demuestran un espíritu limitado en el círculo de sus concepciones, y por otra moviéndose libremente en este mismo círculo. No sé además cómo un escritor, en la composición de muchos centenares de proverbios, hubiera podido evitar repeticiones parciales.»

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y ... PALENCIA

cap. XXV. Saltem non apparent indicia quae ostendant hanc collectionem factam fuisse post Salomonem.

Secunda complectitur a cap. XXV ad XXIX, et juxta inscriptionem videtur tribuendam esse quibusdam viris qui vixerunt aetate regis Ezechiae. Verbum *transtulerunt*, quod legitur v. 1. cap. XXV, significat aut viros electos ab Ezechia, fortasse Isaias, Eliachim et alios, mere transtulisse parabolas Salomonis, vel collegisse diversas sententias sapientissimi regis, quae sparsae inveniebantur in diversis libris ipsius Salomonis.

Tertia collectio, duo postrema capita continet, et difficile est determinare quis fuerit hujus collectionis auctor; quidam putant fuisse Ezechiam, alii vero Esdram. Cum in versione Alexandrina, cap XXX, et novem primi versus XXXI sint ante cap. XXV, nonnulli affirmant praedictas appendices pertinere ad collectionem a Salomone factam; viros autem Ezechiae, tanquam libri finem apposuisse elogium mulieris fortis.

377. Traditio judaea et christiana semper hunc librum habuit quasi divinitus inspiratum. In N. T. saepe allegatur: ex. gr. hic locus Jac. IV, 6 «Deus superbit resistit, humilibus autem dat gratiam» respondet huic loco Prov. III, 34; «Ipse deludet illusores, et mansuetis dabit gratiam.» Hic locus juxta LXX, ad litteram convenit cum textu Jacobi, «Κύριος ὑπερηφάνοις ὑπεναντίος ἐστιν, ταπεινοῖς δὲ δίδωσι χάριν.» Sic etiam legitur I. Pet. V, 5.

Patres Apostolici, et deinceps omnes Patres ac interpretes, divinam hujus libri inspirationem unanimiter admittunt.

378. Thalmudistae, aliquo tempore dubii fuerunt de divina hujus libri auctoritate. Theodorus Mopsuestanus asseruit sententias libri Proverbiorum, ab humana prudentia et sapientia non vero a Deo esse inspiratas.

Haec erronea sententia damnata fuit a Concilio V generali, donec e pulvere eam denuo suscitavit Spinosa.

Argumenta quibus nituntur adversarii divinae inspirationis sunt:

1.um Vera datur contradictio inter versus 4 et 5 cap. XXVI; nam v. 4, legimus: Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis», sed v. 5: «Responde stulto juxta stultitiam suam ne sibi sapiens esse videatur.»

Nulla est contradictio inter haec duo loca; nam sensus v. 4, est: Ne respondeas stulto secundum eumdem modum quo ipse loquitur, nempe vociferando et minando, ne similis ei efficiaris.

Sensus v. 5, est: Responde stulto, ejus argumenta in nihilum redigendo, ne tuum silentium sit occasio ut sibi sapiens esse videatur. Non enim raro silentium et indifferentia bonorum, incrementum praebet nequitiae et emolimentis malorum.

2.um Salomon hunc librum scripsit cum esset jam captus a mulieribus idola colentibus; unde non est credibile quod a Deo fuerit inspiratus.

Affirmatio antecedentis est omnino gratuita: nam animadversiones et consilia quibus Salomon retrahere conatur homines a conversatione mulierum, innuere videntur Salomonem hunc librum conscripsisse vel in sua juventute, cum adhuc nullum haberet consortium cum mulieribus idololatriae deditis, vel in senectute, cum a conversatione cum his mulieribus se abstinuit.

Praeterea Salomon potuit hujusmodi consilia dare, quamvis ipse aliter egisset: et attenta bonitate finis, nullum est inconveniens in hoc quod a Deo inspiratus fuisset.

PARS EXEGETICA

379. Nonne experientiae contradicit haec sententia: «Non affligit Deus fame animam justi? (X, 3.)—380. Quae sit sapientia de qua agitur cap. VIII, et IX.—381. Exponantur haec loca. (X, 30) «Justus in aeternum non commovebitur, impii autem non habitabunt super terram.» (XI, 31.) «Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator?» (XVII, 15) «Qui justificat impium abominabilis est apud Deum» (XX. 25) «Ruina est homini devorare sanctos et post vota retractare.»

379. Nonne experientiae contradicit haec sententia (X, 3.) «Non affligit Deus fame animam justi?»

Hic locus intelligi potest sensu omnino spirituali, quo in casu significat, Deum semper providere, ne justis desit alimentum spirituale gratiae.

Etiam certum est, ut Libri Sancti et ipsa experientia docent, Deum saepissime procurare alimentum corporale, justis qui absoluta egestate et miseria opprimuntur; ex. gr. Job. Etiam ex Sacris Libris et experientia scimus, nonnumquam justos ita famè et egestate cruciari, ut videatur Deum oblivisci eorum: sed in his casibus, Deus egestatem et miseriam corporalem compensat, cum donis spiritualibus, ita ut semper verum sit quod Deus «Non affligit fame animam justi.»

380. Quae sit sapientia de qua agitur Cap. VIII et IX.

Quamvis aliqua quae in his capitibus continentur tribui queant humanae sapientiae, tamen alia sunt, quae non nisi Verbo divino applicari possunt: ut ex. gr. VIII, 15 «Per me reges regnant etc.» ubi de ipso Deo agitur juxta Apostolum ad Rom. XIII, 1 «Non est potestas nisi a Deo.» Neque hic locus, VIII, 22, «Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio» humanae sapientiae accommodari potest. Et quamvis, v. 24 dicatur «Nondum erant abyssi, et *ego jam concepta eram*», hujusmodi *conceptio*, non creationem sed generationem aeternam Verbi significat.

381. Exponuntur haec loca: 1.um Justus in aeternum non commovebitur: impii autem non habitabunt super terram.» (X, 30).

Sensus est: justus gratia Dei adjutus adsequetur illam aeternam mansionem in qua numquam commovebitur; impii autem, quamvis aliquando prospere eis res succedant, miserabiliter peribunt, neque terram possidebunt in aeternum, sicut justi coelum.

2.um «Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator?» (XI, 31).

Sensus est: si etiam justi in hac vita a Deo puniuntur pro peccatis levibus, quanto magis Deus puniet peccatorem et impium, tum in hac tum in altera vita? Vel ut scribit S. Petrus, Ep. I, Cap. IV, 18: «Et si justus vix salvabitur, impius et peccator ubi parebunt?

3.um «Qui justificat impium... abominabilis est apud Deum,» (XVII, 15), ex quibus verbis videtur inferri abominabilem esse sacerdotem qui vi absolutionis Sacramentalis justificat impium.

Textus integer hoc dicit: «Qui justificat impium, et qui condemnat justum, abominabilis est uterque apud Deum.» Unde sensus hujus loci est: Qui ut bonam habet malitiam impii eamque approbat, et qui damnat pietatem justi, aeque abominabiles sunt apud Deum.

Sacerdos in Sacramento Poenitentiae, non approbat impietatem vel peccatum, sed illud tollit vi Sacramenti, modo subjectum sit apte dispositum.

4.um «Ruina est homini devorare sanctos, et post vota retractare.» (XX, 25.) Dupliciter hic locus interpretatur: nam juxta textum hebraicum, sensus est: Ruina est homini magna

Deo et sanctis vovere, et postea vota non adimplere. Alii hunc locum sic interpretantur: Ruina est homini, sanctorum bona rapere; et ea non restituere.

Caput XXVII

De libro Ecclesiastes.

PARS CRITICA.

382. Opiniones quoad significationem vocis *Ecclesiastes*.—383. Materia contenta et ejus divisio.—384. Ostenditur auctorem hujus libri fuisse Salomonem.—385. Solvuntur sequentes objectiones: 1.ª Cap. I, v. 12, legitur Ecclesiastem *fuisse* regem in Jerusalem: cum ergo hunc librum scripsit jam non erat rex: Salomon autem regnavit usque ad mortem. 2.ª (Ibidem v. 16) dicit Ecclesiastes, ipsum praecessisse *omnes* sapientia, qui fuerant ante eum in Jerusalem: sed ante Salomonem non fuit in Jerusalem nisi David: 3.ª Quomodo Salomon potest esse auctor hujus libri, cum cap. VIII, 2, dicat: «Ego os regis observo.» 4.ª Lingua hebraica hujus libri affinis est illi quae in usu erat temporibus Esdrae et Nehemiae. 5.ª Magna datur diversitas styli inter hunc librum et proverbia: 6.ª Videtur in hoc libro descriptionem fieri populi hebraici status, paulo ante captivitatem.—386. Ostenditur divina inspiratio libri Ecclesiastes.

382. Hic liber a judaeis vocatur *Coheleth*, ejusque inscriptio juxta alexandrinos et latinos haec est: *Verba Ecclesiastae, filii David, regis Jerusalem.*

Quoad significationem vocis *Ecclesiastes*, non una est interpretum sententia: quidam enim putant, hoc nomen esse arabicum, et ideo in inscriptione legunt «*Liber poenitentiae filii Davidis*» vel «*Verba senis filii Davidis*» Alii, ut Grotius, autumant praedictum nomen esse hebraicum, et significare *collectorem;* unde auctor hujus libri nihil aliud fecit quam colligere plures sententias aliorum, et fortasse etiam Salomonis.

Tertia sententia est S. Hieronymi, qui haec scribit: «Ecclesiastes autem, graeco sermone appellatur quod coetum, id est, Ecclesiam congreget, quem nos nuncupare possumus concionatorem, eo quod loquatur ad populum et sermo ejus non specialiter ad unum sed ad universos generaliter dirigatur.» (1) Unde hic liber tum propter inscriptionem, tum propter stylum simplicem et candidum est quasi exhortatio vel concio ad populum.

(1) *In Eccl.* I, 1.

383. Materia vel doctrina hoc libro contenta dividi potest in prologum, epilogum et quatuor partes. In prologo qui complectitur Cap. I, 1-12, exponitur scopus vel objectum hujus libri, praesertim his verbis: «Vanitas vanitatum et omnia vanitas.» Prima pars, a Cap. I, 13 ad II, 26, docet sapientiam, laetitiam et delicias, quae videntur esse potiora bona hujus mundi, non esse nisi vanitatem. In 2.ª parte quae complectitur Cap. III, IV, V, edocemur hominem non esse arbitrum suae sortis, sed omnia quae in eo sunt, dependenter a Divina Providentia fieri. Pars 3.ª Cap. VI, VII, VIII, docet, nec divitias, nec famam constituere hominis felicitatem; et hortatur ad patientiam et obedientiam erga imperantes: Pars 4.ª a Cap. IX usque ad v. 7 capitis XII est recapitulatio trium partium praecedentium, et ad finem docet norman vivendi hominis esse debere meditationem diei judicii postremi, quando omnia omnibus erunt clara et manifesta. Epilogus continens reliqua Cap. XII, ostendit vanitatem omnium, exemplo et experientia Salomonis, qui omnibus bonis hujus mundi usus est; et proponit timorem Domini ut unicum fundamentum verae felicitatis.

384. Contra unanimem christianorum et judaeorum sententiam, Grotius negavit originem salomonicam hujus libri, ipsumque tribuit Zorobabeli. Thalmudistae docuerunt auctorem libri Ecclesiastes fuisse Ezechiam. Quidam, inter quos sunt pauci catholici, putant, concionatorem qui loquitur in hoc libro esse Salomonem, sed auctorem esse alium qui quadam fictione, se induit personalitatae Salomonis. Rationalistae negant hunc librum esse Salomonis, sed plures apud eos sunt sententiae circa auctorem et tempus quo vixerit. Cornely texit largum catalogum interpretum rationalistarum, juxta quos, compositio hujus libri, tribui potest cuilibet saeculo inter David et Christum. (1)

Contra hos omnes ostendemus, auctorem libri Ecclesiastes esse Salomonem.

Probatur 1.°: quia Ecclesiastes qui cap. I, 1 et seq. et XII, 8 et seq. nobis proponitur ut rex Jerusalem, plenus sapientia, divitiis, qui omnia bona et delicias hujus mundi gustavit, non alius potest esse nisi Salomon.

2.° Juxta testimonium Origenis, S. Hieronymi y S. Athana-

(1) Vide Cornely, *Curs. Sac. Scrip. Introd. Spec. De lib. Eccle.*

sii, hic liber, in canone tum judaeorum palaestinensium, tum alexandrinorum, medium locum occupabat inter Proverbia et Cantica; qui libri, procul dubio, Salomonem habent auctorem.

3.° Quia haec est unanimis opinio tum Patrum, tum etiam doctorum judaeorum. Inter alios Patres ait S. Hieronymus: «Hebraei ajunt hunc librum Salomonis esse poenitentiam agentis.» (1) Et S. Augustinus: «Salomon, sapientissimus rex Israel, qui regnavit in Jerusalem, librum qui vocatur Ecclesiastes et a Judaeis quoque habetur in sacrorum canone litterarum, sic exorsus est...» (2)

Demum 4.° quia magna est affinitas inter hunc librum et Proverbia in hortationibus ad legem Dei servandam. Neque ulla fit mentio idololatriae aliarumque superstitionum, sed utique vitiorum quae communia erant aetati Salomonis.

Neque dici potest, auctorem hujus libri, pia quadam fictione, se induisse personalitate Salomonis; nam hujusmodi fictio lectores in erronem induceret, quod est essentialiter malum.

Neque cum aliquo fundamento dicitur, inscriptiones in quibus Salomon apparet ut auctor hujus libri esse erroneas et interpolatas, ut sunt plures inscriptiones Psalmorum: nam etiam dato, sed non concesso, quod aliquae inscriptiones Psalmorum sint interpolatae, ex hoc tantum sequeretur, inscriptiones libri Ecclesiastes *potuisse* interpolari, non vero de facto interpolatas fuisse: adversariorum ergo est, realem existentiam hujusmodi interpolationum probare.

384. Adversus originem Salomonicam hujus libri, adversarii sequentes objectiones proponunt: 1.ª Cap. I. v. 12, legitur Ecclesiastem *fuisse* regem in Jerusalem; cum ergo hunc librum scripsit jam non *erat* rex in Jerusalem: Salomon autem regnavit usque ad mortem.

Respondeo, saepe in sermone hebraico praeteritum significare praesens, vel permanentiam in existentia illius rei vel personae quae dicitur fuisse: unde haec locutio, *fui rex in Jerusalem*, non significat *jam non sum rex* sed *fui rex et adhuc sum*. Quod si hic versus, cum sequenti conjugatur sensus est: Cum ego Ecclesiastes electus fui rex in Jerusalem, proposui in animo meo etc.

---

(1) *In Eccl.* I. 12.

(2) *De civit. Dei.* lib. 30 c. 3.

2.ª Cap. I, 16, dicit Ecclesiastes ipsum praecessisse sapientia et divitiis *omnes* qui fuerunt ante eum in Jerusalem; sed ante Salomonem non regnavit in Jerusalem nisi David; ergo Ecclessiastes est rex longe posterior Salomoni.

Nulla est necessitas hunc textum interpretandi de solis regibus Israel sed intelligi debet de omnibus regibus qui regnaverant in Jerusalem. Jam vero scimus, ante Davidem plures reges gentiles regnasse in Jerusalem.

Veritas hujusmodi interpretationis infertur ex III Reg. XX, 23, ubi dicitur Salomonem superasse sapientia et imperio *omnes reges terrae*, in quo numero sunt etiam reges gentiles.

3.ª Salomon non potest esse auctor hujus libri, cum cap. VIII, 2, dicat: «Ego os regis observo.»

Hic nomine *regis* intelligendus est ipse Deus, cui omnes reges terrae subditi esse debent. Praeterea juxta versionem Alexandrinam, Syriacam et Chaldaicam, verbum, vel potius ipsius tempus, non est praesens sed imperativum: unde sensus est: «Ego (dico) os regis observa.»

4.ª Lingua hebraica hujus libri affinis est illi quae in usu erat temporibus Esdrae et Nehemiae.

Resp. Cum pauca sint documenta hebraice conscripta, quibus cognosci possint variationes et transformationes grammaticales hujus linguae, ideo rationalistae his paucissimis philologicis documentis innixi, posteriores fecerunt captivitati, Pentateuchum, cum libris Josue, Judicum et Regum qui exarati sunt lingua hebraica purissima: ex quo deduci potest, quid valeat in ore rationalistarum objectio proposita.

Praeterea, ubique, quaelibet lingua in ore sapientis distinguitur a lingua vulgari: hoc semel supposito, cum nobis constet Salomonem fuisse hominem sapientissimum et cum viris sapientissimis aliarum nationum se communicasse, ¿erit ne improbabile, Salomonem ad suas meditationes philosophicas novos terminos invenisse, vel eos ab aliis philosophis accepisse?

5.ª Magna datur diversitas styli inter hunc librum et Proverbia.

Nec mirum hoc esse debet consideranti diversam doctrinam quae in his libris continetur: nam ipsis fatentibus rationalistis, liber Proverbiorum est catalogus sententiarum vulgarium: sed liber Ecclesiastes est quaedam series meditationum philosophicarum: et sic explicatur differentia styli. Praeterea hic

liber, exaratus est, generatim, soluto sermone, sed liber Proverbiorum metrice exaratus est.

6.ª Videtur in hoc libro descriptionem fieri populi hebraici paulo ante captivitatem.

Salomon prophetico spiritu potuit hunc statum populi videre, ipsumque describere. Et etiam mediis humanis illum statum praevidere et praedicere potuit, cum Salomon peritissimus in rebus politicis, optime noverat conditionem suae nationis et etiam vicinarum nationum.

386. Ut refert S. Hieronymus, quidam antiqui judaei existimantes, in hoc libro doctrinas epicureas contineri, voluerunt illum inter aprocryphos relegare: sed re melius perpensa, et cum viderent tum in initio tum in fine libri praecepta Legis commendari, receperunt illum in Canonem, et legebant quolibet anno in festo Tabernaculorum.

Inter christianos, Theodorus Mopsuestanus, primus omnium, negavit divinam hujus libri inspirationem: sed damnatus est a Concilio V generali. Ejusdem sententiae haereticae, fuit etiam Lutherus, qui tamen quandoque hunc librum laudat. Sed Ecclesia Catholica habet hunc librum in suo Canone, et omnes Patres unanimiter non modo ejus divinam inspirationem agnoverunt, sed plures ex his, commentaria in hunc librum scripserunt.

Quibusdam videtur in hoc libro inveniri doctrinas scepticas, epicureas et fatalistas, et ideo negant ipsius divinam inspirationem. Quidam interpretes ut has difficultates effugiant, dicunt in hoc libro existere dialogismum, et ideo omnes sententias haereticas ponendas esse in ore impiorum. Sed Cornely putat hanc affirmationem esse omnino gratuitam, cum in hoc libro nullus detur dialogismus.

PARS EXEGETICO–CRITICA.

387. Objectio 1.ª Videtur favere scepticismo religioso hic locus. (III. 21) «¿Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum..»?—388. 2.ª Quod confirmatur hoc alio loco (III. 19.) «Idcirco unus est interitus hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia et nihil habet homo jumento amplius.»—389. 3.ª Videtur auctorem hujus libri omnem negare progressum scientificum his verbis: (I. 10). «Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; jam enim praecessit

in saeculis quae fuerunt ante nos.»—390. 4.ª cap. I, II, et IX, auctor docet, sortem hominis nullo modo posse vitari aut mutari; quod favet fatalismo.—391. Exponuntur haec loca. (VII. 5) «Cor sapientium ubi est tristitia, et cor stultorum ubi laetitia.» et (X. 2) «Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.»

387. Objectio 1.ª Videtur favere scepticismo religioso et materialismo, hic locus, (III, 21): ¿Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et si spiritus jumentorum descendat deorsum?

Juxta aliquos interpretes, haec sententia non est ipsius Salomonis, sed hominis impii qui loquitur in dialogo. Quod praedicta sententia Salomonis non sit, infertur ex aliis locis in quiuus evidenter agnoscit immortalitatem animae: scilicet, (III, 17): «Et dixi in corde meo: Justum et impium judicabit Deus.» (XII, 7): «Et revertatur pulvis in terram suam, et spiritus redeat ad eum qui fecit illum.» Praeterea ut jam diximus, norma vitae nostrae, juxta Ecclesiastem, debet esse, meditatio extremi judicii.

Sed non est necessarium praedicta verba objectionis ponere in ore epicureorum et scepticorum, cum juxta alios interpretes sic exponi possint: ¿Quis ex philosophis, qui in sua sapientia gloriantur, postremae destinationis hominis problema solvet? Vel, ¿quis scit quid vel cujus naturae sit spiritus filiorum Adam qui ascendit sursum etc.

388. Obj. 2.ª Confirmatur prima objectio his verbis (III, 19): «Idcirco unus est interitus hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio; sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumento amplius.»

Cajetanus docet Salomonem in hoc errasse; nam locutus est ut philosophus; philosophi autem adhuc non demonstrarunt animam hominis immortalitate gaudere.

Sed quin neccesse sit ad hoc extremum confugere, sufficit considerare, Salomonem hic loqui de caducitate omnium bonorum corporis; ut ergo homo illis bonis non tradat cor suum, docet Salomon, destinationem seu interitum hominis quoad corpus, eumdem esse ac jumentorum, nempe corruptionem. Si hic locus ita non interpretatur, minime intelligitur quod Salomon dicat, v. 17: «Justum et impium judicabit Deus.» An ¿nonne etiam jumenta judicabuntur?

389. Obj. 3.ª Videtur auctorem hujus libri omnem negare progressum scientificum his verbis,(I, 10): «Nihil sub sole novum» nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens es: jam enim praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos.

Quod Salomon his verbis docere vult, est hominem non nimis debere defatigari ob progressum in scientiis et artibus, cum his non obstantibus, homo semper iisdem miseriis et necessitatibus moralibus subjiciatur.

390. Obj. 4.ª Cap. I, II, et IX, auctor docet sortem hominis nullo modo posse vitari ant mutari, quod favet fatalismo.

Salomon his in locis magnam veritatem asserit, cum certissimum sit omnes res, omniaque facta mundana infalibiliter contingere, secundum aeternam dispositionem Providentiae divinae. Sed minime asserit Salomon actiones hominis esse necessarias et non liberas: secus non affirmaret in aliis hujus libri locis, hominem redditurum esse rationem de actibus suis: hoc vero libertatem necessario supponit.

391. Quomodo haec loca exponantur: (VII, 5) «Cor sapientium ubi est tristitia, et cor stultorum ubi laetitia.»

Sensus est; Cor sapientium, etiam contentum est, ubi est egestas et tristitia: ubi vero abundant convivia et deliciae, cor non erit sapientius, sed stultus: quia corporales deliciae et convivia cum vera sapientia non copulantur. (X, 2): «Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.» Dextera est symbolum recti et honesti, et bonorum spiritualium et coelestium, sinis tra autem et sybolum mali et bonorum temporalium. Igitur cor sapientis est in manu dextera ad recte agendum; sed cor stulti est in manu sinistra ad malum operandum.

Caput XXVIII

De Canticis Canticorum.

PARS CRITICA.

392. De nominibus hujus libri.—393. Doctrina quam continet.—394 Unitas hujus libri.—395. Ostenditur ipsius auctorem fuisse Salomonem.—396. Quo tempore Salomon hunc librum conscripserit.—397. Opiniones et errores quoad interpetrationem hujus libri: nempe schola litteralis, mystica et allegorica.—398. Scopus libri.—399. Probatur ejus divina inspiratio.

392. Habet hic liber octo capita. Ad ejus pleniorem intelli-

gentiam animadvertendum est inscriptionem hujus libri sic verti a S. Hieronymo, *Canticum Canticorum;* nam, ut ait Origenes, sicut judaeis plura erant Sancta, tamen aliquid fuit quod ab ipsis vocabatur *Sanctum Sanctorum*, sic inter cantica spiritualia, censebatur hic liber ut Canticum Canticorum. Ecclesia pisum vocat *Cantica Canticorum.*

393. Apud hebraeos, nuper desponsati, comitantibus amicis, solebant, spatio septem dierum, inter se habere colloquia, quibus sibi invicem suum mutuum amorem ostendebant. Liber ergo, de quo agimus continet hujusmodi colloquia duorum sponsorum, qui juxta communiorem sententiam sunt Salomon et filia regis Aegypti: sed praedicta colloquia spiritualiter intelligenda sunt, ita ut Salomon et ejus sponsa typice significent desponsationem Christi cum Ecclesia. Nam si hic liber litteraliter intelligendus esset, tum ejus lectio esset periculis plena: unde apud hebraeos, nemini usque ad triginta annos aetatis, licita erat lectio hujus libri: et Origenes ab ejus lectione retrahere vult omnes, qui passiones appetitus inferioris facile reprimere nesciunt vel nequeunt.

394. Richardus Simon, et cum eo alii docuerunt, hunc librum esse collectionem quandam canticorum, sicut est ex. gr. liber Psalmorum: sed probari potest unitas hujus libri: 1.° ex ipsa inscriptione *Canticum Canticorum Salomonis*, quae unitatem Cantici supponit: 2.ª ex identitate styli et imaginum in toto libro: 3.ª ex eo quod etiam in toto libro, sponsi, sive sub forma regum, vel pastorum identici sunt, cum sermo in ore eorum semper sit identicus: 4.ª quia si liber hic esset collectio poematum eroticorum, quae a diversis auctoribus diversisque temporibus scripta sunt, possent, aliquo modo, ad invicem distingui atque separari: tamen haec distinctio et separatio est omnino impossibilis, fatentibus ipsis adversariis.

395. Quoad auctorem hujus libri, nonnulli ut Rossemuller affirmarunt, hunc librum exaratum fuisse post captivitatem.

Sed origo Salomonica hujus libri, probatur: 1.° ex ipsa inscriptione, quam Alexandrini verterunt quasi esset pars integralis libri, cum mos esset apud hebraeos praefigendi canticis nomen auctoris: 2.° ex unanimi consensu Patrum: inter alios, Origenes scribit: «Epithalamium libellus hic, id est nuptiale carmen, dramatis in modum mihi videtur a Salomone conscriptum.» (1) S.

(1) *Prol. in Cant. Cant.*

Isidorus Hisp. ait: «Salomon scripsit Proverbia, Ecclesiastem et Cantica Canticorum.» (1) Et sic omnes Patres: 3.° ex eo quod aliqui rabbini et haeretici qui divinam inspirationem hujus libri rejecerunt, tamen ejus originem Salomonicam non negarunt: 4.° Quia lingua hebraica hujus libri spectat ad epocham Salomonis; quod si aliquando, reales vel apparentes chaldaismi inveniantur, tribui debent, vel peculiaribus conditionibus Salomonis qui omnes linguas vicinarum regionum noverat, vel sunt variantes a librariis introducti post captivitatem: 5.° Quia in ipso libro quaedam sunt indicia, quae ostendere videntur ejus auctorem fuisse Salomonem: nam Cap. I, 9 sponsus comparat sponsam curribus quos dedit ei Pharao: Cap. III, 7, sponsa describit lectum sponsi sui Salomonis. Demum, tranquillitas populi, mentio Jerusalem, de custodibus Salomonis, de Pharaone etc. aetatem eventus significare videntur, et ideo auctorem fuisse Salomonem. Praeterea descriptiones montium et locorum Palaestinae, nomina quorumdum animalium et plantarum optime conveniunt regi qui saepe percurrit suum regnum et naturales scientias callebat; talis vero fuit Salomon: 6.° demum talis est affinitas inter hunc librum et Proverbia, ut explicari nullo modo queat, quin uterque uno eodemque auctori tribuantur.

Quoad aetatem vitae suae qua Salomon hunc librum conscripserit, diversae sunt sententiae: juxta aliquos, Salomon scripsit hunc librum cum adhuc viveret mater sua, ad quam videtur alludere, III. 11. Alii putant hunc librum scriptum quando Salomon desponsatus est cum filia Pharaonis. Omnes qui divinam inspirationem atque interpretationem allegoricam hujus libri rejiciunt, putant Salomonem hunc librum scripsisse post lapsum, et hinc quod liber appareat adeo obscenus. Sed qui interpretationem allegoricam hujus libri admittunt, asserunt Salomonem illum conscripsisse in sua juventunte, cum adhuc esse innocens.

Nonnulli ut negent originem Salomonicam hujus libri, dicunt in ipso loqui de civitate Thersa, longe post Salomonem aedificata. Sed haec difficultas ex ignorantia procedit, cum jam in libro Josue (XII, 24) mentio fiat de rege Thersa.

397. Quoad interpretationem libri Canticorum, triplex est, ut ita dicam, schola: nempe, *litteralis*, *mystica* seu *typica* et *allegorica*.

(1) *De offic. eccles.*

Primus qui hunc librum *litteraliter* docuit esse interpretandum, fuit Schamai, qui aetate J. Christi vixit, et damnatus fuit a Sanhedrin. Inter christianos, hanc eamdem doctrinam defendit Theodorus Mops. qui damnatus est a Concilio V generali A saeculo XVIII omnes rationalistae hanc ipsam tuentur sententiam: nam juxta illos, noster liber est mere humanus, qui de matrimonio Salomonis cum filia regis Aegypti agit.

Schola *mystica* seu *typica*, duce Bossuet, admittit in libro sensum litteralem, sed non modo exclusivo: matrimonium Salomonis cum filia regis Aegypti est typus conjunctionis mysticae Jesu Christi cum Ecclesia. Bossuet librum divisit in septem sectiones quae respondent septem diebus nuptiarum. Haec opinio ab Ecclesia non est damnata; tamen sequi non potest ob rationes quas postea adducemus.

Tertia schola, nempe *allegorica*, in hoc libro nihil aliud agnoscit quam allegoriam quamdam vel parabolam, ut est ex. gr. parabola decem virginum: et significat amorem Dei erga populum hebraicum; perfectius vero erga populum christianum; modo quodam singulari erga animam quae est in gratia; et modo singularissimo erga B. V. Mariam.

Et haec videtur sententia verior: 1.° Quia Thalmud, paraphrases chaldaicae, scholla rabbinica Hillel, et generatim omnes christianos, hunc librum ut meram allegoriam habuerunt, secundum praedictos sensus: 2.° Hebraei non recepissent hunc librum in suo Canone, si de amoribus profanis ageret: 3.° Quia Ecclesia, plura hujus libri loca applicat Beatissimae V. Mariae, et insuper damnavit Theodorum Mops.: 4.° Quia hic liber sensu litterali intelligi non potest, quin saepe in contradictionem fiat lapsus: nam Salomon apparet modo ut Rex, modo ut pastor: idem dicendum de sponsa: deinde simplex pastor esset rivalis potentissimi Salomonis: humilis muliercula rejiceret amores Salomonis etc, quae omnia incredibilia sunt.

398. Juxta Patres et omnes interpretes catholicos, scopus hujus libri est praenuntiare desponsationem Christi cum Ecclesia; ait enim Origenes: «Christum sponsum intellige, Ecclesiam sponsam sine macula et ruga.» (1) S. Augustinus: «Canticum canticorum spiritualis quaedam sanctorum est voluptas mentium in conjugio illius regis et reginae civitatis, quod est Christus

(1) *In Cant.* Hom. I.

et Ecclesia, sed haec voluptas allegoricis teguminibus involuta est.» (1) Similiter S. Hieronymus: «Salomon... Ecclesiam jungit et Christum, sanctarumque nuptiarum dulce canit epithalamium.» (2) Ita etiam S. Bernardus, S. Thomas a Villanova etc.—Inter commentatores hujus libri, prae caeteris eminent Fr. Ludovicus de León, et S. Joannes de la Cruz, qui jure ac merito *doctoris mystici* nomen consecutus est.

399. Quidam antiqui rabbini et Theodorus Mops, negarunt divinam inspirationem hujus libri, eo quod non nisi de amoribus profanis agat: sed haec opinio damnata fuit a Concilio V generali, et deinceps nemo praedictam divinam inspirationem negavit, donec aliqui protestantes veterem errorem suscitarunt, et hodie a rationalistis defenditur.

Omittimus testimonia SS. Patrum, cum omnes unanimiter agnoscant hunc librum esse divinitus inspiratum. Praeterea omnes Canones Christo anteriores et posteriores librum Canticorum continent.

PARS EXEGETICA

400. Quomodo explicatur quod Salomon appareat ut rex, ut pastor, ut sponsus, et frater sponsae.?—401. Potestne hic liber argui de immoralitate.—402. Ex his verbis (VI. 7): «Sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea etc....»; potest inferri Salomonem scripsisse hunc librum post lapsum?—403. Num lectio hujus libri omnibus indiscriminatim permittenda sit.

400. Ut jam diximus, liber hic sensu litterali interpretari non debet; et ideo plura Salomoni ejusque sponsae litteraliter applicari non possunt.

Itaque Salomon et sponsa repraesentant Christum et Ecclesiam: jam vero Christus respectu Ecclesiae atque animarum justarum est rex, sponsus, pastor et frater.

401. ¿Potestne hic liber argui de immoralitate?

Cum in hoc libro inveniantur, figurae, imagines et locutiones plus aequo liberiores et obscenae, considerandum est, librum esse poeticum, et orientales usos fuisse et etiam nunc uti imaginibus et locutionibus vividioribus et liberioribus quam

(1) *De civit. Dei.* lib. 17, c. 20.

(2) *Prolog. Galeat.*

nos. Idcirco, de modo loquendi et scribendi veterum orientalium, non est judicandum juxta mores nostros. Pluribus quidem liber videtur obscenus et turpis, fortasse quia in ipsis adimpletur illud Apostoli (Ad Tit. I. 15) «Omnia munda mundis; *coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum, sed inquinatae sunt eorum et mens et conscientia.*» Lege ergo librum quasi allegoriam, et nihil immoralitatis in eo invenies.

402. Ex his verbis VI, 7): «Sexaginta sunt reginae et octoginta concubinae et adolescentularum non est numerus. Una est columba mea etc.» ¿potest inferri Salomonem scripsisse hunc librum post lapsum?

Juxta aliquos interpretes, hic locus intelligendus est conditionate; ita ut sensus sit: «Etiamsi forent mihi, sexaginta reginae et octoginta concubinae, et adolescentularum non esset numerus, tamen una est columba mea etc.

Hic, nomen *concubinae*, non designat mulieres concubinarias seu peccatrices, sed legitimas sponsas secundi ordinis, quae reginae non vocabantur. Exempla hujusmodi habemus etiam in historia Patriarcharum.

403. Lectio hujus libri omnibus indiscriminatim permitti non potest: ait enim Origenes: «Epithalamium libellus hic est, id est nuptiale carmen, dramatis in modum mihi videtur a Salomone conscriptum..... Perfectiorum autem est solidus cibus: et tales requirit auditores, qui pro possibilitate sumendi exercitatos habeant sensus ad discretionem boni et mali..... Si vero aliquis accesserit, qui secundum carnem tantummodo vir est, huic tali non parum ex hac Scriptura discriminis periculique nascetur. Audire enim pure et castis auribus amoris nomina nesciens ab interiori homine ad exteriorem et carnalem virum deflectet auditum et ex spiritu convertetur ad carnem..... Ob hoc ergo moneo, et consilium do omni, qui nondum carnis et sanguinis molestiis caret, neque ab affectu naturae materialis abscedit, ut a lectione libelli hujus eorumque, quae in eo dicuntur, penitus temperet. Ajunt enim observari etiam apud hebraeos.» (1)

(1) *Prolog. in Cant.*

Caput XXIX

De libro Sapientiae.

PARS CRITICA.

404. Doctrina hoc libro contenta et ejus divisio.—405. Quae sit sapientia de qua hic agitur.—406. Lingua qua exaratus est hic liber.—407. Opiniones quoad ejus auctorem.—408. Ostenditur divina hujus libri inspiratio.—409. Solvuntur sequentes objectiones: 1.ª Auctor sapientiae admittit cum stoicis, animam universalem mundi, his verbis (I. 7): «Spiritus Domini replevit orbem terrarum» 2.ª Agnoscit etiam praeexistentiam animarum hoc loco: (VIII. 19) «Et sortitus sum animam bonam.»: 3.ª Supponit cum Platone, Deum fecisse mundum ex praejacente materia, ait enim (XI. 18) «Omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa.» 4.ª Docet filios adulterorum necessario damnandos esse (III, 16-18) «Et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem».

404. Continet hic liber decem et novem capita, et dividi potest in duas partes: 1.ª a Cap. I ad VII inclusive, describit miseram sortem illorum qui veram sapientiam despiciunt, et felicitatem justorum qui eam amplectuntur. Statim proponitur modus acquirendi sapientiam; ejus necessitas pro imperantibus, et convenientiam a Deo eam postulandi exemplo Salomonis. Cap. II, continet notabilissimam prophetiam circa mortem et circumstantias passionis D. N. Jesuchristi: nam v. 18, legimus: «Si enim est vere filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum» (Vide Mat. XXVII, 42): et v. 20: «Morte turpissima condemnemus eum» nempe morte crucis, quae inter omnes erat turpissima.

2.ª Pars quae complectitur reliqua capita libri, ostendit quam utile sit veram sapientiam amplecti, et quam perniciosa ejus despectio, historia Patriarcharum ab Adamo usque ad Moysem; et narrat beneficia et miracula quibus Deus providit populo suo, eum a captivitate Aegypti liberando, in deserto sustentando, et contra hostes juvando. Hic quaedam narrantur quae omissa sunt in Exodo, et mentio fit de malis et flagellis quibus Deus punivit populos gentiles qui oppresserant populum electum.

405. Sapientia de qua in hoc libro agitur, est quandoque humana, sed a divina revelatione derivata. Tamen pluribus in locis sermo est de sapientia divina, ut ita dicam, personificata,

BIBLIOTECA PROVINCIAL PALENCIA

seu de Verbo divino: nam VII, 25, juxta auctorem libri, hujusmodi Sapientia est: «Vapor virtutis Dei et emanatio quaedam claritatis omnipotentis Dei sincera:» et v. 26 ejusdem capitis legitur: «Candor est enim lucis aeternae et speculum sine macula Dei majestatis et imago bonitatis illius.» Haec loca magnam habent affinitatem, cum aliis locis: ex. gr. Eccli. XXIV, 5-6: «Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam etc» et. Gen. I, 2; «Et Spiritus Dei ferebatur super aquas etc.» Omnes hi textus intelligendi sunt de aeterna generatione Verbi: sic enim illos interpretatur Apostolus, II, Cor. IV, 4, Colos. I, 15 et Hebr. I, 3.

Emanatio autem de qua sermo est, VII, 25, hujus libri, non est intelligenda ad sensum Philonis, nempe pro emanatione pantheistica.

406. Grotius, Smidt, et illi qui Salomoni hunc librum tribuunt, putant hebraice fuisse conscriptum. Sed communior sententia tenet graece fuisse exaratum. S. Hieronymus scribit: «Liber sapientiae apud hebraeos nusquam est, quia ipse stylus graecam redolet eloquentiam.» (1) Praeterea nulla est notitia neque textus primitivi hebraici. Deinde inter omnes libros V. T. qui graece exarati sunt, noster liber puritate linguae distinguitur. Praeterea, quaedam sunt verba in hoc libro, quae alia aequivalentia non habent in sermone hebraico; ut *species, providentia, philanthropus,* aliaque. Demum, quaedam inveniuntur in hoc libro locutiones ex philosophia platonica et stoica desumptae; quae omnia ostendere videntur textum originalem fuisse graecum.

Smidt censet, textum primitivum fuisse hebraicum, quia in libro plures sunt hebraismi, et indicia parallelismi poetici ab hebraeis adhibiti. Sed hujusmodi difficultates evanescunt, si liber tribuatur non Salomoni, sed alicui judaeo hellenistae.

Audiendus est etiam in hac materia cl P. Fernandez, Aug., qui haec scribit: «Mihi inconcussa non videntur ista argumenta. ¿Quid prohibet adstruere libertatem interpretis, qui verba aptiora sensui indicando elegit de verbis textus primigenii haud solliciti? Quae dicuntur de oblivione libri, reor quidem illud valere quod pro caeteris libris vel portionibus deperditis permittunt valere adversarii. Gratis proinde auctores affirmant

(1) *Praefat. ad Heliod.*

hebraismos exponendos, quatenus auctor hebraeus graece scribens, propriae linguae recordatus sit. ¿Qua de causa hic non producitur sicut alias argumentum ex natura linguae hebraicae? Nec alteri nec alteri sententiae dicta favere animadvertito: suus sit opinionibus locus.» (1)

407. Quoad auctorem hujus libri plures dantur sententiae: juxta aliquos, auctor est Salomon: 1.° quia versiones LXX, itala, syriaca, arabica et aliae hanc inscriptionem praeseferunt, *Sapientia Salomonis*. 2.° Quia plures Patres ut S. Hilarius, S. Athanasius, Tertulianus, S. Cyprianus, S. Ambrosius et alii, hunc librum Salomoni tribuunt. Eamdem sententiam tuentur etiam plures rabbini. 3.° Quia auctor alicujus libri ille est qui prima persona loquitur; sed negari non potest in diversis locis libri hujus, Salomonem prima persona loqui: ex. gr. (IX, 7-8): «Tu elegisti me regem populo tuo, et judicem filiorum, et dixisti me aedificare templum in monte sancto tuo et in civitate habitationis tuae altare, similitudinem etc.» (VII, 7): «Propter hoc optavi, et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae.» (IX, 10-12): «Mitte illam de coelis sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuae, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te.... Et erunt accepta opera mea, et disponam populum tuum juste, et ero dignus sedium patris mei.» 4.° quia tum argumentum libri, tum modus ipsum exponendi, magnam habent affinitatem cum libris Salomonis. Animadvertendum est auctorem hujus libri, ad demonstrandos fructus sapientiae, exempla desumere ex personis anterioribus Salomoni: si vero auctor fuisset quidam judaeus hellenista, procul dubio, aliqua exempla desumpsisset ex quibusdam piis regibus Judae.

Haec argumenta vi aliqua non caret; cum tamen textus primigenius hujus libri sit graecus, ideo aliqui interpretes dicunt, ut Cornely et Bonfrerius, hunc librum, ex toto vel ex parte, esse Salomonis, quoad sententias: ejus autem compositionem litterariam cuidam judaeo hellenistae tribuendam esse.

Cum ergo Salomon non sit auctor hujus libri, magna est discrepantia et diversitas inter expositores, in determinando auctorem libri Sapientiae. S. Augustinus aliquando censuit,

(1) *Curs. Theol. Introd. in Sac, Script.* Tract. I. Sect. III. Cap. V.

auctorem hujus libri fuisse ipsum auctorem Ecclesiastici, nempe, Jesum, filium Sirach; sed postea suam sententiam revocavit. Alii expositores putarunt, Zorobabelem conscripsisse hunc librum: sed hoc falsum est; nam Zorobabel graece scribere non potuit. Nonnulli hunc librum tribuunt Philoni, qui aetate Christi vixit. Sed Vigouroux hanc opinionem rejicit: 1.° quia Cap. II, 24 libri Sapientiae legitur: «Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum.»; sed Philo negabat existentiam diaboli. 2.° quia VIII, 19, dicitur animas hominum tum justorum tum peccatorum conjunctas esse cum corporibus: Philo autem docuit, animas justorum manere a corporibus separatas, et esse quasi ministras Dei, in ordinatione rerum humanarum.

Ergo probabiliter auctor hujus libri fuit judaeus quidam hellenista: nam 1.° textus primigenius graecus est: 2.° quia in hoc libro fiunt allusiones ad systemata philosophica graecorum, id est, ad epicuraeos, stoicos etc; describuntur mores, ludos, festa quae minime conveniunt temporibus Salomonis: damnantur polytheismus, idololatria aliaeque superstitiones quae non praevalebant aetate Salomonica; demum narrationes status politici populorum et progressus artium optime quadrant temporibus non Salomonis, sed posterioribus Alexandri.

Juxta aliquos, hic judaeus hellenista fuit Philo, cujus mentio fit a Josepho Flavio, et vixit aetate Demethrii Phalaeri; et quidam addunt, fuisse unum ex septuaginta interpretibus.

Argumenta sententiae quae hunc librum tribuit Salomoni, sic solvuntur: Illa inscriptio *Sapientia Salomonis* est satis vaga, neque auctorem libri indicare videtur, ut indicant, ex. gr. «*Canticum Salomonis*, vel *Psalmus Davidis*.

Quoad Patres, S. Hieronymus apertet negat hunc librum esse Salomonis: S. Augustinus prius in lib. *De Doct. Christ.* librum Salomoni tribuit; sed postea in opere *De Civit. Dei*, confidenter docuit librum non esse Salomonis.

Aliorum Patrum contraria sententia, sicut et affinitas hujus libri cum libris Salomonis, facile explicantur, modo quis admittat judaeum hellenistam, qui ante oculos habuit libros Salomonis, hunc librum conscripsisse.

408. Liber hic deuterocanonicus est; tamen ejus divina inspiratio in dubium revocari non potest: nam 1.° in Novo Testamento allusiones fiunt ad hunc librum, ut constat ex comparatione Cap. XVI, 5 Sapientiae, cum III, 14, Joannis; et Cap.

XV, 7. Sap. cum IX, 21 ad Romanos. Plures alias allusiones missas facimus, brevitas causa.

2.° Inter Patres Occidentales, S. Augustinus ait: «Repudiari non debet sententia libri Sapientiae, qui meruit in Cristi Ecclesia de gradu lectorum tam longa annositate recitari et ab omnibus Christianis, ab episcopo usque ad extremos laicos, cum veneratione *divinae auctoritatis* audiri... Oportet ut istum librum Sapientiae omnibus tractatoribus anteponant, quoniam eum sibi anteposuerunt etiam temporibus proximis Apostolorum egregii tractatores, qui eum testem adhibentes *nihil se adhibere nisi divinum testimonium crediderunt.*» Et alibi, idem S. Doctor, librum Sapientiae libris propheticis adnumerat «quoniam in auctoritatem recipi meruerunt.» (1)

S. Clemens Rom. et Canon Muratori, huic libro eamdem auctoritatem tribuunt, ac caeteris libris sacris. Tertulianus adhibet testimonia ex hoc libro desumpta ad Marcionem et Valentinianos confutandos. S. Cyprianus, cum aliquod hujus libri testimonium proponit, ei praecedere facit formulam «*Spiritus Sanctus docet*» S. Hieronymus, quamvis dicat librum Sapientiae afferendum non esse «ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam,» tamen, sibi non constans, librum Sapientiae, eodem modo ac reliquos libros sacros, in suis operibus, etiam ad confirmanda dogmata, adhibuit.

3.° Quoad Ecclesiam Orientalem, S. Clemens Alex., *Sapientiam Salomonis* vocat *divinam;* Origenes, quamvis prius non crediderit omnia hoc libro contenta divinam habere auctoritatem, tamen postea, appellavit hunc librum *Sapientiam divinam*, *divina eloquia*. S. Athanasius ad confutandos Arianos, testimonia adhibet hujus libri, quibus eamdem auctoritatem concedit ac testimoniis desumptis ex epistolis Petri et Jacobi. Id ipsum dicendum de aliis Patribus, nempe de S. Epiphanio, S. Basilio M. Gregorio Naz. et aliis.

4.° Hanc divinam libri auctoritatem «ipsa doctrinae sublimitas, ut loquar cum Caminero, atque praestantia demonstrat; cum in nullo ethnico philosopho, etsi multum in veteribus traditionibus erudito, tam sublimia dogmata inveniantur circa Dei attributa, omnium rerum creationem, animae immortalitatem, praemia vel poenas futurae vitae, sapientiae

(1) *De Praedest. Sanct.* I, 14; *Doct. Christ.* II. 8.

studium atque praestantiam, primam hominum conditionem, originale peccatum, supremum judicium, bonorum terrestrium inanitatem ac virtutis excellentiam, pluralitatem Personarum Divinarum, Christi passionis praenuntiationem, aut saltem tamquam instinctivam adumbrationem; quae omnia illorum sententiam respuunt, qui e graeca philosophia haec derivata in christianismum, vel etiam in hunc atque Ecclesiastici librum inscite affirmant. Eadem divinam revelationis evolutionem ostendunt a Deo effectam, ut via christianismo paratior esset.» (1)

409. Sulvuntur sequentes objectiones adversus divinam inspirationem libri Sapientiae: 1.ª Auctor libri admittit cum stoicis animam universalem mundi, his verbis; (1, 7): «Spiritus Domini replevit orbem terrarum.»

Principia fundamentalia pantheismi stoicorum, sequentibus continentur juxta sapientissimum Card. Gonzalez: «1.° Deus est principium activum mundi, non quidem ad modum causae creantis, sed ad modum quo anima est principium quod vivificat et movet corpus: 2.° proinde mundus habendus est tamquam pars integralis atque substantialis Dei; ita ut Deus sit veluti anima universalis mundi, ipsum undequaque penetrans: 3.° mundus iste adspectabilis cum omnibus ejusdem entibus, viribus ac motibus, a Deo est inseparabilis, ex Deo continuo profluit, ac per Deum status diversos ac mutationes successivas sortitur: 4.° Deus autem ipse nihil est aliud quam corpus subtilissimum, seu aether, qui innata activitate praeditus, dum materiam primam vel chaoticam evolvit ac explicat, efformat mundum, qui per universalem combustionem peribit, non quidem penitus, ita ut ad nihilum redigatur, sed per involutionem ac replicationem quamdam regrediendo ad illam materiam chaoticam ex qua emanarat.» (2) Ex praedictis verbis infertur animam universalem mundi, juxta stoicos, esse corpus subtilissimum seu aether; juxta textum verum, de quo est quaestio, sermo est, non de corpore etiam subtilissimo, sed de *spiritu*. Praeterea, ex ipso contextu infertur, hic agi, de immensitate Dei; nam v. 8, ejusdem capitis legimus: «Propter hoc qui loquitur iniqua non potest latere, nec praeteriet illum corripiens

(1) *Man. Isag.* Sect. III. Cap. XXV.

(2) *Philos. Elemt. Cosmol.* Cap. I. Art. I.—Vide etiam ejusdem *Hist. de la Filos.* Tom. I, pág. 336.

judicium», ubi manifestum est agi de omnipraesentia Dei, quod quidem omnino differt ab errore stoicorum.

2.ª Videtur etiam auctorem libri agnoscere praeexistentiam animarum his verbis, VIII, 19: «Et sortitus sum animam bonam »

Plato, et etiam aliquo modo Origenes et Lebnitz docuerunt omnes animas ab initio simul fuisse creatas; juxta Platonem hujusmodi animas successive diversa corpora informant, ita ut in hoc consistat earum immortalitas; haec successiva transmigratio de corpore in corpus, dicitur metempsychosis, quae destinationi aeternae animae humanae opponitur. Sed ad nostrum textum explicandum, nulla est necessitas confugiendi ad metempsychosim. Nam hic, sortiri bonam animam, idem est ac sortiri bonam indolem, aut naturalem inclinationem ad bonum ex mera Dei liberalitate. Hoc enim, aliquo modo, est donum Dei gratuitum ac supernaturale, seu ut dicit S. Augustinus: «Divinum, naturaliter munus.» (1)

Ad bonam autem indolem non modo confert, conditio ipsa animae, quae quamvis identica sit in essentialibus, non tamen omnes ejus conditionis accidentalis judicari debent: sed etiam non parum juvat temperamentum corporis; unde in praedicto textu, *bona anima*, bonam significat indolem ex determinatis conditionibus animae et corporis exurgens, Deo sic benigne et misericorditer disponente.

3.ª Auctor libri supponit cum Platone, Deum non creasse mundum, sed eum fecisse ex praejacente materia: ait enim (XI, 18): «Omnipotens manus tua, quae creavit orbem terrarum ex materia invisa.»

Auctor hic non agit de prima productione rerum ex materia infecta ut docuit Plato, secus sibi ipsi contradiceret, cum dicat (I, 14) «Creavit enim ut essent omnia»; jam vero creare et etiam producere *omnia*, idem est ac ex nihilo educere saltem primariam substantiam seu materiam. Praeterea, *creare ex aliqua materia* contradictorium est: ergo in praesenti casu, creare ex materia invisa, idem est ac formare mundum ex materia a Deo ex nihilo condita, quae tamen adhuc erat in statu chaotico et informe.

Juxta alios, verbum *invisa*, significat materiam adhuc *non*

(1) *Lib. X in bon.*

visam, seu *non visibilem*, eo quod, adhuc non esset, quod ipsiusmet materiae creationi favet.

4.ª Auctor libri docet, filios adulterorum necessario damnandos esse: de illis enim dicit, (III, 16-18): «Filii adulterorum in inconsummatione erunt, et ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longae vitae erunt, in nihilum computabuntur, et sine honore erit novissima senectus illorum, et si celerius defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem.»

Juxta textum Graecum, sensus hujus loci est: Fili adulterorum qui perversi fuerint sicut et parentes eorum, non attingent perfectionem, et peribunt priusquam fructus sanctitatis edant, et in die judicii nemo erit qui eos consoletur. Sic hunc locum interpretatur S. Gregorius Magnus; et hanc exigit interpretationem alius locus ejusdem libri, nempe, (XI, 24): «Sed misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter poenitentiam» Si haec interpretatio non admittatur, sequenda esset horribilis doctrina Calvini, de reprobatione ante praevisa demerita, quae doctrinae catholicae omnino contraria est.

PARS EXEGETICA.

410. Quomodo concilientur haec loca (Sap. XI, 25) «Diligis enim omnia quae sunt, et nihil odisti eorum quae fecisti.» et (Rom. IX, 13) «Jacob dilexi, Esau autem odio habui.»—411. Exponatur hic locus (XVI, 20.) «Pro quibus Angelorum esca nutrivisti populum tuum et paratum panem de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.—412. Brevis expositio cap. II.

410. In textu allato ex Ep. ad Rom. non agitur de odio Dei erga Esau, sed de minore amore erga eum: unde sensus est, etiam juxta Malach. (I, 2-3) Jacob plus dilexi quam Esau, illum accummulando bonis temporalibus et etiam dignitate primogeniti. Apostolus, adducit hunc locum ad demonstrandum praedestinationem ad vitam aeternam esse omnino gratuitam et ante praevisa merita; haec est doctrina S. Augustini et S. Thomae: eamque sequuntur Card. Gotti, Gonet, Billuart et generatim thomistae.

Contraria sententia suos etiam patronos sapientissimos habet; tamen prima est Scripturae et rationi conformior. Sed de hoc theologi.

411. Exponatur hic locus: (XVI, 20) Pro quibus Angelorum esca nutrivisti populum tuum, et paratum panem de coelo praestitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem.»

Totus hic locus refertur ad manna quae fuit esca hebraeorum in deserto: dicitur *Angelorum esca*, non sensu proprio, cum Angeli ut spirituales non sint capaces escae materialis; sed quia hujusmodi esca ab Angelis condita est, vel quia descendit a regione Angelorum.

Additur hujusmodi escam habuisse omne delectamentum et *omnem* saporis suavitatem, cum tamen legamus (Exod. XVI, 31) «Gustusque ejus quasi simile cum melle.» Sed nulla in hoc est contradictio, si enim ille panis habebat omnem suavitatem saporis, consequenter et habuit saporem mellis. Praeterea quod haberet omnem saporem, sic intelligendum est quod quomodocumque condiretur ab hebraeis, semper optimum et gratum saporem haberet.

Sed huic quod prostremo loco diximus videtur opponi, hic locus (Num. XXI, 5): «Anima nostra jam nauseat super cibo isto levissimo.»

Juxta S. Gregorium, S. Augustinum et S. Hieronymum, manna, omnem saporis suavitatem habebat pro fidelibus et justis, sed infidelibus seu peccatoribus erat condimentum vulgare.

Quae de manna in Veteri Testamento dicuntur, optime in Novo applicari queunt ac debent sensu spirituali SSmo. Eucharistiae Sacramento, de quo S. Thomas scripsit: «O quam suavis est Domine spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de coelo praestito, esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes.» (1)

412. Caput II hujus libri, est magnifica prophetia de passione et morte Domini N. Jesu-Christi. Et quidem attenta lectio quorumdam versuum sufficit ad hoc demostrandum: dicunt impii adversum Messiam (v. 12) «Circumveniamus ergo *justum*, quoniam inutilis est nobis, et contrarius est operibus nostris, et improperat nobis peccata legis, et difamat in nos peccata disciplinae nostrae.» Haec dicebant adversus Christum Scribae et Pharisaei Matth. XXIII, 25; Joan VII, 19.=«Promittit se

(1) *In Offic. Corp. Christi.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL PALENCIA

scientiam Dei habere, et filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum» Conf. Matth. IX, 4, et Luc. VI, 7.=Etiam pharisaei haec et similia dicebant: «Gravis est nobis etiam ad videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius, et immutatae sunt viae ejus. Tamquam nugaces aestimati sumus ab illo, et abstinet se a viis nostris tamquam ab immunditiis, et praefert novissima justorum: et gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo si sermones illius veri sint, et tentemus quae ventura sunt illi, et sciemus quae erunt novissima illius.»=«Si enim est verus filius Dei, suscipiet illum, et liberabit eum de manibus contrariorum.» Conf. cum his verbis. Matth, XXVII, 43: «Confidit in Deo; liberet nunc, si vult eum: dixit enim quia filius Dei sum.»=«Contumelia et tormento interrogemus eum, ut sciamus reverentiam ejus, et probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum: erit enim ei respectus ex sermonibus illius.»

Haec vero omnia pharisaeos locutos fuisse, Christum Dominum contumeliis et tormentis tentasse Ipsumque morte turpissima, quae erat mors crucis, condemnasse, ex Evangeliis aperte constat.

Videtur ergo, auctorem Sapientiae a longe audivisse et vidisse, dicta et facta, et reliqua omnia quae contigerunt in passione Christi, ut dicit Lactantius, et cuilibet hunc librum et Evangelia legenti patet.

Caput XXX

De libro Ecclesiastici

PARS CRITICA

413. Diversa nómina hujus libri: Quo sensu dicatur Ecclesiasticus.—414. Materia contenta et ejus divisio. - 415. Quis fuerit auctor, et ejus conditio et aetas, nec non opiniones quoad hanc ultimam partem.—416. Lingua textus primigenii.—417. Divina ejus inspiratio.—418. Solvuntur sequentes objectiones: 1.ª Cap. XXIV, dicitur, sapientiam, id est, Verbum, fuisse creatum, ut docuerunt ariani: nam v. 12 legimus: «Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo;» et v. 14: «Ab initio et ante saecula creata sum.» 2.ª cap. XLVIII, 10, dicitur ipsum Eliam venturum esse ad conciliandos homines cum Deo: et tamen verba Malachiae (IV, 5-6) ad quae alludit, de solo Joanne Baptista dicta sunt. 3.ª Supponit auctor, filios fidelium nasci absque originali peccato, cap. I, 16; Initium sapientiae timor

Domini, et cum fidelibus in vulva concreatus est.» Et etiam supponit Deum esse causam peccati, (X, 16.) «Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt.»

413. Apud Graecos, inscriptio hujus libri est: *Sapientia Jesu filii Sirach.*» Quidam Patres graeci et etiam latini, appellarunt hunc librum, teste S. Hieronymo, «*Panaretos Jesu filii Sirach liber*» (1) Vox *panaretos*, idem est ac virtutibus plenum; unde juxta plures Patres, titulus hujus libri significat, ipsum agere de omnibus virtutibus. Hebraei, teste ipso S. Hieronymo, vocabant hunc librum *Parabolae.* Qui primus ipsum designavit nomine *Ecclesiastici*, fuit S. Cyprianus. Quaedam rationes adducuntur ab interpretibus ad hanc nominis impositionem explicandam. Juxta aliquos, hic liber dictus est *Ecclesiasticus*, ut distinguatur ab Eccesiaste, cui tum quoad materiam tum quoad formam valde affinis est.

Sed Cornely, Vigouroux et alii scriptores recentiores putant, librum hunc designatum esse nomine Ecclesiastici, non ad auctorem denotandum, sed potius qualitatem ipsius libri, qui aptissimus erat ad usum Ecclesiarum, eo quod contineat summam doctrinae moralis, ita expositam atque explanatam, ut ab omnibus, etiam rudioribus intelligi possit.

In allegationibus, ut liber Ecclesiaste distinguatur ab Ecclesiastico, pro Ecclesiaste scribitur *Eccle.*: et pro Ecclesiastico, *Eccli.*

414. Continet hic liber LI Capita, quae in duas partes dividi possunt: 1.ª a cap. I ad XLII, 14, plures et maximas laudes includit sapientiae; et hortationes ad eam amplectendam, et seriem quamdam praeceptorum ac consiliorum quae accommodari queunt omnibus statibus ac circumstantiis vitae: 2.ª pars, quae reliqua capita complectitur, continet elogium Dei, universi atque Sanctorum Veteris Testamenti, ut Moysis, Aaron, Josue, Chaleb, Judicum, Samuel, etc.

Quidam dividunt primam partem, in duas distinctas; quarum prima complectatur, a cap. I ad XXIII, et altera usque ad cap. XLII; sed haec divisio omni fundamento caret, cum plerumque in utraque parte de iisdem rebus agatur, nempe de eleemosyna, de amicitia, de educatione filiorum, etc.

Optima et exacta divisio hujus libri est res valde difficilis: nam quamvis omnia quae in ipso continentur aliquid unum efficiant, tamen non sunt inter se coordinata, sed potius habetur

(1) *Praef. in lib. Salom.*

collectio quaedam sententiarum, inter quas, quaedam digressiones intercalantur, ut mos erat apud orientales, cum ageretur de libris hujus generis.

415. Quis fuerit auctor hujus libri, ipse liber declarat, cap L, 29, his verbis: «Doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit in codice isto Jesus filius Sirach, Jerosolymita» quae verba ad Sacram Scripturam pertinent, et consequenter ut divinitus inspirata, fide divina credenda sunt, ut docet Cornelius a Lapide. Hanc veritatem confirmat, quod nepos auctoris dicit in prologo: «Avus meus Jesus postquam se amplius dedit ad diligentiam lectionis legis et prophetarum, et aliorum librorum, qui nobis a parentibus nostris traditi sunt; voluit et ipse scribere aliquid horum, quae ad doctrinam et sapientiam pertinent.» Statim veniam postulat ob quosdam defectus versionis, quos difficile est impedire, cum de linguis ita distinctis agitur ut sunt hebraea et graeca.

Quidam Patres putarunt hunc librum esse Salomonis: sed decepti sunt: nam si hic liber, auctorem habuisset Salomonem, absque dubio fuisset in Canone Esdrae; et tamen non est. Praeterea, elogia continet plurimorum qui post Salomonem vixerunt, ut Eliae, Elisaei, Ezechiae, Isaiae, Josiae, Jeremiae, Zorobabelis, etc. etc.

Deinde dici potest, Patres hunc librum dixisse Salomonis, ob quamdam affinitatem cum libris illius regis: nam plures sunt in nostro libro sententiae ex libris Salomonis desumptae tum quoad sensum, tum etiam quoad verba. Tamen ex hoc non infertur. Patres credidisse, Salomonem fuisse auctorem nostri libri: unde S. Augustinus: «Sapientia.... Ecclesiasticus... propter eloquii nonnullam similitudinem, ut Salomonis dicantur, obtinuit consuetudo: non autem esse ipsius, non dubitant doctiores.» (1)

Quoad conditionem auctoris, Grotius censet fuisse medicum, quia honorare medicum praecipit et ex alia parte videtur ostendere scientiam medicam non fuisse ipsi ignotam. Alii autumant, hunc auctorem fuisse sacerdotem, quia praecipit sacerdotem honorare, et insuper peritum se exhibet in his quae ad officia sacerdotalia pertinent.

Sed nulla ex his opinionibus est certa. Ex libri lectione tantum infertur, auctorem fuisse Jerosolymitanum, et valde eruditum, sive ope continui laboris intellectualis, sive experientia diversarum

(1) *De Civ. Dei.* Lib. XVII, Cap. 17.

peregrinationum quas suscepit, ut se liberaret ab his qui ipsum persequebantur.

Aetas auctoris libri videtur determinari a suo nepote, his verbis prologi: «Nam in octavo et trigesimo anno temporibus Ptolemaei Evergetis regis, postquam perveni in Aegyptum: et cum multum temporis ibi fuissem, inveni ibi libros relictos, non parvae, neque contemnuendae doctrinae. Itaque bonum et necessarium putavi et ipse aliquam addere diligentiam et laborem interpretandi librum istum etc.»

Sed duo sunt Ptolemaei Evergetes: nempe Ptolemaeus III, filius ac successor Ptolemaei Philadelphi, qui regnavit a 247 ad 222 ant. Christum: et Ptolemaeus VII, qui regnavit a 170 ad 117: unde valde difficile est determinare quis fuerit Ptolemaeus, qui regnabat aetate auctoris libri nostris.

Aliud indicium habemus in eodem libro: nam cap. I, agitur de Pontifice Simon Oniae filio, qui apparet ut coaevus auctori hujus libri. Sed duo sunt Pontifices ejusdem nominis, et uter que filius Oniae: scilicet, Simon I, vocatus Justus, qui vixit aetate Ptolemaei Philadelphi, qui regnavit plus minusve anno 290 ant J. C.; et Simon II, qui erat Summus Sacerdos aetate Ptolemaei Philopatoris, ann. 210, ant. J. C.

Cum ergo haec incerta sint, tres sunt opiniones quoad aetatem qua vixit auctor hujus libri: 1.ª est Cornelii a Lapide quem sequitur Vigouroux, juxta quos, auctor Ecclesiastici vixit aetate Ptolemaei III et Simonis I. En fundamenta hujus opinionis: 1.um quia in libro magnas laudes tribuuntur Pontifici Simoni I, nam Simon II non meruit laudari ut postea videbimus: 2.um Quia tempore Simonis II, filios Tobiae, adversus quos insurrexerant Machabaei, propagarunt doctrinas atque ideas paganas; non vero est credibile, auctorem Ecclesiastici non damnasse novas illas et erroneas doctrinas, et laudasse Simonem II, qui teste Josepho Flavio, favit filiis Tobiae. Praeterea auctor (L, 28) damnat Samaritanos; ergo adhuc acrius damnasset falsos fratres qui imitabantur mores graecorum. 3.um demum, Ptolemaeus Evergetes, seu *Benefactor*, non potest esse nisi ille qui prius hoc nomine appellatus est, ut monumenta aegyptiaca demonstrant: nam alter Ptolemaeus, Phiscon, seu *Ventrosus* (panzudo) vocabatur a suis subditis *Kaquergetes*, seu *Malefactor*.

Juxta 2.am opinionem, liber primitus exaratus fuit, aetate qua dicunt auctores primi opinionis, sed versus fuit in graecum

anno 130 ant. J. C.: sed ut vera esset haec opinio, admittendum foret, inter avum qui librum conscripsit anno 290 ant. Christ, et nepotem qui ipsum in graecum vertit anno 130 fluxisse 160 annos, quod nullo modo admitti potest.

Demum juxta defensores 3.ª opinionis, liber hic scriptus fuit aetate secundi Ptolemaei et secundi Simonis.

En fundamenta hujus opinionis: 1.um Ptolemaeus III Evergetes I. non regnavit nisi viginti et quinque annos; et tamen auctor versionis hujus libri, dicit in prologo, pervenisse in Aegyptum, in octavo et trigesimo anno Ptolemaei Evergetis.

Adversarii dicunt, hic auctorem versionis, nolluisse designare annos imperii Ptolemaei, sed annos aetatis suae. Sed juxta textum graecum, hoc omnino est impossibile. Praeterea illo numero annorum auctor designare vult tempus quo venit in Aegyptum, quod optime fit applicando annos illos imperio Ptolemaei, quia supponitur primos lectores libri cognovisse annum quo regnare coepit Ptolemaeus: secus necesse fuisset, quod illi lectores scivissent quo anno natus fuerit auctor versionis hujus libri.

Sed juxta adversarios, neque Evergetes II regnavit 38 annos, sed tantum 29: tamen juxta Eusebium, Evergetes II regnare coepit anno 170 cum Ptolemaeus Philometor ductus est in captivitatem ab Antiocho, et mortuus est anno 116: regnavit igitur 54 annos.

2.um Praeterea Eusebius et S. Hieronymus docent, Simoni, filio Oniae, quo Pontifice scripsit Jesus filius Sirach, successisse alter Simon filius Oniae, quo tempore Antiochus praecepit judaeis ut sacrificarent idolis. Nunc vero, indubium est tum Eusebium tum Hieronymum agere de Simone II; nam tempore Simonis I, nemo persecutus est judaeos: sed persecutio incoepit in Aegypto tempore Ptolemaei Philopatoris qui regnavit 70 an. post Simonem I, et voluit violenter ingredi templum Jerusalem. Simon vero II suis praecibus et orationibus liberavit populum a multis gravibusque malis, ut constat ex 3.° Machabaeorum, qui quamvis apocrhypus sit, tamen auctoritate mere historica non caret.

Adversarii dicunt, laudes in hoc libro non tribui Simoni II, nam secus etiam tribuerentur Simoni I, qui celebrior fuit et appellabatur Justus.

Sed auctor potuit omittere Simonem I, sicut omissit Da-

niel, Mardochaeum et Esdram, qui certe celebriores fuerunt quam Simon I.

416. Constat hunc librum primitus hebraice conscriptum fuisse, ex ipso prologo libri, ubi nepos auctoris dicit: «Hortor itaque venire vos cum benevolentia, et attentiori studio lectionem facere, et veniam habere in illis, in quibus videmur sequentes imaginem sapientiae deficere in verborum compositione. *Num deficiunt verba hebraica*, quando fuerint translata ad alteram linguam.» Hoc confirmatur ex traditione judaica et allegationibus quas continet Thalmud, quae quidem sunt in hebraeo.

S. Hieronymus testatur, se vidisse textum hebraicum hujus libri. (1) Demum characteres litterarii libri, satis ostendunt ejus textum primigenium fuisse hebraicum.

417. Liber hic est deutero-canonicus, et quidam judaei et protestantes negaverunt ipsius divinam inspirationem.

Igitur probabimus hanc divinam inspirationem: 1.° Quia judaei alexandrini habebant hunc librum in suo Canone; et judaei palaestinenses, ei tribuunt eamdem auctoritatem ac caeteris agiographis; et Thalmud et insigniores rabbini nostrum librum citant iisdem formulis, ac alios libros de cujus divina inspiratione nemo dubitat.

2.° Quia in N. T. saepe alluditur ad Ecclesiasticum: sic haec verba Jacobi, Cap. I v. 19: «Scitis fratres dilectissimi: sit autem homo omnis velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum «desumpta sunt ex *Eccli*, V, 13. Et sunt interpretes qui affirmant, fundamentum maximae partis epistolae Jacobi, esse Ecclesiasticum. Hujusmodi allusiones etiam in Evangeliis inveniuntur: ex. gr. compara Cap. II, 18, *Eccli*, ubi legitur: «Qui timent Dominum, non erunt incredibiles verbo illius, et qui diligunt illum, conservabunt viam illius» cum XIV, 23, Joannis: «Si quis diligit me sermonem meum servabit etc: et Eccli XI, 19, «In eo quod dicit: Inveni requiem mihi, et nunc manducabo de bonis meis solus» cum XII, 19, Luc.: «Et dicam animae meae: Anima, habes multa bona posita in annos plurimos: requiesce, comede, bibe, epulare.»

3.° Quia Patres tum Orientales, tum Occidentales agnoverunt divinam inspirationem hujus libri. S. Clemens. Rom. in ep. 1.ª ad Cor., et 2.ª ad Virgines, profert plurima verba Eccle-

(1) *Praefat. in lib. Salom.*

siastici. S. Clemens Alex. saepissime citat hunc librum. S. Cyprianus, scribit: «Loquitur in scripturis divinis Spiritus Sanctus et dicit» et statim profert testimonia desumpta ex Ecclesiastico. S. Athanasius ait: «Nemo his addat, neque ab his aliquid extrahat, extra hos sunt alii libri non in canonem quidem redacti, sed quos legi a patribus decretum est, his qui nunc accedunt, et volunt in pietatis verique cultus ratione initiari: Sapientia Salomonis, et Sapientia Sirach, et Esther, et Judith et Tobias etc.» (1): S. Ambrosius non agnovit versionem legitimam nisi Italam, quae continebat nostrum librum. S. Augustinus, de libris Sapientiae et Ecclesiastici sic absolute loquitur, «Eos tamen in auctoritatem maxime occidentalis antiquitus recepit Ecclesia» (2). S. Hieronymus scribit: «Sicut ergo, Judith, Tobiae et Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas scripturas non recipit, sic et haec duo volumina, (Sapient. et *Eccli*) legat ad aedificationem plebis, non ad auctoritatem Ecclesiasticorum dogmatum confirmandam» (3). Et tamen S. Hieronymus sibi ipsi non constans, utitur, testimoniis desumptis ex libro Ecclesiastici, eodem modo, iis demque formulis ac si desumpta essent ex libris protocanonicis.

418. Contra divinam inspirationem hujus libri, adversarii sequentes proponunt objectiones: 1.ª Cap. XXIV, dicitur, Sapientiam, id est, Verbum fuisse creatum, ut docuerunt ariani; nam v. 12, legimus: «Et qui creavit me requievit in tabernaculo meo.» et v. 14: «Ab initio et ante saecula creata sum».

Quidam evitare volunt difficultatem, dicentes hic non agi nisi de humana sapientia: sed quin necessarium sit ad hoc extremum confugere, dicimus verbum *creavit* idem significare ac possedit in textu primigenio hebraico: nam idem verbum hebraicum quod abhibetur in Proverb. VIII, 22, a S. Hieronymo vertitur pro *possedit:* praeterea illa verba, *ab initio et ante saecula*, satis ostendunt, hic non agi de creatione proprie dicta, sed de generatione aeterna Verbi. Sic hic locus interpretatur S. Augustinus.

2.ª Cap. XLVIII, 10, dicitur, ipsum Eliam venturum esse ad conciliandos homines cum Deo: et tamen verba Malachiae (IV, 5-6) ad quae alludit, de solo Joanne Baptista dicta sunt.

(1) *Cit a P. Fernandez. Introd. in S. Scrip.* de lib. Eccli.
(2) *De civit. Dei.* lib. XVII, 20.
(3) *Praef. in lib. Salom.*

Dicendum est, hanc prophetiam adimpletam fuisse in Joanne Baptista: sed etiam adimplendam esse in Elia, cum Salvator veniet judicare vivos et mortuos: itaque Joannes Baptista praecursor fuit Domini in primo adventu: Elias vero erit etiam praecursor Domini in secundo adventu.

3.ª Supponit auctor, filios fidelium nasci absque originali peccato, Cap. I, 16; «Initium sapientiae timor Domini, et cum fidelibus in vulva concreatus est.» Et etiam supponit Deum esse causam peccati, X, 16; «Error et tenebrae peccatoribus concreata sunt.»

Quoad primum versum, ex S. Patribus scimus, quosdam homines, ut Jeremiam, S. Joannem Baptistam, et S. Joseph, sanctificatos fuisse a Deo in ventre matris eorum, quin ex hoc inferatur eos non contraxisse originale peccatum; de Job, de S. Paulo Apost. etiam scimus ex ipsa Sacra Scriptura et ex SS. Patribus, eos ex ventre matris suae inclinatos fuisse a Deo in bonum, vel destinatos ad aliquam missionem providentialem et extraordinariam. Neque aliud quidpiam infertur ex textu allato.

Quoad secundum versum, in quo dicitur errorem et tenebras esse peccatori connaturales, significat, omne peccatum, et praesertim peccatum originale, sequi, quasi naturalem consequentiam, errorem et tenebras: ex quo nullo modo inferri potest, Deum esse auctorem peccati.

PARS EXEGETICA

419. His verbis (XVIII, 10.) «Qui vivit in aeternum creavit omnia simul» videtur productionem successivam rerum negari.—420. Exponantur haec loca (III, 16) «Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum.»—421. (X, 11,) «Omnis potentatus brevis vita.»—422. (XII, 1.) «Si benefeceris, scito cui feceris.—423. (XXI, 30.) «Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.»—424. Quibus in casibus haec sententia in mente habenda sit: «ubi non est auditus non effundas sermonem.» (XXXVI. 6.)

419. Videtur his verbis «Qui vivit in aeternum creavit omnia simul» adstrui, creationem simultaneam omnium rerum, quod palaeontologiae et geologiae opponitur.

In primis certum est, materiam primam seu potius primigeniam omnium rerum, nempe aether, a Deo creatam fuisse simul. Quidam Patres et interpretes, hanc simultaneitatem creationis agnoverunt etiam quoad res organizatas: hoc autem

nostris temporibus nullatenus admitti potest: neque verosimilis est sententia eorum qui asserunt, omnia viventia, saltem in seminibus, cum prima materia producta fuisse; nam aliquando terra fuit in statu ignito, et tunc nulla vita, neque seminalis erat possibilis in terra. Ideoque juxta modernos interpretes, verba *creavit omnia simul,* idem significant ac creavit vel produxit omnia *absque ulla exceptione;* ita ut verbum *simul* cadat non in *creavit,* sed in *omnia*, ut contingit in Psal. XIII, 3, et XLVIII, 3, 11.

420. Exponuntur haec loca: (III, 16): «Nam pro peccato matris restituetur tibi bonum.»

Variae sunt interpretationes hujus loci; sed mihi aptior et verior videtur haec interpretatio quam tradit Torres Amat: «Quia sustulisti defectus matris tuae in sua senectute, Deus retribuet tibi cum bonis.»

421. Quomodo hic locus exponatur, (X, 11): «Omnis potentatus brevis vita.»

Sensus est: Omnis potentatus violenti seu tyrannici brevis vita: nam ut experientia docet, hujusmodi imperia brevi finiuntur.

422. Exponatur hic locus, (XII, 1); «Si benefeceris scito cui feceris», quae sententia videtur opponi doctrinae Christi, juxta quam eleemosyna ita facienda est, ut nesciat manus dextera quod faciat sinistra.

Hic auctor non agit de eleemosyna, sed de distributione bonorum secundum justitiam; ubi magna opus est cautela, ut beneficia gratis et dignioribus conferantur.

423. Expositio hujus loci: (XXI, 30): «Dum maledicit impius diabolum, maledicit ipse animam suam.»

Dum impius maledicit diabolum, seipsum maledicit, eo quod et ipse sit diabolus, vel diabolo similis in malitia.

424. Quibus in casibus haec sententia in mente habenda sit: «Ubi non est auditus, non effundas sermonem» (XXXII, 6).

1.° Cum animi eorum, ad quos loqueris, ita parati sint, ut scias eos te audituros minime fore, non *effundas sermonem.* 2.° Cum scias correptionem futuram esse, non in aedificationem sed in destructionem, ob malam dispositionem subjecti, non effundas sermonem. 3.° Cum sermo tuus possit esse causa peccati formalis, in subjecto qui materialiter tantum peccat, generatim non effundas sermonem. 4.° Cum agitur de contro-

versia cum insipientibus, generatim non effundas sermonem; nisi forte necessarium sit loqui ne adversarii sibi sapientes esse videantur.

Caput XXXI

Prolegomena ad Prophetas.

425. Quid propheta, videns et vates.—426. Quotuplici sensu in Sacra Scriptura sumatur hoc nomen propheta.—427. Institutio prophetismi.—428. Officia et scholae prophetarum.—429. Distinctio inter ministerium propheticum et donum prophetiae.—430. Diversi modi quibus Deus communicabat prophetis notitiam rerum futurarum.—431. Characteres verae prophetiae. —432. De natura luminis prophetici.—433. Diversae species prophetiarum. —434. Characteres interni et externi prophetiarum Messianicarum.—435. Quomodo prophetae ostendebant suam missionem esse divinam.—436. Objectum vaticiniorum.—437. Scopus prophetiarum.—438. Aetas prophetarum.

425. Propheta, a πρό (prae, procul) et φαίνω (apparere, manifestare), ille est qui supernaturali Dei auxilio, videt ea quae procul sunt. Prophetae in Veteri Testamento appellabantur etiam *Videntes*, ex eo, ait S. Basilius, «quia futura tamquam praesentia videbant (1) vel quia, ut ait S. Augustinus, videbant quem caeteri non videbant, nempe Christum. (2) Apud gentiles appellabantur *Vates* a vi mentis.

426. Vox *propheta*, multiplici sensu accipitur in Sacra Scriptura: 1.° pro homine sapientia praedito; et hoc sensu Apostolus in Epistola ad Titum, prophetam appellat Epimenidem qui fuit homo sapiens Cretensis: 2.° pro eo qui cognoscit res occultas sive praesentes sive praeteritas, ut infertur ex v. 68, cap. XXVI Matth: «Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit»: 3.° pro eo qui loquitur quasi instrumentum Dei, nesciens integram significationem illius quod dicit; ut Caiphas, dicens (Joan. XVIII, 14) «Expedit unum hominem mori pro populo»: 4.° pro eo qui loquitur nomine Dei vel alterius; ut Exod. VII, 1: «Dixitque Dominus ad Moysem: Ecce constitui te Deum Pharaonis, et Aaron frater tuus erit propheta tuus:» 5.° pro his qui canebant laudes Dei, vel in Eum blasphemabant; ut I Reg XVIII, 10, «Post diem autem alteram invasit spiritus

(1) *Praef. in Is.*
(2) *De Gen. ad litteram*, lib. XII, cap. 19.

Dei malus Saul, et prophetabat in medio domus suae»: 6.° pro his qui prodigia patrabant; sicut de ossibus Elisaei dicitur, Eccli. XLVIII, 14; «Et Mortuum prophetavit corpus ejus; et demum 7.° pro his qui annuntiant res futuras, quae non nisi a Deo praevideri possunt: et haec est vera et stricta accceptio vocis *Prophetae.*

427. Institutio prophetismi non fuit permanens, sed Deus sicut suscitavit Judices, ita etiam suscitabat Prophetas ad instructionem et correptionem populi: hinc quod plures fuerint prophetae in Regno Israel quam in regno Juda, quia plures etiam fuerunt praevaricationes in primo regno quam in secundo.—Neque donum prohetiae erat haereditarium sicut sacerdotium et potestas regia, sed speciali Dei vocatione, prophetae eligebantur ex qualibet hominum classe: sic Elisaeus electus est dum campum araret: Isaias ex stirpe regia, Jeremias ex genere sacerdotali, Amos ex pastoribus Thecuae, et ita reliqui.

428. Officia prophetarum Apostolus designat his verbis, (I ad Cor. XIV, 3): «Qui prophetat, hominibus loquitur ad aedificationem, ad exhortationem, ad consolationem.» Praecipuum munus prophetarum erat religiosum: et ideo manibus pedibusque laborabant ad servandum cultum divinum et ad omnem superstitionem et idololatriam rejiciendam. Sed prophetae munere suo fungebantur etiam in rebus politicis; consiliis juvando reges eisque minando, et quandoque e throno deponendo, sicut Samuel qui deposuit Saul et elegit David.

Erant etiam scholae prophetarum, accipiendo *prophetam* 5.° sensu ex praedictis; unde ex existentia hujusmodi scholarum, minime infertur prophetismum fuisse artem aliquam naturalem. Scholae prophetarum comparari possunt collegiis vel seminariis, ubi instruuntur hi qui suscepturi sunt munus praedicationis: hi vocabantur *filii prophetarum:* ex hujusmodi scholis seu seminariis prodiit ille *cuneus prophetarum* qui Sauli occurrit (I Reg. X, 10), et turba illa *quinquaginta filiorum prophetarum* qui ad ripas Jordanis Eliam in caelum euntem conspexerunt. (4. Reg. II. 7.)

429. Distinguendum est inter donum et ministerium propheticum: donum propheticum est gratia quam Deus quibusdam hominibus aliquando concedit; et cum sit gratia gratis data, et in utilitatem non accipientis sed aliorum, ideo eam quandoque conceditur hominibus etiam malis, ut Balaam, Caiphae et aliis.

Sed ministerium propheticum ille habere dicendus est, qui ad hoc a Deo eligitur modo quodam permanenti, nempe ut adimpleat munera et officia prophetarum. Itaque Jacob, David, Salomon et alii habuerunt donum prophetiae, non vero ministerium propheticum.

430. Juxta Apostolum (ad Heb. I, 1) multifariam multisque modis Dominus locutus est per prophetas: sive ministerio angelorum, ut Daniel prophetizat adventum Messiae, ab archangelo Gabriele edoctus; sive in somniis, ut revelata est Joseph nativitas Christi ex sua sponsa Virgine: vel per visiones symbolicas, ut inveniuntur aput Jeremiam et Oseam, quae visiones absque dubio neque ab ipsis prophetis intelligebantur. Demum Deus se communicabat prophetis vel per exstaxem, vel per illuminationem interiorem.

Quidquid sit, non est facile determinare innumera media, quae Deus in infinita sua sapientia adhibere potest ad homini communicandam rerum futurarum notitiam. Sufficiat innuere, media de quibus hactenus egimus, et alia innumera quae omittimus esse possibilia, atque inspirationem propheticam esse vere supernaturalem, et non naturalem artem: hoc enim casa vaticinia forent vaga et incerta, sicut falsa oracula gentilium.

431. Ad veram prophetiam requiritur ex parte praedictionis, ut sit determinata et concreta, et non incerta, ambigua seu ita artificiose disposita, ut semper adimpleatur, sive in casu negativo vel positivo. Ex parte objecti requiritur ut sit futurum contingens et liberum, vel talis conditionis, ut in causis naturalibus certo praesciri non possit. Quod characterem veritatis imprimit alicui prophetiae, est adimpletio ejus quod praedicitur.

De objecto *proprio* prophetiae sic loquitur sapientissimus Card. Zigliara: «Porro prophetia a visione vel denuntiatione eorum quae sunt procul, dicta est; et ideo quanto magis aliqua longius ab humana cognitione existunt, tanto magis proprie pertinent ad prophetiam. Eorum auten quae procul sunt ab humana cognitione, triplex est gradus: β) Unus est eorum quae sunt procul a cognitione hujus hominis, sive secundum sensum, sive secundum intellectum, non autem a congnitione omnium hominum; sicut sensu cognoscit aliquis homo quae sunt sibi praesentia secundum locum, quae tamen alius humano sensu, utpote sibi absentia non cognoscit: et sic Elisaeus prophetice cognovit quae Giezi discipulus in ejus absentia fecerat ut habetur

IV Reg. V; et similiter cogitationes cordis unius, alteri prophetice manifestantur, ut dicitur I. Cor XIV. Et per hunc modum etiam ea quae unus scit demonstrative, alii possunt prophetice revelari. γ) Secundus autem gradus est eorum quae excedunt universsaliter cognitionem omnium hominum, non quia secundum se non sint cognoscibilia, sed propter defectum cognitionis humanae; sicut mysterium Trinitatis, quod revelatum est per Seraphim dicentia *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, etc., ut habetur Isa. VI. 3. δ) Ultimus autem, seu supremus gradus est eorum quae sunt procul ab omnium cognitione: nam in seipsis non sunt cognoscibilia, quia actu non sunt, neque in se, neque in suis causis, ut contingentia futura, quorum veritas non est determinata. Et quia, quod est universaliter et secundum se, potius est eo, quod est universaliter et per aliud: ideo ad prophetiam propriissime pertinet revelatio eventuum futurorum, unde et nomen prophetiae sumi videtur.» (1)

432. Quoad lumen propheticum, audiatur iterum Card. Zigliaria: «Sicut autem manifestatio corporalis visionis fit per lumen corporale, ita etiam manifestatio visionis intellectualis fit per lumen intellectuale. Oportet autem quod manifestatio proportionetur lumini per quod fit: est enim manifestatio effectus luminis: et omnis effectus proportionatur suae causae. Cum ergo, ut dictum est (n. praeced.) prophetia pertineat ad cognitionem, quae supra naturalem rationem existit, consequens est, quod ad prophetiam requiratur quoddam lumen intellectuale, excedens lumen naturale rationis. (S. Thom. II.-II. Qu CLXX et seqq., et III Contra Gent. Cap. CLIV.) *Lumen propheticum inest animae prophetae, non per modum formae, seu habitus, vel dispositionis permanentis, sed per modum cujusdam passionis, vel impressionis transeuntis.* Eo enim quod inest alicui creaturae rationali per modum formae seu dispositionis permanentis, potest creatura illa uti quoties voluerit (dicitur enim *habitus*, qualitas difficile mobilis, qua homo, cum voluerit, utitur. Cf. I.-II. Qu. XLIX); sicut ille qui habet habitum seu scientiam mathematicam, ratiocinari potest, quando et quoties voluerit, de rebus mathematicis; existit in eo scientia, cujus exercitium a libera ejus voluntate dependet (Cf. Cap. 17, n. VI,) At propheta non quotiescumque voluerit potest prophetare: non enim ab ejus voluntate pendet, videre futura vel procul

(1) *Propaedeut. ad Sac. Theol.* Lib. II. Cap. XI.

posita, sed a voluntate Dei, qui utitur mente prophetae ut instrumento, de cujus ratione est, ut agat actiones principalis agentis solum modo, quando a principali agente movetur, et non aliter (Cf. Cap 25, n. VIII.) Nolumus quidem per haec negare, quod Deus possit jugiter et sine intermissione mentem creatam illustrare et movere ad prophetandum; sed dicimus, hanc illuminationem vel motionem divinam non esse nisi per modum instrumentalem, et non per modum dispositionis dependentis a voluntate prophetae.» (1)

433. Prophetiae diversificantur, secundum diversa earum objecta. Quaedam prophetiae *absolutae* sunt, quae nempe ab ulla conditione pendent qualis fuit prophetia de adventu Christi; aliae sunt *conditionatae*, quando, scilicet, ab aliqua conditione pendent; talis fuit prophetia de destructione magnae civitatis Ninive. Prophetia dicitur *adimpletiva*, quando in illa ipsa persona vel re ad quam refertur, adimpletur; ut prophetia Christi de sua resurrectione: et dicitur *continuata*, quando illud quod de quibusdam praedicitur etiam in aliis impletur: talia sunt plura, quae de personis V. T. «praedicta, etiam in N. T. testamento impleta sunt: comp. Act. XXVIII, 26, cum Isa. VI, 9. Prophetia potest etiam esse *consolatoria*, *hortatoria*, *comminatoria*, etc., juxta naturam rei quae praedicitur.

434. Prophetiae Messianicae illae sunt, quae Messiam habent pro objecto. Characteres interni prophetiarum Messianicarum illi sunt, qui nulli purae creaturae tribui possunt: ex gr. quod Christus nasciturus esset ex matre Virgine, et surrecturus propria virtute, et mundum redempturus etc. Characteres vero externi sunt testimonia Ecclesiae et Patrum. Hic applicari possunt quae dicta sunt de Psalmis Messianicis, cum totidem sint prophetiae Messianicae. Confer ergo quae diximus de libro Psalmorum.

435. Quoad illos qui sive per experientiam, sive per historiam sciunt quaedam vaticinia adimpleta esse, plane demonstrata est divina missio prophetae qui haec praedixit. Cum autem hebraei, generatim morituri erant priusquam plures prophetiae adimplerentur, egebant signis vel mediis quibus agnoscere poterant, num prophetae suae aetatis veram divinam missionem haberent necne. Haec vero signa, vel erant *negativa*, ut praedicatio idololatriae, non adimpletio praedictionis, oppositio ad Legem

(1) Loc. sup. cit.

vel ad aliquem verum ac legitimum prophetam. Signa vero *positiva* erant, miracula a propheta patrata, adimpletio suarum praedictionum, et testimonium alterius prophetae, cujus divina missio certo cognoscebatur. Ex his deducere possumus qua ratione quove fundamento affirment rationalistae, hebraeos, ut superstitiosos et stultos, facillime credidisse missionem suorum prophetarum fuisse divinam: e contra, ex Sacra Scriptura scimus, populum Dei potius fuisse tardum ad audiendam vocem prophetarum.

436. Objectum vaticiniorum fuit valde diversum. Nam non raro, vaticinia erant de his quae locum habitura erant in ipso populo Dei; alia vaticinia habebant pro objecto, Messiam et Ecclesiam: alia demum ordinabantur ad demonstrandum ministerium propheticum.

Quandoque hujusmodi vaticinia edebantur viva voce coram regibus, sacerdotibus et populo, et deinde, quamvis non semper, scriptis consignabantur secundum formam poeticam, adhibitis typis, symbolis et figuris quae multum conferunt ad obscuritatem librorum propheticorum. Tamen quo magis Messiae proximiores sunt prophetiae eo etiam clariores sunt.

437. Stylus prophetiarum est magis vel minus elevatus ac sublimis, juxta majorem vel minorem dignitatem objecti; juxta plus vel minus excultam eruditionem prophetae, et demum secundum diversa tempora in quibus litteratura suas passa est transformationes. Propheta, inter omnes eloquentissimus, est Isaias; sed etiam stylus Joelis, Michaeas et Habacuc sublimis est. Stylus Jeremiae, quamvis non ita sublimis, tamen etiam vividus et pulcherrimus est, praesertim in suis Lamentationibus.

438. Probabiliter sub Amasia rege Judae (839 ant. J. C.) prophetavit *Jonas:*

Sub Ozia	(810)	*Amos*, *Oseas*, *Joel*, *Abdias*.
Sub Achaz	(850)	*Isaias* et *Michaeas*.
Sub Ezechia	(721)	*Nahum*.
Sub Josia	(629)	*Jeremias* et *Sophonias*.
Sub Joachim	(607)	*Habacuc* et *Daniel*.
Sub Sedecia	(595)	*Ezechiel*.
Sub Assuero	(529)	*Aggaeus* et *Zacharias*.
Circa annum	(442)	*Malachias*.

Caput XXXII

De Isaiae prophetia.

PARS CRITICA.

439. Quis fuerit Isaias.—440. Brevis notitia ipsius libri, et hujus divisio. —441. Jure et merito prophetia Isaiae «*Prologus Evangelii*» vocatur.—442. Probatur argumentis externis et internis authentia hujus libri, et praesertim 26 postremorum capitum, quae ipsius 2^{am} partem constituunt.—443. Solvuntur objectiones adversus authentiam istius 2^{ae} partis: 1.^{a} stylus hujusce partis cum suis chaldaismis et locutionibus specialibus, multum differt ab stylo 1.^{ae} partis: 2.^{a} Haec secunda pars scripta fuit, absque dubio, non in gratiam coaevorum Isaiae, sed potius captivorum: affert enim Judaeam desolatam, templum destructum, populum captivum et libertati proximum, nomen Cyri etc.—444. Quo motivo, rationalistae authentiam secundae partis libri Isaiae rejiciant.

439. Isaias celeberrimus inter omnes prophetas, fuit filius Amos fatris regis Amasias et socer regis Mannasses, juxta traditionem judaicam, teste S. Hieronymo. Cornely hoc negat, quia traditio judaica tantum fundatur in affinitate nominum Amos et Amasias.

Quidam Patres, qui linguam hebraicam nesciebant, crediderunt patrem Isaiae fuisse ipsum Amos prophetam, ex pastoribus Thecuae. Sed S. Hieronymus docet, nomina patris Isaiae et Amos prophetae, diversis litteris scribi. Ille enim scribitur per primam et ultimam nominis sui litteram *aleph* et *sade* et interpretatur *fortis* atque *robustus:* hic vero per *ai* et *Samech*, et interpretatur *populus avulsus:* mediae litterae *mem* et *vau* utrique communes sunt.

Cornely putat Isaiam fuisse ex nobili quadam familia jerosolymitana, et valde eruditus in liberalibus artibus. Contraxit matrimonium cum uxore sua, quam prophetissam vocat (VIII, 3, et ex qua duos filios genuit. Nonnulli docuerunt, Isaiam fuisse praeceptorem regis Ezechiae, ad id electus ab Achaz: sed hoc inverosimile est, cum Achaz fuerit idololatra, et hostis prophetae. Isaias prophetavit ad usque tempora impii Manasses, a quo, juxta traditionem judaicam, serra lignea sectus est. Ministerium ejus propheticum fuit 52 annorum, et juxta nonnullos 60 annorum.

440. Liber hic continet 66 capita, quae collectionem cons-

tituunt prophetiarum quae non uno eodemque tempore compositae sunt. Sed quamvis hic liber non sit collectio quaedam prophetiarum, quae stricte inter se connectantur, non tamen admittenda est opinio Lutheri, aliorumque qui asserunt, librum nostrum esse farraginem compositionum et scripturarum, quae nullam unitatem inter se habentes a diversis scriptoribus conscriptae sunt. Liber dividitur in duas partes: prima pars complectitur 39 priora capita, et alter reliqua. Prima pars, juxta S. Thomam continet minas divinae justitiae ad exterminium peccatorum; secunda autem consolationes misericordiae divinae ad resurrectionem justorum. Ut res dilucidius explanetur, in prima parte, Isaías loquitur tum suis, tum etiam populis extraneis secundum eorum relationes politicas cum judaeis, ut Syriis qui continuo minabantur judaeis captivitatem. Praesertim praedicit ruinam regni Israel, expeditionem Sennacherib contra Aegyptum, devastationem regni Judae, et miraculosam destructionem exercitus ipsius Sennacherib, captivitatem babylonicam, et exterminium philistaeorum, moabitarum, et idumaeorum etc. Secunda pars agit de fine captiverii, de libertate populi, de instauratione theocratiae a Messia, et de glorificatione Redemptoris.

441. Haec ultima pars adeo clare et aperte loquitur de Christo, ut quidquid ipsum claro et impartiali animo legat, videat non sine causa sed propriissime appellatam esse *Prologum Evangelii*, vel *Evangelium anticipatum*. A hanc libri partem, praecipue refertur elogium Ecclesiastici, (XLVIII) ubi legitur: «Isaias propheta magnus et fidelis in conspectu Dei.... Spiritu magno vidit ultima, et consolatus est lugentes in Sion. Usque in sempiternum ostendit futura, et abscondita antequam «evenirent.

442. Cum hic liber, praesertim in secunda parte contineat prophetias quae revera adimpletae sunt, ideo rationalistae hujus secundae partis authentiam negant, et etiam capitum XIII, XIV et XXII primae partis. Nos vero probabimus authentiam secundae partis, quae majorem offert difficultatem, argumentis tum externis tum internis.

Ut de argumentis externis utamur, 1.° omnes christiani anteriores Spinozae, omnesque Patres, Apostoli et ipsemet Christus Jesus, agnoverunt hanc secundam partem esse Isaiae: nam plura sunt testimonia quae in N. T. allegantur quasi de-

sumpta ex libro Isaiae: ex. gr. Matth. III. 3: «Hic est enim qui dictus est per Isaiam prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto: parate viam Domini; rectas facite semitas ejus» quae ad litteram sunt Cap. XL, 3, Isaiae: haec verba citantur etiam a SS. Joan., Luc. et Marc.

Ergo adversarii ostendere debent tum Patres Ecclesiae, tum Apostolos, ipsumque Dominum nostrum J. Christum deceptos fuisse.

2.° Quia talis fuit traditio judaeorum ante Christum, ut ostendit versio Alexandrina quae integram propetiam Isaiae tribuit, et elogium libri Ecclesiastici, qui secundam partem libri Isaiae tantum respicit; hoc fatetur inter adversarios Gessenius.

3.° Jam Zacharias propheta fatetur, secundam partem Isaiae scriptam fuisse ante captivitatem; nam cap. VII meminit jejunii quae durante captivitate observabant quinto et septimo mense, et v. 7 dicit: «Numquid non sunt verba quae locutus est Dominus in manu prophetarum priorum, cum adhuc Jerusalem habitaretur, et esset opulenta, ipsa et urbes in circuitu ejus, et ad Austrum et in campestribus habitaretur? quae verba non nisi ad Cap. LVIII, 5 referri possunt. Ergo si secunda pars Isaiae scripta fuit post devastationem templi et civitatis, collector fragmentorum decepit omnes judaeos, non exceptis suis doctoribus, prophetis et collectoribus Canonis Esdrae, quod verosimile non est.

4.° Juxta Josephum Flavium, durante captivitate, erat traditionale apud judaeos, Cyrum nominatim a Deo electum fuisse, ut libertatem concederet judaeis; cum qua traditione omnino convenit decretum liberationis editum a Cyro, in quo confitetur praeceptum accepisse a Domino ut aedificaret domum suam in Jerusalem (I. Esd. II); quod optime explicatur si consideretur captivos exhibuisse Cyro haec verba Isaiae XLIV, 28: «Qui dico Cyro: pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis. Qui dico Jerusalem: aedificaveris: et templo, fundaveris,» et Cap. XLV, 1: «Haec dicit Dominus Christo meo Cyro cujus aprehendi dexteram ut subjiciam ante faciem ejus gentes et dorsa regum vertam.»

5.° Prophetae Nahum, Sophonias et Jeremias, qui ante captivitatem vixerunt, frequenter citant secundam partem Isaiae, ut infertur ex variis locis horum prophetarum comparatis cum aliis Isaiae: ex. gr. Nahum ait (I, 15) «Ecce super montes

pedes evangelizantis et annuntiantis bona» et Isaias (LII, 7): «Quam pulchri super montes pedes annuntiantis et praedicantis pacem.» Et Sophonias (II, 15). «Haec est civitas gloriosa habitans in confidentia quae dicebat in corde suo: Ego sum et extra me non est alia amplius: quomodo facta est in desertum cubile bestiae? omnis qui transit per eam, sibilabit et movebit manum suam.» Compara cum Isaia, (XLVII, 8-9): «Et nunc audi haec delicata, et habitans confidenter, quae dicis in corde tuo: Ego sum et non est praeter me amplius; non sedebo vidua et ignorabo sterilitatem. Venient tibi duo haec subito in die una, sterilitas et viduitas.»

Capita L et LI in quibus Jeremias describit exterminium Babyloniorum et Medorum, optime conveniunt Capitibus XLVI et XLVIII, Isaiae quae simillimam descriptionem continent.

Haec eadem veritas evincitur argumentis internis: 1.° Quia inscriptio libri *Visio Isaiae*, habetur etiam v. 1 Cap. XIII, quod juxta rationalistas non est Isaiae. Unde apparet non esse motivum quo Isaiae denegentur aliquae partes hujus libri.

2.° Elegantia et sublimitas styli eadem est in utraque parte libri, et ideo exigit unum eumdemque auctorem eloquentissimum.

Praeterea si auctor hujus libri, vel ejus secundae partis non est Isaias, non facile explicatur, quod linguam hebraicam purissimam adhiberet immunem ab omni commixtione cum chaldaica praesertim.

3.° Si comparetur secunda pars Isaiae cum libris propheticis paulo ante vel in ipsa captivitate conscriptis, magna apparet differentia, in elegantia dictionis, puritate linguae, et defectu relationis vel descriptionis eorum quae ilustrare poterant adspectum regionis babylonicae, ejus mores, monumenta etc. sicut fecerunt Ezechiel et Daniel. Praeterea lingua est purior quam Jeremiae, templum offert ut existens, populum in idololatriam lapsum, et humanas victimas sacrificantem Moloch; quae omnia optime conveniunt temporibus Manasses vel ultimis annis Ezechiae, non vero aetati captivitatis.

4.° In toto libro quaedam locutiones inveniuntur, ut *vocabitur* pro *erit, Sanctus Israel* pro *Jehovah* quae fere nunquam in caeteris libris V. T. leguntur.

5.° Auctor secundae partis, talibus characteribus verae prophetae, se exhibet ut vere impostor esset, si scripsisset duran-

te captivitate. Nam praedicit liberationem populi a Cyro, et ex hoc desumit argumentum ad ostendendam praescientiam Dei: ad hoc autem nullum esset motivum, si nomen Cyri appellativum esset, ut dicunt rationalistae, vel additum post captivitatem.

Praeterea Isaias cap. XLVIII, 3-8, dicit populo ipsum praedixisse captivitatem antequam evenerat, quod dicere non potuit, si non scripsit usque ad captivitatem.

6.° Demus rationalistis, secundam partem hujus libri non fuisse conscriptam ab Isaia: tamen certissimum est, auctorem hujus secundae partis praenuntiasse adventum Messiae, ita ut ejus opus, jure meritoque appelletur *Evangelium anticipatum;* ergo vel admittenda est a rationalistis vera prophetia, quamvis non sit Isaiae, vel ab ipsis demonstrandum hunc librum conscriptum fuisse post Christum, quod numquam probabunt.

7.° Demum adversarii inter se divisi sunt in determinando auctore et epocha compositionis secundae partis Isaiae: eorumque argumenta nullius roboris sunt ut statim videvimus.

443. Objectiones adversus authentiam 2.ae partis libri Isaiae: 1.ª Stylus hujusce partis cum suis chaldaismis et locutionibus specialibus, multum differt ab stylo primae partis.

Isaias frequentabat palatium regis Ezechiae, ubi optime sciebantur linguae populorum vicinorum, ergo nullum est inconveniens in hoc quod Isaias aliquando adhibuisset locutiones, ex his linguis desumptas. Praeterea ministerium propheticum Isaiae, plus quam 50 annos duravit, et primam partem suae prophetiae scripsit in juventute, secundam vero in senectute, et hic ratio differentiae styli utriusque. Praeterea, ut dicit Corneły, quod prima pars prophetiae continet Isaias dixit viva voce, et postea scriptis consignavit: sed secundam partem scripsit Isaias cum jam esset senex: unde Isaias in prima parte se exhibet, quasi oratorem qui loquitur populo, et in secunda quasi scriptorem, qui suas compositiones litterarias facit cum ordine et methodo, ita ut sint sub adspectu litterario, perfectiores et elegantiores.

Etiam explicat diversitatem styli inter utramque partem, diversitas argumenti: nam scopus primae partis est, rectas facere semitas populi electi, ope minarum: scopus autem secundae partis est, populum consolari, spe futurorum bonorum.

Demum, ut aperiatur bona fides rationalistarum, sufficiat

indicare, in Cap. I quod ab ipsis tribuitur Isaiae, inveniri locutiones, quae chaldaicae videntur, quaeque inveniuntur in secunda parte, quam abjudicant Isaiae, ob his locutionibus.

Objectio 2.ª Haec secunda pars scripta fuit, absque dubio, non in gratiam coaevorum Isaiae, sed potius captivorum: affert enim Judaeam desolatam, templum destructum, populum captivum et libertati proximum, nomen Cyri etc.

Hoc argumentum supponit prophetiam esse impossibilem: nos vero hac possibilitate supposita, dicimus posse Deum praedicere res futuras, etiam remotissimas, claritate qua vult. Et sic prophetae saepissime annuntiant res futuras remotissimas, quasi praesentes, ut ex. gr. *Ecce virgo concipiet:* unde Isaias, quamvis fuisset anterior captivitati, potuit tamen res captivorum describere, quasi eas vidisset.

444. Unica ratio, si ita loqui fas est, vel motivum quo rationalistae negant authentiam secundae partis libri Isaiae, est, quod veras prophetias continet: rationalistae vero omnem prophetiam rejiciunt, eo quod pertineat ad ordinem supernaturalem: sed ab ipsis demonstrari debet hunc ordinem supernaturalem non existere, nec esse possibilem.

PARS EXEGETICA

445. ¿Nonne Deo est injuriosum quod dederit Isaiae hoc mandatum: «Vade et solve saccum de lumbis tuis et calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus et discalceatus? (XX, 2.)—446. Exponantur haec loca (XVIII), «Mittit in mare legatos et in vasis papyri super aquas.»—(XLV, 1) «Ecce enim creo coelos novos et terram novam.

445. Nonne Deo est injuriosum, quod dederit Isaiae hoc mandatum: «Vade et solve saccum de lumbis tuis et calceamenta tolle de pedibus tuis. Et fecit sic vadens nudus et discalceatus.»? (XX, 2).

Juxta interpretes, Isaias non se spoliavit vestibus interioribus, et quamvis hoc fecisset, Deus multis modis potuit vitare scandalum; quod si talem actionem permisit fuit ad praefigurandam et praenuntiandam devastationem Aegypti et Aethiopiae ab Assyriis, ut ipsemet Isaias dicit in versiculis sequentibus.

446. Exponantur haec loca: (XVIII, 2): Mittit in mare legatos et in vasis papyri super aquas.»

Illa verba *in vasis papyri*, significant, naves confectas ex papyris, seu arundinibus Nili. Plinius, et Herodotus affirmant, ex arundinibus Nili, fieri naves, earumdem lintea, et papyrum ad scribendum.

Hic alius locus exponitur: «Ecce ego enim creo coelos novos et terram novam.» (LXV, 17.)

Hic non agitur de nova creatione terrae et coeli, sed de creatione seu formatione mundi spiritualis, seu Ecclesiae in aeternum duraturae. Sic hunc locum exponunt S. Hieronymus et Theodoretus.

Caput XXXIII

De prophetia Jeremiae.

PARS CRITICA.

447. Biographia Jeremiae.—448. Quae memoratu digna de Jeremia inveniantur in 2.° Machabaeorum.—449. Materia hujus libri et ejus divisio.—450. Lingua et stylus.—451. Ostenditur divina hujus libri inspiratio.—452. Solvuntur objectiones: 1.ª Jeremias non potuit scribere cap. LII, quia vers. 31 agitur de liberatione Joachim per Evilmerodach, quo tempore verisimile non est Jeremiam adhuc inter vivos commorasse: 2.ª Capita hujus prophetiae non inveniuntur eodem ordine in textu hebraico et graeco, et in hoc postremo desunt quaedam capita et aliqua supersunt fragmenta: 3.ª Ea quae dicuntur de Medis, Persis, Chaldaeis etc. scripta sunt procul dubio, post eventum.—453. Quid contineat liber Lamentationum Jeremiae. Authentia hujus libri. Alia opera Jeremiae.

447. Jeremias natus est Anathoth, populo sacerdotali, prope Jerusalem: pater ejus fuit Helcias, qui confundi non debet cum illo Summo Sacerdote qui Legem Domini invenit inter ruinas templi: nam hic pontifex fuit de familia Eleazar: sacerdotes autem Anathoth erant de familia Ithamar. Prophetavit aetate Josiae, Joachaz qui non regnavit nisi tres menses, Joachim, secundi fili Josiae, et Jechoniae qui tres menses regnavit, et Sedeciae qui ductus est in captivitatem. Cum jugiter coram populo annuntiaret proximam captivitatem, ejectus est a suis concivibus in puteum Melchiae, ex quo ex mandato regis liberatus est ab eunnuco aethiope Abdemelech. Denique praedictiones Jeremiae exitum habuerunt, et Jerusalem capta est, et rex, principes et optimates in captivitatem deducti: tamen victor, electionem concessit Jere-

miae ut in Babyloniam iret, ubi magno cum honore eum recepturus fuerat, vel maneret in Jerusalem, ubi non aliud erat nisi desolatio et miseria. Jeremias hanc ultimam partem elegit, et super ruinas et muros templi et Jerusalem, suas mirabiles Lamentationes scripsit. Erat praefectus Jerusalem amicus quidam Jeremiae, qui vocabatur Godolias; sed hic occisus est in quadam commotione populi, cujus praecipuus promotor fuit Ismael. Tunc Jeremias transiit cum Baruch in Aegyptum. Cum tamen jugiter reprehenderet populum ob idololatriam, a suis concivibus lapidatus est in civitate Tafnis. S. Augustinus et alii Patres credunt Jeremiam sanctificatum fuisse in ventre matris suae, eo quod Jeremias dicat Cap. I, v. 5: «Priusquam te formarem in utero novi te, et antequam exires de vulva sanctificavi te.»

448. In libro II Machabaeorum duo facta extraordinaria tribuuntur Jeremiae: en primum juxta Cap. II, v. I et seq.: «Invenitur autem in descriptionibus Jeremiae prophetae, quod jussit eos ignem accipere qui transmigrabant; ut significatum est, et ut mandavit transmigratis... Erat autem in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum, et arcam jussit propheta divino responso ad se facto comitari secum, usquequo exiit in montem, in quo Moyses accendit, et vidit Dei hereditatem. Et veniens ibi Jeremias invenit locum speluncae: et tabernaculum et arcam, et altare incensi intulit illuc, et ostium obstruxit. Et acceserunt quidam simul, qui sequebantur, ut notarem sibi locum: et non potuerunt invenire. Ut autem cognovit Jeremias, culpans illos, dixit: Quod ignotus erit locus, donec congreget Deus congregationem populi, et propitius fiat.» Alterum factum sic describitur II Mach. XV, 12 et seq.: «Erat autem hujuscemodi visus: Oniam, qui fuerat, summus sacerdos, virum bonum et benignum verecundum visu modestum moribus, et eloquio decorum, et qui a puero in virtutibus exercitatus sit, manus protendentem, orare pro omni populo Judaeorum. Post hoc apparuisse et alium virum, aetate et gloria mirabilem, et magni decoris habitudine circa illum: Respondentem vero Oniam dixisse: Hic est fratrum amator, et populi Israel: hic est, qui multum orat pro populo, et universa sancta civitate, Jeremias propheta Dei. Extendisse autem Jeremiam dextram, et dedisse Judae gladium aureum, dicentem: Accipe sanctum gladium munus a Deo, in quo dejicies adversarios populi mei Israel.»

449. Habet hic liber 52 capita, quae dividi possunt in prologum et quatuor partes. Cap. I, quod est prologus, narratur vocatio

Jeremiae ad ministerium propheticum: 1.ª pars a capite II ad XVII annuntiat reprobationem Israel propter sua crimina: 2.ª pars quae complectitur cap. XVIII et XIX hanc reprobationem confirmat: 3.ª XX-XXV refert executionem sententiae: et demum 4.ª pars quae reliqua complectitur capita, plures prophetias continet adversus populos gentiles.

450. Hic liber scriptus est lingua hebraica chaldaismis admixta. Quoad stylum ait S. Hieronymus: Qui quamtum in verbis simplex videtur et facilis, tantum in majestate sensuum profundissimus est.» (1) Et alibi idem S. Doctor scribit: «Jeremias propheta sermone quidem apud hebraeos Isaia et Osea et quibusdam aliis prophetis videtur esse rusticior sed sensibus par est» (2) Plura libri versu prolata sunt. Stylus non est constans in toto libro: sed postremis capitibus fortior est atque efficacior, et imagines propriores sunt poeseos. Librum scripsit Baruch dictante Jeremia.

451. Spinoza et alii negarunt, saltem integrum librum esse Jeremiae, ejusque divinam inspirationem rejecerunt. Haec vero probatur: 1.° ex Novo Testamento: nam verba quibus Christus usus est quando ejecit vendentes et ementes e Templo, eadem sunt quae leguntur apud Jeremiam VII, 11. S. Mathaeus II, 18 narrans occisionem innocentum puerorum, scribit in hac occisione impletum fuisse quod dictum fuerat a Jeremia propheta, XXXI, 15. S Paulus saepe alludit ad Jeremiam in illis locis in quibus Dominus promittit populo, esse suum Dominum ac protectorem. Auctor Ecclesiastici supponit integram prophetiam fuisse Jeremiae, quia dicit reges occasionem fuisse ut civitatem et templum destruerentur, juxta praedictionem Jeremiae, cui non crediderunt, sed potius, persecuti sunt. Esdras, Cap. I, v. 1, asserit Dominum suscitasse Cyrum ut adimpleretur quod dictum est a Jeremia propheta; et Daniel (IX, 2) affirmat, septuaginta annos captivitatis jam praenuntiatos fuisse a Jeremia propheta. (XXV, 11.) Etiam auctor Paralip. ait: «et compleretur sermo Domini ex ore Jeremiae, (II. Paral. XXXVI, 21) et Daniel, qui tempore captivitatis prophetavit: «Ego, Daniel, intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam.» (IX, 2.)

Demum traditio judaica et christianica testantur hunc librum esse vere propheticum, ipsiusque auctorem fuisse Jeremiam.

(1) *Praef. in lib. 6 com. in Jer.*

(2) *Prol. in Jer.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGIONAL

Etiam omnes Patres, omnesque versiones, hunc librum Jeremiae tribuunt.

452. Solvuntur objectiones: 1.ª Jeremias non potuit scribere cap. LII, quia v. 31 agitur de liberatione Joachim per Evilmerodach, quo tempore verisimile non est Jeremiam adhuc inter vivos commorasse.

Ad hoc dicimus, cum Cornely, Jeremiam vixisse octoginta et sex annos, quae aetas sufficit ad id quod probandum assumpsimus. Sed Juxta Vigouroux Jeremias prophetare incepit anno 18 vel 20 aetatis suae, 628 ante J. C.: sed captivitas de qua agitur postremo capite Jeremiae occurrit anno 588 ante J. C. propter quod Jeremias vixit saltem 110 annos.

Ad hanc difficultatem solvendam, quidam catholici dicunt, hoc postremum caput additum fuisse a Baruch vel ab Esdra, sed a Deo inspirati. Huic opinioni aliquo modo favere videntur haec verba cap. LI, v. 64. «Hucusque verba Jeremiae.» Sed ex hoc tantum infertur prophetias Jeremiae non fuisse ordine chronologico redactas.

Objectio 2.ª: Capita hujus prophetiae non inveniuntur eodem ordine in textu hebraico et graeco, et in hoc ultimo desunt quaedam capita et aliqua supersunt fragmenta.

Quidam rationalistae, hanc difficultatem solvunt dicentes, has additiones introductas fuisse a psaeudo-Isaia, auctore secundae partis Isaiae. Sed omnibus jam constat talem psaeudo-Isaiam non extitisse, cum jam ostensum sit, prophetiam integram Isaiae ab ipso Isaia conscriptam fuisse. Alii putant, Jeremiam fecisse duas editiones hujus libri, alteram pro Judaeis palaestinensibus, alteram pro aegyptiis, neque desunt qui affirment, aliquem scriptorem distinctum a Jeremia, quamdam fecisse versionem Jeremiae ex qua prodiit versio graeca. Sunt etiam nonnulli qui credunt, neque actualem graecum neque latinum convenire cum originali textu. Sed Origenes et S. Hieronymus, quin ad haec extrema confugiant, explicant hujusmodi differentias, tribuendo eas negligentiae et aequivocationibus librariorum, et fortasse alterationi membranarum quibus prophetiae Isaiae continebantur.

En tabula quae differentias continet inter textum hebraicum et graecum: Desunt in textu graeco et versionibus ex eo desumptis: Cap. VIII, 10-12; XVII, 1-4; XXVII, 13-4 et 19-22; XXXIII, 14-16; XXXIX, 3-14; XLVIII, 44-7; XLIX, 6. Ad-

duntur quaedam in II, 28, 30-1; III 7, 17, 8; IV, 2, 26, 29; V, 1, 17-8; VII, 4-10; XXVI, 15.

Quae vero non inveniuntur eodem ordinae haec sunt:

TEXTUS HEBRAICUS	TEXTUS GRAECUS
XXI, 15-38.	XXXII.
XXVI-XLV.	XXXIII-LI.
XLVI.	XXVI.
XLVII..	XXIX, 1-7.
XLVIII.	XXXI.
XLIX, 1-5, 23-7, 28-38. . .	XXX.
» 7-22.	XXIX, 7-22.
» 34-9.	XXV, 34-9.
L-1..	XXVII-XXVIII.

Objectio 3.ª: Ea qua dicuntur de Medis Persis, Chaldaeis etc, procul dubio, scripta sunt, post eventum.

Et etiam haec quae a rationalistis dicuntur, scripta sunt eo quod veritatem et realitatem vaticiniorum et prophetiarum admitere nollint: sed cum melior sit conditio possidentis, ipsis adest obligatio probandi vaticinia esse impossibilia.

453. Praeter hunc librum propheticum, alium etiam scripsit Jeremias, nempe Threnum seu Lamentationum. Antiquitus mos erat elegias componendi praesertim occasione mortis alicujus, ut scimus, Jeremiam fecisse post mortem Josiae (II Paralip· XXXV, 25): et dein pervadit hic usus etiam quoad calamitates publicas. Liber Lamentationum continet quinque capita, quae varias elegias complectuntur quas Jeremias scripsit sedens super muros Jerusalem, circa destructionem et ruinam hujus civitatis. S. Hieronymus aliquando credidit, hujusmodi elegias a Jeremia compositas fuisse occasione mortis Josiae; sed haec opinio a Patribus unanimiter rejecta fuit, et S. Hieronymus eam retractavit. Lamentationes sunt, cantica elegiaca, ex quibus 1.um, 2.um et 4.um alphabetica sunt quorum unumquodque continet 22 versiculos juxta numerum litterarum alphabeti hebraici: tertium caput continet 66 versiculos, quia quaelibet littera ter repetitur: demum cap. V, hanc inscriptionem praeserfert «*Oratio Jeremiae prophetae.*» ubi misericordiam postulat a Deo pro peccatis populi sui. Nemo cum fundamento negavit authentiam harum Lamentationum; Josephus Flavius, cum S. Hiero-

nymo putavit hunc librum scriptum fuisse occasione mortis regis Josiae: tamen ipsius compositionem tribuunt Jeremiae. Descriptiones ruinae templi, devastationis civitatis, et aliae circumstantiae auctorem postulant coaevum. Demum character linguae, styli, imagines, figuras etc. quas auctor adhibet, Jeremiae optime conveniunt.

Stylus libri Lamentationum est gravis ac majestate plenus, et optimus ad movendum corda ad poenitentiam. Frequenter legebatur a Judaeis durante captivitate et post illam, et postea die 9 Julii in synagoga, quo die jejunabatur. Ecclesia Catholica, ad commemoranda mysteria passionis ac mortis Domini N. J. C. adhibuit etiam usum Lamentationum tribus postremis diebus Hebdomadae Majoris.

Jeremias scripsit etiam alias Lamentationes, occasione mortis Josiae, de quibus mentio fit II Paralip. XXXV, 25, quae tamen deperditae sunt.

PARS EXEGETICA

454. Quomodo Propheta exclamare potuit, (XXI, 14): «Maledicta dies in qua natus sum,» cum ipsemet scribat (I, 5), «Antequam exires de vulva sanctificavi te?»—455. Quomodo explicetur hic locus (XXVII, 7): «Servient Nabuchodonosori omnes gentes, et filio ejus, et filio filii ejus», cum filio Nabuchodonosoris, nempe Balthasari, non successerit filius ejus, sed Darius Medus? (Dan. V, 31.)—456. Exponitur hic locus, (IV, 23): «Vere mendaces erant colles et multitudo montium.»—457. Expositio hujus loci (XVII, 5): «Haec dicit Dominus: Maledictus homo qui confidit in homine»; ¿ad quid ergo invocatio sanctorum?—458. Quibus personis tum physicis, tum moralibus applicari queant Lamentationes Jeremiae.

454. Quomodo propheta exclamare potuit, (XXI, 14) «Maledicta dies in qua natus sum» cum ipsemet scribat (I, 3) «Antequam exires de vulva sanctificavi te?»

Juxta aliquos interpretes, in secundo loco *sanctificare*, idem significat ac destinare, praedestinare ad aliquid, sive gratiam sanctificatem habeat sive non. Sic apud Isaiam (XIII, 3) Medi et Persae vocantur *sanctificati* quia destinati fuerant a Deo ad destructionem Babyloniae. Unde sensus est, Jeremiam ex ventre matris suae, praedestinatum fuisse ad ministerium propheticum.

Tamen communior opinio docet, Jeremiam vere sanctificatum fuisse antequam nasceretur, non obstante illa exclamatione

«Maledicta dies in qua natus sum» quae est hyperbole ab Orientalibus communiter adhibita in magnis calamitatibus.

455. Quomodo explicatur hic locus, (XXVII, 7): «Servient Nabuchodonosori omnes gentes, et filio ejus, et filio filii ejus», cum filio Nabuchodonosoris, nempe Balthasari, non successerit filius ejus, sed Darius Medus?

Juxta S. Hieronymum, Nabuchodonosori successit filius ejus Evilmerodach, huic vero suus filius Balthasar, et ita optime impletur prophetia.

456. Exponitur hic locus, (IV, 23): «Vere mendaces erant colles et multitudo montium.»

Sensus est, vere mendaces erant dii seu idola quae adorabamus in collibus et montibus.

457. Expositio hujus loci, (XVII, 5): «Haec dicit Dominus: Maledictus homo qui confidit in homine.» ¿Ad quid ergo invocatio Sanctorum?

Haec verba dicuntur de rege Saedecia, qui adversus hostes suos, implorabat auxilium aegyptiorum, non vero Dei: unde in textu integro dicitur: «Maledictus homo, qui confidit in homine, et ponit carnem brachium suum, et a Domino recedit cor ejus.

Invocatio vero sanctorum, nullo modo damnatur hoc loco: nam vere confidit in Deo, qui auxilia divina postulat, adhibendo media ab ipso Deo statuta. Secus maledictus esset Samuel, qui orabat pro populo, et maledictus Apostolus, qui in suis Epistolis, se commendabat orationibus fidelium.

458. Lamentationes Jeremiae optime applicari possunt hominibus peccatoribus, ut ex eorum lectione atque intelligentia ad Dominum suum revertantur: nam anima peccatoris mirabiliter depingitur cum suis necessitatibus et miseriis, sicut et magna Dei Misericordia. Praeterea ruina et destructio Jerusalem, destructionem atque ruinam populorum praevaricatorum significat. ¡Quot populi Christiani qui Dei obliviscuntur, miserabiliter ut Jerusalem peribunt! ¡Quot sunt civitates christianismi quibus hodie illa tristis atque amara animadversio Jeremiae facienda est! ¡Jerusalem, convertere ad Dominum Deum tuum! Ideo Ecclesia Catholica in memoriam trahit hujusmodi Lamentationes diebus majoris hebdomadae, ut corda hominum christianorum, consideratione passionis amantissimi Salvatoris, ad poenitentiam convertantur.

Caput XXXIV

De libro Baruch.

PARS CRITICA

459. Quis fuerit Baruch.—460. Summa et divisio hujus libri.—461. Opiniones quoad linguam qua liber Baruch exaratus est.—462. Canonicitas hujus libri.—463. Objectiones: 1.ª Baruch (juxta cap. LI, 59 Jeremiae) pergit in Babyloniam anno 4.° Sedeciae, et reversus est in Aegyptum: ergo non potuit denuo esse Babylone anno 5.° Sedeciae.—464. 2.ª Auctor hujus libri sibi ipsi contradicit: nam supponit civitatem Jerusalem et templum jam destructum, et tamen affirmat e manibus captivorum accepisse vasa pretiosa et alia objecta ut ea offerret Domino in Jerusalem.—465. 3.ª Dicit Baruch (I, 3) ipsum legisse librum suum coram Jechonia et populo, quod impossibile videtur cum Jechonias esset in carcere.—466. 4.ª Dantur analogiae inter hunc librum, Danielem et versionem graecam Jeremiae, quae auctorem posteriorem Baruch postulant.

459. Baruch (*Benedictus*) fuit filius Neriae ex nobili genere ortus: nam LXX vocant fratrem suum Saraiam, *Principem donorum*, quia illi tradebantur dona quae regi offerebantur: ex quo infertur familiaritas Saraiae cum rege Sedecia: fuit scriba Jeremiae, ejusque comes fidelissimus, non obstante vita Jeremiae qui jugiter persequebatur a suis concivibus. Accusatus est de relationibus cum Chaldaeis; et etiam dicebant judaei ipsum Baruch inclinasse animum Jeremiae in favorem Chaldaeorum. Quarto anno Joachim legit prophetias Jeremiae, primo coram populo, deinde coram principibus populi, et postremo coram rege, qui jussit eas comburi. Denuo eas Baruch scripsit dictante Jeremia, additis quibusdam quae antea scriptae non fuerant; et seipsum occultavit ne a rege occideretur. Justa Josephum, in carcerem missus est una cum Jeremia, ubi mansit usque ad expugnationem Jerusalem a Chaldaeis, quo tempore libertatem obtinuit. Post occisionem Godoliae, coactus est ire in Aegyptum una cum Jeremia. Post quinque annos, missus est a Jeremia in Babyloniam ut consolaretur captivos, quibus, sicut etiam et regi legit librum suum. Captivi miserunt eum in Jerusalem, cum vasis aliisque donis, ut ea Domino offerret pro salute regis Nabuchodonosor et ejus filii Balthasar. Nihil aliud scimus de vita Baruch. Quidam putant ipsum obiisse Babylone anno decimo secundo captivitatis.

460. Prophetia Baruch habet sex capita; sed ultimum caput est quaedam epistola Jeremiae; propter quod, prophetia Baruch, non nisi quinque capita complectitur, quae dividuntur in duas partes: in prima, post brevem notitiam auctoris, loci et temporis quo scriptus est liber, personarum quibus lectus est, et effectus hujus lectionis, adducit quamdam orationem, quae in duas sectiones dividi potest: prima a cap. I, 15 ad II, 35 ubi populus captivus, confitetur peccata sua; secunda sectio III, 1-8, continet orationem Baruch qua hortatur populum ad veram sapientiam inveniendiam et ad sui conversionem ad veram poenitentiam (III, 9-IV-8): statim consolatur captivos, eisque promittit libertatem (IV-9-29); et postremo annuntiat civitati Jerusalem, redditum filiorum suorum cum gloria, (IV-30-V).

Cap. VI, est quaedam epistola Jeremiae, ad retrahendos captivos ab idololatria Chaldaeorum. (1)

461. Textus primigenius hujus libri fuit hebraicus, qui tamen deperditus est.

Apud rationalistas, plures sunt opiniones quoad linguam qua exaratus est hic liber: quidam, ut Evvald, tenent totum hunc librum scriptum fuisse hebraice; alli ut Fritzche, censent, tantum primam partem hebraice conscriptam fuisse: Gessenius, Grotius et de Wette, affirmant textum primigenium hujus libri fuisse graecum.

Haec postrema opinio, nullatenus admitti potest: nam Baruch cap. I, v. 14 jubet, ut liber suus legatur in templo, quod fieri non potuisset si lingua graeca fuisset conscriptus. Praeterea, tria priora capita, innumeros continent hebraismos; et quamvis non sint ita frequentes in caeteris capitibus, tamen unitas libri et identitas styli, unitatem auctoris praedicant.

S. Hieronymus numquam vidit textum hebraicum hujus libri,

(1) De hac epistola ait Vigouroux: «La carta de Jeremías, VI, tiene por objeto apartar de la idolatria caldea á los judíos cautivos en Babilonia, á los cuales vá dirigida. Contiene una especie de doble estribillo que se repite de tiempo en tiempo: *Non sunt dii, non ergo timueritis eos*, 14, 15, 22, 28, 64; y *Quomodo ergo aestimandum est aut dicendum illos esse deos?* 39, 44, 55, 63. Jeremias demuestra en ella un profundo conocimiento de la religión de Babilonia: su carta es un monumento arqueológico en el que encontramos descritas con todos sus detalles las estatuas de los dioses caldeos, así como las ceremonias que se usaban para vestir y desnudar á los ídolos.» *Man. Bibl.* Ant. Test. Lib. prof. Cap. III. Art. IV.

sed utique Origenes et S. Epiphanius, qui eum recensent inter viginti et duos libros Canonis judaeorum. Praeterea juxta Constitutiones Apostolicas, hic liber legebatur in synagogis una cum Lamentationibus Jeremiae. Demum Origenes in suis Exaplis, hunc librum signavit quibusdam asteriscis, in his locis in quibus textus graecus discrepat ab hebraico.

Quod prima pars plures contineat hebraismos quam secunda, facilem explicationem habet, si quis consideret, praedictam primam partem continere orationem populi poenitentis, et cum in usum liturgicum transiisset, ideo interpres graecus, in quantum potuit, ipsas hebraicas constructiones conservat: sed in secunda parte libri majori libertate usus est.

Quod dictum est de textu primigenio Baruch, dicendum est etiam de epistola Jeremiae, quae postremo capite continetur.

462. Hic liber deutero-canonicus est fortasse quia textus primigenius hebraicus, ante finem captivitatis deperditus est. Sed nunc, de canonicitate hujus libri dubitari non potest: nam cap. IX Daniel est repetitio ejus quod continet prima pars libri Baruch. In Epistola quam Judas Machabaeus et Judaei miserunt ad judaeos alexandrinos, citatur epistola Jeremiae quasi auctoritate divina gaudens.

Constitutiones Apostolicae, et Patres, ut Origenes, S. Epiphanius, S. Clemens Alex, et alii hunc librum citant sub nomine Jeremiae. De Epistola Jeremiae ait S. Cyprianus: «Memineranr enim et Jeremiae scribentis ad eos»; et S. Hilarius affirmat «Prophetias, Lamenta et hanc epistolam unum esse Jeremiae librum»

Demum in omnibus Canonibus et Versionibus invenitur liber Baruch.

463. Solvuntur objectiones: 1.ª Baruch, juxta cap. LI. 59 Jeremiae, pergit in Babyloniam anno 4.° Sedeciae, et reversus est in Aegyptum: ergo non potuit denuo esse Babylone, anno 5.° Sedeciae.

Juxta praedictum cap. et versum Jeremiae, qui pergit in Babyloniam anno 4.° Sedeciae non fuit Baruch, sed frater ejus Saraias: et etiamsi supponatur fuisse ipsum Baruch, nullum est inconveniens in hoc quod reversus in Aegyptum, mortuo jam suo magistro, vel hoc jubente statim Babylonem peteret ut consolaretur captivos.

464. 2.ª Auctor sibi ipsi contradicit: nam supponit civitatem

Jerusalem et templum jam destructum, et tamen affirmat e manibus captivorum accepisse vasa pretiosa et alia dona, ut ea offerret Domino in Jerusalem.

Juxta Jeremiam XLI, 5, et Esdram II, 68, ruinae templi adhuc vocabantur *Domum Dei*, ibique erat altare ubi vero Deo sacrificia offerebantur.

465. 3.ª Dicit Baruch (I, 3) ipsum legisse librum suum, coram Jechonia et populo, quod impossibile videtur cum Jechonias esset in carcere.

Cum Jechonias, absque resistentia se traderet in manibus Chaldaeorum, ideo ejus conditio non fuit ita dura, ut non posset communicationem habere cum suo populo. Praeterea Baruch non dixit se legisse librum coram rege et populo, simul atque eodem tempore.

466. 4.ª Dantur analogiae inter hunc librum, Danielem et versionem graecam Jeremiae, quae auctorem posteriorem Baruch postulant.

Quod affinitas quaedam existat inter Baruch et Daniel non negamus: Daniel enim, ut in ore populi ponat orationes poenitentiae, imitatus est Baruch, qui pulcherrimas hujusmodi orationes habet.

Quoad analogias linguisticas inter Baruch et versionem graecam Jeremiae, optime explicantur si consideretur utrumque librum ab uno eodemque auctore in graecum versum fuisse.

Ab aliis argumentis refutandis supersedemus.

PARS EXEGETICA

467. De quo dicta sint haec verba (III, 36-38): «Hic est Deus noster et, non aestimabitur alius adversus eum... Post haec in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.

467. Hoc loco, juxta omnes Patres et interpretes agitur de Incarnatione Domini Nostri Jesu Christi, juxta illud Joannis (I. 14) «Et Verbum caro factum est, et habitavit in nobis; et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a patre, plenum gratiae et veritatis.» Circa hunc locum Theodoretus scribit:« Dilucide nobis ostendit incarnationem Unigeniti, ipsumque universorum esse opificem et sapientiae fontem.»



Caput XXXV

De libro Ezechielis.

PARS CRITICA.

468. Notitiae biographicae Ezechielis.—469. Argumentum et divisio libri Ezechielis.—470. Lingua et stylus.—471. Authentia et divina hujus libri inspiratio.—472. Opiniones quoad sensum quo interpretari debeant novem postrema capita Ezechielis.—473. Objectiones: 1.ª Datur contradictio inter hunc librum et Exodum: nam (Ezech. VIII, 20) legitur: «Filius non portabit iniquitatem patris» et Exod. XX, 5: «Ego sum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes, visitans iniquitatem Patrum in filios in tertiam et quartam generationem.» 2.ª Parabola meretricum (XXIII) quae honestatem offendit non potuit esse Ezechieli a Deo inspirata.

468. Ezechiel, seu ut antiqui latini scribebant Hiezechiel *(Dei fortitudo)* fuit filius Buzi ex familia sacerdotali. Undecimo anno ante eversionem civitatis, ductus est captivus in Babyloniam, una cum Jechonia et decem millibus judaeorum. Suam habitationem statuit in Tell-Abib juxta flumen Chobar. Quinto anno sui captiverii vocatus est a Deo in ministerium propheticum, quo munere functus est spatio saltem viginti et duo annorum. Audiatur S. Isidorus Hisp: «Ezequiel sacerdos, filius Buzi, genitus in terra Sarira, in typo Christi filius hominis nuncupatur. Hic captivus cum Joachim in Babyloniam ductus ad concaptivos prophetavit, corripiens eorum offensiones, et zelo Dei motus cuncta eorum crimina, turpitudinesque arguens. Quem dux populi Israel interfecit pro eo quod severitate et auctoritate pontificali corriperetur ab eo ob impietatem sacrilegii.» (1)

Creditur Ezechielem circa Babyloniam occisum fuisse, et sepultum in sepulcro Sem et Arphaxad, ut dicit S. Epiphanius. Ejus memoria recolitur in Martyrologio Romano IV Id. Aprilis.

469. Liber Ezechielis continet 48 capita et dividi potest in tres partes: 1.ª a Cap. I ad XXIV post brevem notitiam biographicam Prophetae, et circumstantiarum suae vocationis, praedicit ruinam Jerusalem et captivitatem Sedeciae ob peccata et impoenitentiam populi, additis quibusdam rerum adjunctis, ut ex. gr. quod Sedecias in Babyloniam duceretur sed eam

(1) *De ort. et obit. Patrum.* Cap. 19.

non esset visurus, ut revera contigit, nam Sedecias a suis hostibus oculis privatus fuit: in 2.ª parte a cap. XXV ad XXXV, vaticinatur adversus chaldaeos, ammonitas, moabitas, idumaeos philistaeos, sidonios, tyrios et aegyptios. 3.ª pars a cap. XXXVI ad finem usque, vaticinia complectitur post destructionem civitatis prolata, ibique judaeos denuo reprehendit, sed mox consolatur praedicans finem captivitatis et futuram redemptionem humanitatis per Messiam, cujus regni magnifica fit descriptio novem postremis capitibus libri.

470. Cum Ezechiel captivitatis tempore scriberet, ideo adhibuit linguam hebraicam multis chaldaismis admixtam. S. Hieronymus haec dicit circa stylum hujus libri: «Ezechiel principia et finem tantis habet obscuritatibus involuta, ut apud hebraeos istae partes cum exordio geneseos ante annos triginta non legantur..... Sermo ejus nec satis dissertus, nec ad modum rusticus, sed ex utroque medie temperatus. Sed et vulgata ejus editio (vers. Alex.) non multum distat ab hebraica.» (1) Abundat visionibus symbolicis, parabolis, imaginibus vividioribus, et descriptionibus minus commendandis, si juxta praesentes leges Rethorices judicentur, quae tamen descriptiones apud Orientales, sine scandalo legi poterant. His de causis, interpretatio hujus libri, res valde obscura atque difficilis est.

471. Spinoza docuit actualem prophetiam non esse Ezechielis, sed ex ejus scriptis erutam. Oeder, Vaget, Corrodi, negant Ezechielem esse auctorem novem postremorum capitum. Alii Ezechieli abjudicant secundam partem libri. Sed adversus hos omnes, probatur Ezechielem fuisse auctorem integri libri: 1.° Cap. XLIX, 10 Eccli. legimus: «Ezechiel, qui vidit conspectum gloriae quam ostendit illi in cursu Cherubin: non commemoratus est inimicorum.» Unde sic Ecclesiasticus Ezechielem auctorem suae prophetiae facit, sicut reliquos prophetas circa suos libros. 2.° quia haec est communis Patrum sententia. Tantum S. Isidorus de hac re dubitavit, secutus Thalmudistas, qui quasdam contradictiones inter hunc librum et Pentateuchum existere putarunt. Sed postea Thalmudistae mutarunt sententiam. 3.° Quia characteres interni libri, ut chaldaismi, affinitas cum Jeremia et argumentum libri, aucto-

(1) *Epist ad Paul.* 53.

rem postulant Ezechieli coaevum et 4.° quia Ezechiel in hoc libro semper prima persona loquitur; ergo est auctor ipsius. Demum, 5.° apud rationalistas etiam haec est communis sententia.

Si de divina auctoritate sermo sit plures inveniuntur allusiones ad Ezechielem, quamvis nomine ipsius non citetur; ex. gr. compara Daniel IV, 8-19 Ezech. XXXI, 3 seq.; Eccles. XLIX, 10, Ezech. X, 18; Reg. XIV, 9; Ezech. XXIII, 35; Zachar. XIII, 2, Ezech. XIII, 13.

Hujusmodi allusiones etiam in N. T. inveniuntur: sic cum Christus dicitur *bonus pastor* alluditur ad Ezechielem XXXIV, 11, ubi fit promissio boni pastoris: descriptio magni arboris (Matth. XIII, 32) similis est descriptioni arboris messianici apud Ezechielem. Demum visiones cap. XVIII, XIX XX et XXI Apocalypsis, fere identicae sunt visionibus cap. XXVII, XXXVIII, XXXIX, XLVII et XLVIII Ezechielis.

Postremo omnes versiones, canones et Patres, hunc librum inter divinitus inspiratos connumerant.

472. Novem postrema capita hujus libri quasdam continent visiones, quarum prima spectat ad novum templum, collocatum in vertice montium ad quod confluent omnes gentes: secunda ad novam distributionem Terrae Sanctae ejusque mirabilem foecunditatem: et tertia ad novum magnificumque cultum.

Juxta plures judaeos et rationalistas, haec intelligenda sunt de novo templo Zorobabel, et de distributione terrae facta post captivitatem. Quidam, ut Cornelius a Lapide, sensum litteralem non rejiciunt, sed fatentur haec capita generatim intelligenda esse sensu allegorico seu typico. Demum fere omnes interpretes, haec novem capita spiritualiter intelligunt, ita ut magnificentia et splendor cultus, foecunditas terrae atque ejus distributio, nihil aliud significent nisi splendorem, sanctitatem et universalitatem spiritualis regni messianici. Ad rem S. Hieronymus: «Neque enim hoc, de illo tempore dicitur, quod quidam imperiti Judaeorum volunt, quando sub Zorobabel et sub Jesu filio Josedec templum exstructum est prophetantibus Aggaeo et Zacharia. Hoc enim templum, quod nunc describitur, et ordo sacerdotii terraeque divisio et fertilitas multo augustius est, quam fuit quod Salomon exstruxerat: illud autem, quod aedificatum est sub Zorobabel, in tantum parvum erat et

prioris comparatione nihili, ut qui prius templum viderant et postea hoc aspiciebant ejularent doloremque lacrymis testarentur.» (1) Et S. Ephraem, cui parum arrident explicationes allegoricae, tamen ait: «Reliqua in novi templi aedificio prophetae ostensa ad Ecclesiam Christi pertinere planum est.» (2) Eodem modo loquitur S. Gregorius M.

Quasdam rationes quae pro hac sententia militant invenies apud cl. Cornely. (3)

473. Contra divinam hujus libri inspirationem sequentes proponuntur objectiones: 1.ª Contradictio existit inter hunc librum et Exodum: nam, Ezech. XVIII, 20 legitur: «Filius non portabit iniquitatem patris» et Exod. XX, 5: Ego sum Dominus Deus tuus, fortis Zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios in tertiam et quartam generationem.»

Quoad locum Exodi, S. Joan. Chrys. intelligit praedicta verba de filiis illorum qui exierunt de Aegypto duce Moyse: et quamvis prodigia quamplurima vidissent, tamen infideles fuerunt sicut et parentes eorum. (4)

S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, praedicta verba intelligunt de filiis qui sua perversitate, more suorum parentum, etiam perversorum, vivunt. Ali Patres atque theologi hanc haereditatem poenae extendunt etiam ad filios bonos usque ad tertiam et quartam generationem; quia etiam justi experiuntur effectus peccati originalis, et ideo immunes non sunt ab his defectibus quos Deus punit poenis temporalibus.

Quando Ezechiel dicit: «Filius non portabit iniquitatem patris «loquitur de culpa personali patris, et de poena animae quam Deus tantum imponit propter peccata propria.»

Objectio 2.ª Parabola meretricum (XXIII) quae honestatem offendit, non potuit esse Ezechieli a Deo inspirata.

Duae mulieres meretrices, filiae unius matris, sunt regnum Juda et Israel, quorum una fuit mater, nempe, Synagoga, ex stirpe Abraham et Sara. Propheta explicat idololatrias et prevaricationes hebraeorum, per allegoriam desumptam ex effectibus corruptionis illarum mulierum, juxta stylum vididum atque

(1) *Comm. in Ezech.* 40, 1.
(2) *Comm. in Ezech.*
(3) *Curs. Sac. Scrip. Introd. special. in V. T. De lib. prophet.* Cap. IV.
(4) *Homil LV in Joan.*

liberiorem orientalium. Sed si hoc sufficeret ad divinam hujus capitis inspirationem negandam, plura ex Sacra Scriptura expungi deberent ut integrum Librum Canticorum etc. quae ut divinitus inspirata habentur.

PARS EXEGETICA

474. Exponantur haec loca; (III, 1): «Fili hominis.... comede volumen istud.... Et comedi illud; et factum est in ore meo sicut mel dulce.»—475. (IV, 12-15): Et quasi subcinericium hordeaceum comedes illud: et stercore, quod egreditur de homine, operies illud in oculis eorum.... Et dixit ad me: Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus hominis: et facies panem tuum in eo.»—476. (XXXIV, 23) «Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas: et ipse erit in pastorem.» —477. Quomodo concilientur haec loca, (I. 14): «Et animalia ibant, et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.» et, (Ibid. 9) «Non revertebantur cum incederent.»

474. Locus ille (III, 1): «Fili hominis.... comede volumen istud... Et comedi illud; et factum est in ore meo sicut mel dulce» est locutio quaedam metaphorica, qua significatur Ezechielem debuisse aperire cor suum, ad recipiendum verbum Dei, ut eo instructus et edoctus, divinas doctrinas populo communicaret. Ut ait S. Hieronymus, hoc in memoriam retinere debent sacerdotes, ut Sacrae Scripturae lectioni operam dent, et sic alios instruere possint.

475. (IV, 12-15) «Et quasi subcinericium hordeaceum, etc. Juxta aliquos, hic non agitur nisi de visione prophetica, qua Deus significare voluit res futuras, adhibito more loquendi orientalium.

Sed generatim interpretes credunt hic agi de comestione vera et reali, qua Dominus ostendere voluit judaeis, futuram miseriam, quae ipsos obligatura erat ad hujusmodi panem immundum manducandum. Deus mitigavit poenam quoad personam prophetae, dicens: «Ecce dedi tibi fimum boum pro stercoribus humanis, et facies panem tuum in eo.» Tamen adhuc durum videtur, quod Deus Ezechielem, hominem ita sanctum obligaret ad talem panem edendum, ut per proprias actiones repraesentaret calamitates populi. Sed nihil mirum, si consideremus, Deum constituisse Ezechielem, figuram Filii sui, quem omnibus calamitatibus percussit propter peccata hominum.

476. (XXXIV, 23) «Et suscitabo super eas pastorem unum,

qui pascat eas, servum meum David: ipse pascet eas: et ipse eris eis in pastorem.»

Unicus Pastor de quo hic agitur, et Jesus Christus, filius David secundum carnem: propter hoc dicitur *David* (Jerem. XXX, 9) (Os. III, 5); et additur *servum meum* propter naturam et propter suum officium Mediatoris. Et quamvis in Ecclesia sint alii pastores, tamen Supremus unicus Pastor est Christus, juxta illud Joan. X, 16: «Et fiet unum ovile et unus Pastor.»

477. Quomodo concilientur haec loca: «Et animalia ibant et revertebantur in similitudinem fulguris coruscantis (I, 14)», et (Idid. 9) «Non revertebantur cum incederent.»

Nulla est hic contradictio: nam animalia semper ibant vel revertebantur juxtam voluntatem jubentis; unde in hoc nulla erat contradictio. S. Hieronymus, reprehendit LXX interpretes eo quod supressissent vers. 9-12-14, quia inter eos aliquam contradictionem ipsis videbatur inveniri; sed Doctor Maximus Scripturarius hanc regulam proponit: «Melius est in divinis libris interpretari quod dictum est, quamvis non recte intelligatur qua de causa dictum sit, quam eliminare quod non intelligitur; quia secus, eadem libertate, eliminabuntur plura quae vera sunt, et quae hominis captum superant.»

Caput XXXVI

De libro Danielis.

478. Historia Danielis.—479. Ipsius libri summa et divisio.—480. Ejus pars deuterocanonica.—481. In quo differat Daniel a caeteris prophetis.—482.—Assertiones rationalistarum circa hunc librum.—483. Ostenditur divina hujus libri inspiratio argumentis tum externis tum internis.—484. Lingua.—485. Objectiones: 1.ª Inverosimilia videntur tum historia idoli Bel, tum quod rex Cyrus crederet hoc idolum edere, tum quod populus draconem ut Deum adorasset; et demum quod Habacuc capillo capitis sui fuisset ab Angelo adsportatus.—486. Auctor Ecclesiastici qui caeteros laudat prophetas, nihil de Daniele dicit.—487. Cap. III citantur, psalterium, cithara et symphonia nominibus graecis: ex quo infertur, hunc librum, multo tempore post Danielem scriptum fuisse.

478. Daniel *(Deus mihi judex)* fuit de tribu Juda, et si non regia, saltem ex nobili stirpe natus. Juxta Josephum Flavium, fuit ex stirpe regia. Anno 4.° regis Joachim (606 ant. J. C.), Nabuchodonosor, postquam vixisset Nechaum regem Aegypti,

expugnavit Jerusalem et duxit captivos in Babyloniam plures nobiles, inter quos, etiam Danielem. Juxta Berossum, Nabuchodonosor, filius Nabopolasar, benigne suscepit captivos, et inter eos quosdam juvenes elegit, qui imbuerentur litteris chaldaeorum, et qui deinceps diversa munera exercerent in palatio regio. Unus ex his fuit Daniel cui Deus favit donis extraordinariis. Nam interpretatus est coram Nabuchodonosore somnium statuae: ostendit innocentiam castae Susannae. Hac de causa, Nabuchodonosor ipsum praefecit civitati Babyloniae, cui dedit socios, illos qui instructi et aeducati fuerant simul cum eo. Deinde interpretatus est aliud somnium Nabuchodonosoris, manifestans regi, quod spatio septem annorum, viviturus erat quasi bestia. Successit Nabuchodonosori filius ejus Evilmerodach (Balthasar juxta Caminero) qui in magno honore habuit Danielem. Occiso Evilmerodach a suo leviro Neriglisor, successerunt, huic Labusardach et Nabonedo qui matrimonium contraxit cum filia Nabuchodonosor, ex quo matrimonio natus est Balthasar. Hoc tempore, Cyrus, post victos Medos, iruit in Chaldaeos et obsidione pressit Babyloniam. In ultima nocte obsidionis magnam coenam fecit Balthasar, in qua apparuerunt illa verba mysteriosa, quae interpretatus est Daniel, propter quod omnes suos honores iterum recuperavit, et constitutus est inter supremos tres magistratus populi. Cum hoc aegre tulissent gentiles, obtinuerunt a rege Dario decretum, ut ipsum omnes adorassent quasi Deum. Cum Daniel hoc decretum non adimpleret, jussu regis ejectus est in lacum leonum, ex quo incolumis mirabiliter evasit. Mortuo jam Dario, successor ejus Cyrus permisit hebraeis ut in suam patriam redirent. Cum Daniel esset jam nonaginta annorum, Babylone mansit, ut juvaret captivos qui suam patriam peterent, et idololatriam impugnaret. Ostendit apertissime fraudes sacerdotum idoli Beel, seu Baal, in ruinam vertit templum hujus idoli, et occidit draconem, quem gentiles adorabant ut Deum. Nihil aliud scimus de vita Danielis: ultimam visionem habuit tertio anno Cyri: quidam putant ipsum mortuum fuisse in Sussa, ubi incolae indicat locum sepulcri, ad quod multi accedunt peregrini.

479. Hic liber continet quatuordecim capita, ex quibus, duodecim priora sunt protocanonica; alia vero duo deuterocanonica. Pars protocanonica in duas partes dividitur: 1.ª pars historica, sex prima capita complectitur, quae historiam conti-

nent Danielis, suam aeducationem, interpretationem diversorum somniorum, suam elevationem ad praecipuos gradus regni, et varias alias vicissitudines usque ad sui liberationem a lacu leonum, tempore Darii Medi. Secunda pars, seu prophetica, refert mirabiles visiones Danielis, in quibus sub forma diversorum animalium describitur dominatio Chaldaeorum, Medorum, Persarum, Graecorum et Romanorum. Cap. IX, praenuntiantur LXX hebdomades, usque ad adventum Messiae.

480. Duo ultima capita, nempe XIII et XIV, constituunt partem deuterocanonicam hujus libri, et continent historiam Susannae, idoli Bel, et draconis quem Daniel occidit modo quodam ingenioso. Est etiam pars deuterocanonica cap. III a v. 24 ad. 100, nempe canticum, Sidrach, Misach, et Abdenago, in camino ignis ardentis.

481. Distinguitur Daniel a reliquis prophetis, ait cl. Caminero: «1.° quia non donum propheticum tantum a Deo accepit, sed etiam donum miraculorum, ut olim Elias. Et haec quidem miracula non solum ad confirmandos in fide hebraeos facta sunt sed ad Dei nomen et religionem coram paganis populis propagandam et glorificandam. 2.° in forma vaticiniorum diversus est etiam a reliquis, quatenus omnes suae prophetiae visiones fuerunt, quod in caeteris minus commune est: ob idque Apocalypsi similis est. In hoc apprime Dei scopo congruit, quatenus hae prophetiae potius ad futuras, quam ad coaevam generationem directae erant, ob idque magis determinatae sunt.

3.° Revelationes Danielis cum ejus persona arctius connectuntur; cantor divinus est, non solum in populo electo, sed etiam in babylonico imperio. Dum futurorum praenuntiatio in aliis prophetiis connectitur historiae Israelis, in Daniele respicit imperium universale: illis regnum messianicum est continuatio hebraicae theocratiae, Danieli vero est novissimum universale imperium: illi reliquorum populorum futuram destinationem considerant sub hebraico adspectu, Daniel autem destinationem Israelis considerat sub adspectu paganorum populorum. Ut id assequatur determinatissime exponit futuros populorum eventus eorum praesertim, qui cum hebraico arctiorem connexionem habebant aut erant habituri, veluti persarum, graecorum sub Alexandro, ac sub Ptolemaeis ac Seleucidis, donec omnis fere nexus rumpitur Israelis cum his populis. 4.° Jam adnota-

verat S. Hieronymus «nullum prophetarum tam aperte dixisse de Christo. Non enim solum scribit (Daniel) eum esse venturum, quod est commune cum caeteris, sed etiam quo tempore venturus sit docet.» (1)

482. Primus qui authentiam hujus libri negavit fuit Porphirius, qui ut ait S. Hieronymus «contra Danielem scripsit, nolens eum ab ipso, cujus inscriptus est nomine esse compositum, sed a quodam qui tempore Antiochi... fuerit in Judaea, et non tam Danielem ventura dixisse, quam illum narrasse praeterita.» (2) Quidam rationalistae partem proto et deuterocanonicam, diversis auctoribus adscribunt. Gessenius et Bleek fatentur unum esse totius libri auctorem, sed asserunt hunc fuisse multo posteriorem Danieli: et nonnulli affirmant, librum Danielis conscriptum fuisse aetate Machabaeorum, ad hortandum judaeos ut fortiter pugnarent adversus hostes. In hoc ergo conveniunt omnes rationalistae; nempe, quod librum Danielis exaratum fuerit post eventum eorum quae praedicit: si enim admittatur auctorem hujus libri fuisse Danielem vel Danieli coaevum necessario admittenda est etiam existentia prophetiae.

483. Itaque probatur, auctorem hujus libri fuisse Danielem. 1.° *Argumentis externis*: 1.um Nam ipsemet Christus Dominus ait apud Matth. XXIV, 15, et Marc. XIII, 14, «Cum autem videritis abominationem desolationis quae dicta est a Daniele propheta etc.» quae verba desumpta sunt ex prophetia septuaginta hebdomadum Danielis. Etiam verba, Matth, XXVI, 64, «Verumtamen dico vobis, amodo videbitis filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli» alludunt ad haec alia Dan. VII, 13, «Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat etc.»

2.um Apud Ezechiel XIV, 14 et XXVIII, multum laudatur Daniel propter suam sanctitatem et sapientiam, testimonia vero hujus sanctitatis ac sapientiae in ejus libri inveniuntur. I Machab. II, 59 Matathias ad hortandum suos ad bellum, adducit exemplum Ananiae, Azariae et Misaelis, qui illaesi exierunt ex fornace ignis, et Danielis qui illaesus etiam evasit, ex lacu leonum.

---

(1) *Man. Isag.* Sect. III. Cap. XXXII.

(2) *Praef. in Dan.*

3.um Praeterea Josephus Flavius docet, judaeos ostendisse Alexandro in Jerusalem, prophetiam Danielis, quae idcirco jam scripta erat.

4.um Neque judaei hunc librum in suum canonem recepissent, nisi ipsum haberent ut authenticum; jam vero canon judaeorum confectus est multo ante tempora Machabaeorum.

5.um Demum omnes Patres omnesque canones et versiones unanimiter hunc librum tribuunt Danieli.

Probatur eadem veritas *argumentis internis:* 1.um Daniel in diversis locis libri de seipso loquitur prima persona: cum autem unitas libri negari non possit, neque potest negari unitas auctoris: hic vero auctor vel est Daniel, vel aliquis impostor qui fefellit judaeos: hoc vero postremum credibile non est, si attente considerentur characteres veracitatis et pietatis auctoris. Praeterea agitur de libro celeberrimo, qui evidentissima vaticinia continet, quae si non fuissent jam cognita ante Machabaeorum aetatem judaei ea non credidissent, neque librum in canonem recepissent. Ad haec obtinenda, auctor debuit esse sagacissimus et praeclarae intelligentiae, quod minime congruit opinioni rationalistarum de ignorantia Danielis.

2.um Si hic liber exaratus est aetate Machabaeorum ad hortandum judaeos ad bellum ¿quomodo explicatur quod auctor magnam libri partem scripsisset lingua hebraica, et aliqua tantum fragmenta chaldaice? cum lingua hebraica esset fere ignota temporibus machabaicis?

Neque dici potest impostorem qui librum scripsit studiose duplicem linguam adhibuisse, ut judaei crederent librum esse Danielis; ad hoc enim necessarium non fuit duplici lingua uti, nam etiam Ezechiel scribens in captivitate, unam tantum linguam adhibuit, scilicet hebraicam. Ad praedictum finem consequendum, melius fuisset integrum librum hebraice scribere, cum tantum lingua hebraica haberetur ut sacra, cumque rabbini, etiam temporibus Machabaeorum docerent prophetias scribi non potuisse nisi lingua hebraica, et in Palaestina: propter quod nolebant recipere librum Ezechielis, eo quod scriptum fuisset extra Palaestinam.

3.um Si prophetia Danielis non est nisi quaedam antiqua *legenda* transformata, ut ait Renan debuit accommodari ideis quae praedominium exercerent aetate Machabaeorum: sed nullum est vestigium hujusmodi accommodationis: nam prae-

dicta aetate, impossibile videbatur judaeis, quod propheta Domini familiariter ageret cum regibus gentilibus. Demum si haec prophetia, quam Renan *legendam* vocat, anterior est captivitati, cum omnia adamussim impleta sint, quae in tali *legenda* vaticinantur, necessario fatendum est eam esse non *legendam* transformatam sed veram atque realem prophetiam.

4.um Notitiae exactissimae morum, historiae et religionis Chaldaeorum, etiam ostendunt auctorem fuisse coaevum factis quae narrat.

5.um Etiam lingua demonstrat, auctorem utramque, nempe hebraicam et chaldaicam agnovisse: et praeterea, juxta Gessenium, lingua libri optime respondet aetati Danielis, sed repugnat aetati Machabaeorum.

Quamvis jam probata sit authentia partis deutero-canonicae, tamen adhuc confirmari potest: nam 1.° constat unum esse auctorem totius libri: 2.° Quia versio Alexandrina et Itala, absque ulla ambiguitate, portiones deuterocanonicas, ut *canticum puerorum*, *historiam Susannae et idoli Bel*, continet: 3.° quia omnes Patres, ut Origenes, Rufinus, Hieronymus, Tertulianus, Cyprianus, Ambrosius, Augustinus, S. Joan. Chrysostomus etc. etc implicite vel explicite affirmant, praedictas portiones ad librum Danielis pertinere: 4.° quia Susannae historia semper proposita fuit ad castitatem commendandam, sicut historia Joseph.

484. Liber hic exaratus est lingua hebraica et aramaica seu chaldaica: chaldaice scripta sunt omnia instrumenta seu documenta regia et publica. Partem deuterocanonicam in graeco tantum habemus.

Nostra versio Vulgata Danielis facta est ex textu hebraico et chaldaico quoad partem protocanonicam, et ex textu graeco Theodotionis quoad partem deuterocanonicam.

Stylus libri potius est prosaicus quam poeticus: et quamvis symbolis utatur, ad ipsas prophetias pertinent, non ad dictionem. Tamen quaedam sunt partes vere poeticae, ut *Canticum trium puerorum;* expositionem scripturae *in coena Balthasaris* etc.

485. Objectiones, 1.ª, Inverosimilia videntur tum historia idoli Bel, tum quod rex Cyrus crederet hoc idolum alimenta sumere; tum quod populus draconem ut Deum adorasset, et demum quod Habacuc capillo capitis sui fuisset ab Angelo adsportatus.

Monumenta recenter inventa evidentissime ostendunt extitisse apud chaldaeos cultum idoli Bel. Mos vero alimenta offerendi idolis, probatur quadam inscriptione Nabuchodonosoris a Delatre citata, juxta quam ille rex quotidie offerebat diis bovem saginatum, pisces, et vinum copiosissimum quasi aquas fluminum. (1)

Quod Cyrus credidisset, idolum Bel revera manducasse alimenta quae ipsi afferebantur, inverosimile non est cum generatim reges se accommodent opinionibus populi, praesertim in his quae ad religionem spectant.

Vel fortasse Cyrus finxit credere, ut facilius destrueret illud idolum et alia etiam idola quae oderant Persae.

Quoad historiam draconis, nihil est quod non conveniat moribus Babyloniorum, juxta inventa archaeologica moderna: ex his enim scimus, babylonios cultum tribuisse serpenti; qui cultus in magno honore semper habitus est ob suas applicationes magicas: serpens ab ipsis habebatur ut symbolum Intelligentiae supremae. In templis Babyloniae, serpentes adhuc parvae, solicite nutriebantur; unus ergo ex his serpentibus erat Draco de quo loquitur Daniel.

Cum propheta Habacuc anterior fuisset Danieli, videtur impossibile quod capillo capitis sui translatus fuisset ab Angelo in Babyloniam.

In versione Alexandrina et Vulgata tantum, hic Habacuc vocatur propheta: S. Hieronymus et alii Patres et interpretes censent istum Habacuc fuisse unum ex prophetis minoribus qui jam senes potuit attingere tempora Danielis.

Sed juxta alios, iste Habacuc distinctus est a Propheta.

Translatio ipsius in Babyloniam non materialiter seu corporaliter intelligenda est, sed juxta naturam et conditionem angeli: factum ipsum translationis, quodammodo miraculosum est, et hac tantum de causa a rationalistis negatur.

486. Auctor Ecclesiastici qui caeteros laudat prophetas, nihil de Daniele dicit.

Neque praedictus auctor Ecclesiastici verbum loquitur de Job, Esther, Mardochaeo et Esdra, quorum librorum authen-

---

(1) Conf. eruditum op. Dr. Emilii R. Torio, cui titulus, «*El culto de Baal*, praesertim II.—Palentiae, 1900.

tiam tamen nemo negat; ergo propositum argumentum vel nimis vel nihil probat.

487. Cap. III, citantur, psalterium, cithara et symphonia, nominibus graecis; ex quo videtur inferri, hunc librum, multo tempore post Danielem scriptum fuisse.

Ex Beroso et antiquis monumentis scimus, jam a saeculo 8.° ante J. C. mutuas relationes extitisse inter Chaldaeos et Graecos; quod sufficit ad hoc ut graeci, hujusmodi instrumenta musica, secum tullissent in Chaldaeam, ibique nominibus graecis designarentur: ut nos hispani, plura objecta designamus nominibus non hispanicis, ut *chocolate*, *champañ*, *parlamento*, *intervvieu* etc.

PARS EXEGETICA

488. Num juxta cap. IV. Nabuchodonosor vere in bovem mutatus fuerit. —489. Quomodo concilientur haec loca (VI) ubi dicitur Danielem fuisse in lacu leonum una nocte tantum, et (XIV) Danielem ibi fuisse usque ad septimum diem.—490. Daniel (cap. XIII, 45), apparet ut puer, et tamen (ibid. v. 50) dicitur: «Tibi Deus dedit honorem senectutis.»—491. Num Darius immediate successerit Balthasari.—492. Exponitur prophetia LXX hebdomadum.

488. Daniel non dicit, Nabuchodonosorem, vere in bovem seu animal irrationale mutatum fuisse sed ipsi contigisse quaedam species amentiae, qua se gerebat, quasi vere fuisset animal irrationale: hic morbus a medicis dicitur *lycanthropia*, et plura exempla adducuntur in diversis personis.

489. Quomodo concilientur haec loca (VI) ubi dicitur Danielem fuisse in lacu leonum una tantum nocte, et (XIV) Danielem ibi fuisse usque ad septimum diem.

Facillime haec loca conciliantur, si consideremus duplici occasione Danielem missum fuisse in lacum leonum; scilicet a Dario, quando mansit in lacu una tantum nocte: et postea a Cyro, quando fuit in lacu usque ad septimum diem.

490. Daniel, Cap. XIII, 45, apparet ut puer, et tamem ibidem v. 50 dicitur: «Tibi Deus dedit honorem senectutis.» Daturne hic contradictio?

Nulla est in hoc contradictio; nam v. 45, legimus: «Cumque duceretur (Susanna) ad mortem, suscitavit Dominus spiritum sanctum pueri junioris, cujus nomen Daniel..... et v. 50: «Reversus est ergo populus cum festinatione, et dixerunt ei

(Danieli) senes: Veni, et sede in medio nostrum, et indica nobis; quia tibi Deus dedit *honorem* senectutis»: ubi non dicitur Deum dedisse Danieli *aetatem* senectutis, sed *honorem*, quia dignus habitus est ut sederet cum senibus ad judicandum.

491. Num Darius immediate successerit Balthasari.

Quoad hanc quaestionem ait Caminero: «Illo mortuo (Nabuchodonosore) succedit Evilmerodach, qui est ipse Balthasar, inter coenandum occisus a leviro suo Nerghel-saratzer (Neriglisor) conjurationis auctor et caput.—Minime vero a Cyro Babylonem obsidente, nec concipi animo posset, quomodo in arcta urbis obsidione imminentique periculo, rex et magnates conviviis indulgebant: denique hanc opinionem fovit, dispositio capitis V, quod v. 30 erat finiendum, ut in hebraico textu: versus autem 31 prior est capitis VI, nec asserit Darium *immediate* Baltassaro succesisse.--Neriglisori succedit post quartum annum Labu-sarak, qui nono mense occiditur ab ipsis aulicis ob ejus crudelitatem. Tunc eligitur Darius Nabu-Naed (Nabonedo, 555) anno aetatis 62, qui filius forte fuit cujusdam Ahasaveri—Nabunaed et Nitocris, origine medus—non vero rex medus—ob idque a medis adjutus atque eorum moribus assuetus, plura ex eis in Babylonicum regnum induxit, ita ut leges medorum praevalerent. Hic a Cyro regno pulsus est (538), Babylonia capta, ac Darius in Caramaniam exulare compulsus, ubi non paucos annos adhuc vixit.» (1)

492. Cap. IX hujus libri celeberrima continetur prophetia, quae epocham adventus Messiae determinat. Cum Daniel esset orans pro suo populo, Angelus Gabriel locutus est ei dicens: v. 24· Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum, et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur Sanctus Sanctorum »

In primis hebdomadae de quibus agitur, non sunt dierum, nam cum de hujusmodi hebdomadibus sermo est, expresse eas designat Daniel ut in v. 2, cap. X dicens: «In diebus illis ego Daniel lugebam trium hebdomadarum diebus.» Id ipsum substrata materia postulat; nam aedificatio civitatis Jerusalem, templi, etc., nullo modo spatio sexdecim mensium fieri poterant. Neque inte-

(1) *Man. Isag.* Sect. III, Cap. XXXII.

lligi possunt de hebdomadibus septenniorum vel jubilaeorum: tunc enim res praenunciatae protraherentur ad spatium 3430, vel 24.500 annorum, cum tamen excidium urbis ac templi jamdiu adimpletum oculis nostris cernamus. Ergo hic de solis hebdomadibus annorum agitur. Hujusmodi hebdomadae etiam in aliis locis Scripturae commemorantur, nempe Levit. XXV, 8; Gen. XXIX, 27-28 et alibi passim.

Vers. 25: Scito ergo, et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, et hebdomades sexaginta duae erunt: et rursum aedificabitur platea, et muri in augustia temporum.»

Hic attingitur *terminus a quo* hujus prophetiae, qui incidit in annum XX regni Artaxerxis Longimani (II Esdr. II-1), a quo anno numerando 483 annos, incidimus in annum 782 urbis conditae, sive XV Tiberii Caesaris, id est ad publicam Christi apparitionem (Luc. III, 1 est seq.) Alii ponunt hujusmodi *terminum a quo*, in edicto Darii de reaedificatione templi (I Esdr IV, 24); quidquid sit, longe excedimus regnum Antiochi Epiphanis et cujuscumque alterius regis, qui adversarii assignant, ut *terminus in quem* desinit vaticinium.

Rationalistae ad denegandam vim huic prophetiae, dicunt septuaginta hebdomadas in tres periodos dividi; quarum prima complectitur septem hebdomadas; secunda sexaginta duas, et tertia unam tantum; cum ergo nesciamus, quantum spatium temporis intercesserit inter has periodos, idcirco prophetia Danielis, relate ad tempus, est nobis indeterminata.

Prophetia, ut evidenter ex libri lectione apparet, complectitur 490 annos, (v. 24.) Distinctio ergo trium periodorum refertur ad significandam diversitatem futurorum eventuum, non vero ad praefinitum tempus indefinite protrahendum.

Quidam Patres, ut Origenes et Irenaeus, referunt adimplementum vaticinii ad finem mundi, sed sensu inclusivo, quatenus nempe destructionem civitatis Jerusalem habent, quasi figuram extremae mundi cladis. (1)

V. 26. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus *(in cruce)* et non erit ejus populos, qui eum negaturus est *(et populus judaeus jam non erit Dei populus, quia Christum negavit coram Pilato.)* Et civitatem, et *sanctuarium* dissipabit popu-

(1) Conf. Perrone *Praelect. Theol.* Tract. de Incarn. P. I. Cap. II

lus cum duce venturo. (*Tito, filio Vespasiani*) et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.»

V. 27 «Confirmabit autem pactum (*novum foedus*) hebdomada una: et in dimidio hebdomadis (*post baptismum Christus incepit suam praedicationem eamque continuavit spatio trium annorum cum dimidio, qui dimidiam hebdomadam constituunt*) deficiet hostia et sacrificium (cum Sacrificio *crucis quod continget in dimidio hebdomadis*): et erit in templo abominatio desolationis: et usque ad consummationem perseverabit desolatio» (*nempe usque ad finem mundi non reaedificabitur nec civitas nec templum Jerusalem:* quae omnia revera contigisse ex historia constat.

Caput XXXVIII

De prophetis minoribus.

493. Qua ratione, sequentes prophetae dicantur minores.—494 Num ordo quo positi sunt in canone sit chronologicus.—495. Quis collegerit has prophetias, easque uno volumine comprehenderit.

493. Sequentes prophetae dicuntur *minores*, non quia eorum prophetiae minori gaudeant auctoritate, sed propter earum brevitatem.

494. Ordo quo prophetae minores in Canone positi sunt, probabiliter est chronologicus: hoc de quibusdam certo affirmari potest, sed non de omnibus. Quoad maximam eorum partem, determinari potest tempus quo suas conscripserunt prophetias, ex inscriptione uniuscujusque libri: cum vero hujusmodi inscriptiones desunt, illa determinatio temporis res est valde difficilis: probabiliter Oseas, Joel, Amos, Abdias, Jonas et Michaeas prophetarum ante captivitatem decem tribuum: Nahum, Habacuc et Sophonias inter destructionem regni Israelis et Judae: Aggaeus, Zacharias et Malachias post captivitatem.

Ordo Vulgatae, idem est ac ordo textus hebraici: sed in textu graeco, hoc ordine apparent prophetae minores: Oseas, Amos, Michaeas, Joel, Abdias, Jonas, et caeteri ut in textu hebraico. In IV Esdrae, I, 39, hoc ordine positi sunt hujusmodi prophetae: Oseas, Amos, Michaeas, Joel, Abdias, Jonas, Naum, Habacuc, Sophonias, Aggaeus, Zacharias et Malachias.



495. Certum est has prophetias, semper uno volumine comprehensas fuisse. Auctor Ecclesiastici, postquam laudaverit Isaiam, Jeremiam et Ezechielem, laudat etiam prophetas minores, sed communi elogio, quasi indicans eorum prophetias unum opus constituere: ait enim: «Duodecim prophetarum ossa pullulent de loco suo: nam corroboraverunt Jacob, et redemerunt se in fide virtutis.» (XL, 12) Hoc ipsum innuere videtur martyr S. Estephanus, cum citans haec verba Amos (V. 25), «Numquid victimas et hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto» ait, ea legi in *Libro prophetarum* (Act. VII, 42). Josephus Flavius, Origenes, S. Hilarius, S. Epiphanius et Hieronymus asserunt, judaeos semper uno volumine duodecim prophetas comprehendisse: id ipsum fecit primitiva Ecclesia, ut testantur S. Athanasius, S. Augustinus et concilia africana.

Qui primus omnes libros prophetarum minorum uno volumine comprehendit, fuit probabiliter Esdras: idque fecit, ne libri, ob suam parvitatem deperderentur.

Caput XXXVIII

Oseas et Joel.

De libro Oseae. P. Critica. 496. Quis fuerit Oseas et quando prophetaverit.—497. Materia hujus libri.—498. Lingua et stylus.—499. Divina inspiratio.—500. Quomodo cum hac inspiratione concilietur mandatum quod Deus dedit Oseae ut sumeret uxorem fornicariam et faceret sibi filios fornicationum, (I, 2) et ut diligeret mulierem adulteram (III, 1)?—501. P. Exegetica. Exponantur haec loca (IV. 8): «Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.»: et (VI, 6): «Quia misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.»

496. Oseas *(Salvator)* fuit filius Beeri: Juxta S. Epiphanium et S. Isidorum Hisp. natus est Beelemot in tribu Isachar: sed juxta traditionem rabbinicam, fuit ex tribu Ruben, natusque est ad partem septentrionalem regni Israel: hanc traditionem confirmant, aramaismi libri, qui communes erant in illa regione Israelis, exacta notitia praedictae regionis, et quod regem Israel vocet *regem nostrum*. Prophetavit sub Ozia, Joatham, Achab et Ezechia regibus Juda, et sub Jeroboam II rege Israel, nempe ad an. 784 ad 727 ante Christum: vixit Samariae, et juxta plures mortuus est Beelemot.

497. Habet hic liber quatuordecim capita quae dividi possunt in duas partes: prima complectitur tria priora capita quae depingunt infidelitates Israel, duobus symbolis: unum est, prophetae matrimonium cum muliere fornicaria, ex qua habuit duos filios et unam filiam, qui nominibus propheticis designantur: primogenitus vocatur *Jezrahel* in memoriam exterminii domus Achab a Jehu in Jezrahel, et ad annuntiandam punitionem domus Jehu. Secundus filius vocatur *Non populus meus* ad significandam separationem inter Deum et populum suum: filia appellatur *Absque misericordia*, ad demonstrandum patientiam Dei usque ad extremum pervenisse. In secundo symbolo, ex mandato Dei, Oseas accipit in matrimonium mulierem adulteram, quae tamen aliquod tempus exspectare cogitur, ad vaticinandum Israelitas futuros esse sine regibus neque sacrificiis, usque ad eorum conversionem ad Deum.

Secunda pars, quae reliqua undecim capita complectitur, describit impietatem populi Israel, magnas calamitates quibus Deus eum puniturus est, et demum misericordiam Dei cum populo suo.

498. Hic liber exaratus fuit hebraice: sed haec lingua multis aramaismis admixta est in hoc libro. S. Hieronymus de Osea ait: «Commaticus est, et quasi per sententias loquens.» Primum et tertium caput, scripta sunt soluta oratione; reliqua autem poetice secundum leges parallelismi. Prosa ejus est concisa, elegans atque aptisima ad convincendum. Poesis vero optima est et efficax, quamvis liberioribus quibusdam imaginibus et symbolis utatur. Unde sub adspectu litterario, liber hic pulcherrimus est. Secunda pars, sub forma litteraria, obscurior est, atque difficilioris interpretationis, quapropter, nonnulli rationalistae dicunt hanc secundam partem esse collectionem diversarum sententiarum quae diversis auctoribus, diversis que aetatibus tribui debent. Sed hoc absque ullo fundamento dicitur. Probabilior est opinio Hengstemberg, dicentis hunc librum esse collectionem diversarum prophetiarum quas diversis temporibus scripsit unus atque idem auctor. Unitas styli favet huic opinioni.

499. Jesus Christus apud Matth. IX, 13, adducit in testimonium haec verba Oseae, VI, 6, «Misericordiam volo et non sacrificium.» Etiam haec verba Matth. II, 15, «Ex Aegypto vocavi filium meum» desumpta sunt ex Osea XI, 1. Demum

Apostolus ad Rom. IX, 25, scribit: «Sicut in Osea dictum est: Vocabo non plebem meam, plebem meam etc.» Etiam omnis traditio divinam hujus libri inspirationem agnoscit.

500. Quomodo cum hac divina inspiratione concilietur mandatum quod Deus dedit Oseae ut sumeret uxorem fornicariam et faceret sibi filios fornicationum (I, 2) et ut diligeret mulierem adulteram (III, 1).

Nonnulli interpretes putant, hic non agi de vera historia, sed de mera parabola. Tamen Patres generatim tuentur, hanc narrationem vere historicam esse, neque in ea aliquid inhonestum inveniri. Ait enim S. Hieronymus: «Nec culpandus propheta sed potius laudandus... ex quo intelligimus non prophetam perdidisse pudicitiam... ut quod in isto carnaliter legimus, a Deo factum spiritualiter etc.» (1) Et S. Augustinus scribit: «¿Quid enim habet adversum clementiae veritatis? quid inimicum fidei Christianae, si meretrix, relicta fornicatione, in castum conjugium commutetur?» (2) Idem dici potest de muliere adultera.

Demum juxta Patres, illud Oseae matrimonium figura et typus fuit triplicis connubii spiritualis. Figuravit enim, 1.° spirituale conjugium Dei cum populo Israel: 2.° item conjugium Christi cum carne nostra peccaminosa, quam Filius Dei, depuratam tamen, sibi univit et desponsavit per Incarnationem: 3.° item conjugium Christi cum Ecclesia, ex gentibus prius idololatriae deditis congregata. (3)

501. *P. Exegetica.* Exponantur haec loca, (IV, 8) «Peccata populi mei comedent, et ad iniquitatem eorum sublevabunt animas eorum.»

Hic *peccatum*, sumitur pro victima seu hostia pro peccato, ut ex. gr. II. Corinth. 21; et reprehenduntur sacerdotes qui cum hujusmodi hostiis et victimis optime viverent, nihil ad vitanda peccata faciebant, unde moraliter se ipsos reos constituebant peccatorum populi.

Exponatur etiam hic locus, (VI, 6) «Quia misericordiam volui et non sacrificium, et scientiam Dei plus quam holocausta.»

---

(1) *In Ose.* c. 1.

(2) *Contr. Faust.* Lib. XXII, c. 80.

(3) Conf. Schouppe, *Curs. Scrip. Sac.* P. II. Quast. 4. Difficult. Prophet. min.

Sensus est: Quia volo non tantum solemnitatem exteriorem sacrificiorum vestrorum, sed opera vestra bona, et verum Dei timorem plus quam holocausta.

De libro Joelis. P. Critica. 502. Notitiae biographicae Joelis. Qua aetate vixerit. Occasio prophetiae.—503. Argumentum.—504. Lingua et stylus.—505. Authentia et divina hujus libri inspiratio.—P. Exegetica. 506. Num vallis Josaphat sit certus et determinatus locus, et an ibi omnes homines a Deo judicandi sint.—507. Quomodo hic locus Joelis (II, 14): «¿Quis scit si Deus convertatur et ignoscat» concilietur cum illo Ezechielis (XVIII, 21) «Si impius egerit poenitentiam.... vita vivet.»

508. Exponatur hic locus, (II, 28): «Effundam spiritum meum super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.»

502. Ex inscriptione libri tantum scimus Joel fuisse filium Phatuel. Juxta S. Epiphanium et S. Isidorum Hisp., ejus locus natalis fuit Bethorom in tribu Ruben, inter Jerusalem et Caesaream. Nonnulli judaei crediderunt Joel fuisse filium Samuelis: alii censent fuisse de regno Juda, nam maxima pars libri agit de tribubus Juda et Benjamin. Quidam Patres ut S. Cyrillus Alex. et Theodoretus, docent prophetiam hanc referri ad utrumque regnum, nempe Judae et Israelis: sed juxta S. Hieronymum tantummodo refertur ad regnum Judae. Quod si quandoque de Israele loquitur, hoc nomine designat posteritatem Jacob.

Cum saepissime loquatur de sacrificiis eorumque ritibus, aliqui putarunt, hunc prophetam fuisse sacerdotem vel levitam.

Difficile est determinare qua aetate vixerit Joel, quamvis generatim credatur ejus prophetiam esse antiquissimam, et anteriorem Isaiae et Amos. Juxta communem opinionem Joel prophetavit primis annis regni Joas, quando adhuc hic erat sub directione Summi Sacerdotis Jojadae, et idcirco ante invasionem Hazael regis Syriae. Juxta S. Augustinum, cui consentiunt alii Patres, Joel prophetavit tempore regis Joatham. (1)

Occasio hujus prophetiae fuit terribilis quaedam invasio locustae, quae secum attulit famem in universa Judaea. Hanc locustae invasionem diversimode ab expositoribus interpretatur. S. Ephrem, S. Hieronymus et Paraphrasis chaldaica, intelligunt eam, de invasionem assyriorum, medorum, persarum, graecorum et romanorum: sed maxima pars interpretum hanc invasionem sensu litterali accipiunt, cum propheta non loquatur nisi de malis quae

(1) *De civit. Dei.* XVIII, 27.

contigerunt in campis et animalibus. Alii, duas opiniones conciliare contendunt, dicentes, invasionem locustae esse typum supremi Dei judicii quod propheta annuntiat.

503. Liber Joelis habet quatuor capita in textu hebraico, et tria in textu graeco et latino: sed materia contenta eadem est. Primo capite praedicit judaeis magnam inopiam atque famem, ex defectu pluviae et invasione locustae. Hortatur omnes ad poenitentiam. Capite 2.° denuo refert calamitatem invasionis locustae et hortatur populum ad poenitentiam, promittens ei amicitiam cum Deo et effusionem divini Spiritus. Proponit signa quae praecedent terribilem diem judici, affirmans salutem illorum qui invocaverint nomen Domini. Capite 3.° designatur locus ubi omnes homines judicandi sunt, nempe vallis Josaphat. Demum annuntiat destructionem Aegypti et Idumaeae, et gloriam Judaeae.

504. Joel librum suum hebraice scripsit, et de ejus elocutione scribit S. Augustinus: Joel omnia quae prophetat multis verbis compellit exponi, ut quae pertinent ad Christum et Ecclesiam dilucescant.» (1)

Stylus Joel est purus, vehemens et vere classicus: tantum eum superant Isaias et Habacuc. Praesertim descriptio invasionis locustae sublimis est; et etiam pulcherrima sunt quae scribit circa judicium Dei in universos homines.

505. Authentiam hujus libri nemo negavit. Quoad divinam inspirationem, S. Petrus, in die Pentecostes, ad demonstrandum judaeis, Apostolos mirabilia praedicantes ebrios non esse, sed ab Spiritu Sancto inspiratos, citat ad litteram, hunc locum Joel, cap. II, 28: «Effundam spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.»

Etiam in Ep. ad. Rom. et Apocal. allusiones fiunt ad hunc librum.

506 *P. Exegetica*. Num vallis Josaphat (III, 2) sit certus et determinatus locus, et an ibi homines a Deo judicandi sint.

Juxta etymologiam, *Vallis Josaphat*, idem est ac *Vallis judicii Dei*.

S. Hieronymus putat, vallem Josaphat sitam esse inter Jerusalem et montem olivarum. Juxta Vigouroux, probabiliter designat locum, ubi tempore regis Josaphat, Dominus liberavit populum e manibus inimicorum (II. Par. XX, 1-29.)

(1) *De Civit. Dei*. I, 30.

Si quaeratur an omnes homines in hoc determinato loco jucandi sint, Origenes, et postea S. Thomas et fere omnes interpretes putant, judicium simul futurum esse in omnibus partibus terrae, ubi homo exstitit: Dominus enim quasi fulgur, simul apparebit coram omnibus hominibus universae terrae.

S. Hilarius censet homines judicandos fore in monte Calvario, ut ibi Christus appareat plenus gloria et majestate, ubi opprobriis cummulatus est.

Non defuerunt qui docerent, per judicium in valle Josaphat, intelligendum esse gentilium ingressum in Ecclesiam per praedicationem: sed talis opinio omni prorsus caret fundamento.

507. Quomodo hic locus Joelis (II, 14) «Quis scit si Deus convertatur et ignoscat» concilietur cum illo Ezechielis (XVIII, 21) «Si impius egerit poenitentiam .. vita vivet?»

Ezechiel agit de culpa et poena aeterna, quae semper remittitur vere et sincere poenitentibus: Joel vero loquitur de quadam poena temporali, nempe de Judaeae destructione per chaldaeos; cujusmodi poena non semper a Deo remittitur, etiam supposita peccatorum poenitentia.

508. Exponatur hic locus, (II, 28.) «Effundam spiritum meum super omnem carnem: et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae.»

Sensus est: Effundam spiritum meum, seu inspirationem meam, super Apostolos meos (Act. II, 17) et super alios praedicatores, et martyres, et personas omnis generis et sexus, ut sic mundus ad veritatem convertatur.

Caput XXXIX

Amos et Abdias.

De libro Amos. P. Critica. 509. Quis fuerit Amos.—510. Quid ipsius liber contineat.—511. Lingua et stylus.—512. Authentia et divina inspiratio. —P. Exegetica. 513. Exponantur haec loca: (III, 2), «Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae; idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.»—514. (VII, 14): «Respondit Amos et dixit ad Amasiam: Non sum propheta, et non sum filius prophetae.»

509. Tertius inter minores prophetas est Amos, qui ut jam supra dictum est, distinguitur a patre Isaiae: nam nomen patris Isaiae pronunciatur *Amots;* nomen autem prophetae

Amos. Pastor fuit ex Thecue parva urbe in tribu Juda ad meridiem Jerusalem. Quidam dicunt Amos non fuisse merum et simplicem pastorem, sed multa ovilia pecorum quasi propria possedisse.

Tamen, communis opinio docet, Amos fuisse simplicem pastorem, et in hoc statu vocatum fuisse a Deo ut transiret in regnum Israel, et vaticinaretur adversus Israelitas ob sua crimina et infidelitates.

Juxta inscriptionem libri, prophetavit sub Ozia rege Judae et Jeroboam II, filio Joas regis Israel ante duos annos terraemotus. Hic terraemotus de quo etiam fit mentio (Zachar XIV, 5) contigit anno vigessimo quinto Oziae; unde Amos prophetare incepit anno vigesimo tertio Oziae.

Non obstantibus malis ac calamitatibus, quae secum attulerat super Israel invasio Hazael regis Syriae, regnum Israel, saltem exterius, ob peculiarem tactum Jeroboami II, florebat et crescebat; tamen in ordine morali, praevalebant luxus, avaritia divitum, injustitia erga pauperes, et praesertim idololatria. His de causis, propheta Amos transiit in Israel, et verbum Dei praedicavit praesertim in Bethel, ubi Jeroboam I constituerat idolum. Ob has praedicationes, et opera sacerdotum Bethel, Amos exulare cogitur. Ejus meminit Martyrologium Rom. sub die 31 Martii. juxta quod ex vulnere inflicto obiit: huic adhaerent sententiae plures Patres.

510. Habet hic liber novem capita: in primis praedicit calamitates quae venturae erant super Ammonitas, Philistaeos, Idumaeos, Judam et Israelem, ex manu cujusdam populi, quem quidem non nominat, sed innuit et satis declarat esse populum assyrium. Deinde reprehendit acriter vitia Israelis, huncque populum hortatur ad poenitentiam, asserens, secus, magna ei imminere infortunia, quod ostendit quibusdam visionibus symbolicis: prima est invasio locustae, quae repraesentat invasionem Benadad regis Syriae: secunda est ignis quae devoravit abyssum multam et partem populi; et significat vel repraesentat Teglathphalasar, qui in captivitatem duxit magnam partem decem tribuum: tertia est trulla caementarii ejecta in medio populi Israel, ad significandum, demolienda esse templa seu excelsa idolorum, et gladium Dei venturum super domum Jeroboam. Demum propheta blande loquitur, et consolatur populum promittens liberationem, felicitatem et gloriam per Messiam.

511. Liber hic scriptus est hebraice. Quoad stylum, juxta S. Hieronymum, Amos fuit «imperitus sermone sed non scientia.» Tamen secundum fere omnes interpretes, quamvis Amos promserit generatim imagines et figuras ex sua vita pastoritia, tamen stylus ejus est vivus, naturalis, vehemens et eloquentissimus, attentâ conditione Amos: unde S. Augustinus, loquens de stylo Amos ait: «Quapropter et eloquentes quidem, non solum sapientes, canonicos nostros auctores doctoresque fateamur tali eloquentia qualis personis ejusmodi congruebat.» (1)

512. Excepto Hobbes, nemo de authentia hujus prophetiae dubitavit. Nam saepe de seipso loquitur in prima persona, ut cum de visionibus agit vel proprias recenset persecutiones. Certum etiam est, quandoque in libro de Amos loqui in tertia persona, sed hoc non sufficit ut ipsi negemus libri compositionem quia hoc etiam contingit in Esdra, Jeremia et Daniel, et apud scriptores profanos in Tucidides et aliis.

In libro Tobiae, cap. II, 6, legimus: «Memorans illum sermonem, quem dicit Dominus per Amos prophetam: Dies festi vestri convertentur in lamentationem et luctum.» Amos VIII, 10; quae verba etiam citantur I Macha. I, 41. S. Stephanus proto-martyr coram Sanhedrin adducit haec verba Amos (V, 25 et seq.) «Numquid hostias et sacrificium obtulistis mihi in deserto quadraginta annis, domus Israel?» (Act. VII, 42). Juxta Act. XV, 15, S. Jacobus probat gentiles admittendos esse in Ecclesia ex Amos IX, 11 et seq.

513. *P. Exegetica.* Exponatur hic locus (III, 2): «Tantummodo vos cognovi ex omnibus cognationibus terrae; idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.»

Sensus est: Ex omnibus gentibus terrae, vos tantum elegi, ut essetis populus meus; unde vestrum animum ingratum eo dignius est punitione, quia peccata quae apud alios ignorantiae tribui possunt, apud vos sunt merae malitiae; idcirco acrius puniam iniquitates vestras. *Visitare*, idiotismus hebraicus est, qui hoc loco idem significat ac punire.

114. Exponatur etiam hic locus, (VII, 14): «Respondit Amos et dixit ad Amasiam: Non sum prophetae, et non sum filius prophetae.» ¿Nonne mentitus est Amos?

Sensus est: Prima meae vitae ratio seu officium, non fuit

(1) *De Doct. Christ.* Lib. IV, Cap. 7.

BIBLIOTECA PROVINCIAL PALENCIA

prophetare; sed armentarius ego sum et fui vellicans sycomoros: tamen Deus elegit me ut prophetarem super Israel.

515. *De libro Abdiae.* P. Critica. Quis fuerit Abdias et quo tempore prophetaverit.—516. Argumentum hujus libri.—517. Lingua et stylus.—518. Authentia et divina inspiratio.—519. P. Exegetica. Quomodo exponatur hic locus (I, 16): «Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter: et bibent, et absorbebunt, et erunt quasi non sint.»

515. Abdias *(servus Dei)* quartus est inter prophetas minores. S. Hieronymus refert hebraeorum traditionem qua credebatur, Abdiam fuisse illum prium villicum Achaz, qui in speluncis prope Samariam centum prophetas pavit, quos occidere intendebat Jezabel. Alii credunt Abdiam fuisse proselytum idumaeum, vel fortasse tertium ducem militum ab Ochozia missum ad Eliam. Ex ejus prophetia videtur inferri fuisse de regno Juda. S. Hieronymus mentionem facit de hujus prophetae sepulchro quod sua aetate in urbe Sebaste venerabatur, simul cum sepulchris Elisaei, et Joannis Baptistae.

Quoad tempus quo Abdias prophetaverit triplex est opinio. Prima juxta quam, haec prophetia posterior est an. 312 ant. J. C.; sed haec opinio omni destituitur fundamento.—Alii putant, Abdiam fuisse coaevum Jeremiae, ob affinitates inter prophetias utriusque, et quia Abdias vaticinatur destructionem Jerusalem a Chaldaeis.—Alii demum censent, Abdiam duobus circiter saeculis anteriorem fuisse Jeremiae, et paulo posteriorem Ossae et Joel: 1.° quia talis est sententia S. Ephrem, S. Hieronymi aliorumque Patrum: 2.° quia id ipsum postulat ipse ordo collocationis prophetarum in Canone; cum constet hunc ordinem chronologicum esse saltem quoad illos prophetas, quorum aetatem agnoscimus: 3.° quia lingua et stylus omnino distinguuntur ab stylo et lingua temporum proximorum captivitati; et 4.° quia hic liber adhuc supponit existens regnum decem tribuum.

516. Tota haec prophetia unico capite continetur quod quidem habet 21 versiculos, et refertur ad Idumaeos, quibus imminere mala annuntiat, quia judaeis auxilium non praestiterunt in irruptione arabum et philisthaeorum tempore Joram. Vaticinatur etiam ruinam idololatriae, et institutionem regni spiritualis a Christo.

Haec prophetia impleta est probabiliter a Nabuchodonoso-

re, cum regionem Edom pertransivit ad invadendum Aegyptum, et praesertim a Joanne Hircano, qui progeniei Esau omnino abstulit suum characterem nationalem.

Quoad argumentum hujus prophetiae ait S. Augustinus: «Abdias quantum ad scripturam ejus attinet, omnium brevissimus prophetarum adversus Idumaeam loquitur, gentem scilicet Esau, ex duobus geminis filiis Isaac, nepotibus Abrahae majoris illius reprobati. Porro si Idumaeam modo locutionis, quo intelligetur a parte totum accipiamus positam esse pro gentibus etc.» (1)

517. Liber hic exaratus est hebraice et metro. S. Hieronymus scribens ad Paulinum, ait: «Abdias parvus supputatione versuum non sensuum.» Stylus concisus est, et elegans, et generatim vaticinium est sublimissimum.

518. Nemo authentiam atque divinam inspirationem hujus prophetiae negavit, exceptis rationalistis ob characterem propheticum libri. Plurimae allusiones ad hunc librum inveniuntur apud Joel et Jeremiam.

519. *P. Exegetica.* Quomodo exponatur his locus, (I, 16): «Quomodo enim bibistis super montem sanctum meum, bibent omnes gentes jugiter: et bibent et absorbebunt, et erunt quasi non sint.»

Sensus est: Quomodo enim vos qui estis populi mei, et tamen bibistis calicem indignationis meae; ita etiam gentes idololatrae, hunc calicem bibebunt et ad nihilum redigentur.

Caput XL

Jonas et Michaeas

De libro Jonae. P. Critica. 520. Jonae historia. Num haec vera et realis sit, an tantum parabola vel mythus.—521. Divina inspiratio hujus libri.—522. Lingua et stylus.—523. P. Exegetica. Exponatur hic locus (I, 3): «Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini».—524. Quomodo concilietur conservatio urbis Ninive (Jon III) cum Tobiae prophetia de hujus urbis excidio Tob. XIV, 13.—525. ¿Est ne credibile quod legitur (III, 3): «Et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum.?»

520. Jonas (id est, *columba*) fuit filius Amathi: natus est Getopher in tribu Zabulon. Quidam putant, Jonam fuisse puerumt a

(1) *De civit. Dei.* lib. IV, cap. 33.

morte revocatum ad vitam per Eliam prophetam. Prophetavit aetate Oziae regis Judae et Jeroboami II regis Israel. Hic propheta mittitur a Deo Ninivem praedicare poenitentiam; sed cum jussa Dei facere noluerit, intendit a facie Dei fugere, et in Joppe navem conscendit, ut in Tharsis pergeret: sed vix Joppe nave soluta, Deus magnam immisit tempestatem, ad quam sedandam Jonas peccatum suum confessus est et in mare projectus. Sed immanis piscis prophetam in ventre excepit, et in ejus ventre, divina ope, triduo incolumis servatus est, et ad littora Palaestinae reductus et expositus. Implens jam praeceptum Domini pergit Ninivem, et coepit Ninivitas ad poenitentiam hortari, annuntians imminentem urbis ruinam nisi resipiscerent, dicens: «Adhuc quadraginta dies et Ninive subvertetur.» Sed tunc rex, tum subditi, terrore perculsi, in melius conversi sunt et Deus illis pepercit. Jonas aegre tulit quod suum vaticinium non adimpleretur: cumque ad umbram cujusdam arbusti sederet, Deus immisit vermem vel aliquod animalculum quod cito plantam arescere fecit; Jonas vehementer iratus est eo quod illa planta eum a solis aestu defenderet. Dominus illum reprehendit, quoniam dolebat de planta quam non plantaverat, et misericordiam non habebat 120.000 puerorum, qui erant in Ninive, quique nesciebant dexteram aut sinistram. Nescimus quo tempore, quove loco Jonas mortuus sit. Quidam opinantur sepulchrum hujus prophetae extare Get vel Getophes: juxta alios corpus Jonae Venetiis quiescit, et una ex ejus costis in Monte Cassino reperitur. Ecclesia Jonae commemorationem facit in Martyrologio sub die 21 Septembris.

Haec est hujus libri historia quatuor capitibus comprehensa.

Auctoritas historica libri Jonae a pluribus rationalistis negatur. Nam Blasche, de Wette, Semler, Michaelis, Paulus, Hardt, Rossemmuller, hunc librum habent vel ut somnium imaginarium, ut parabolam, ut veram historiam, sed poetarum licentia ornatam vel mythum. (1)

Itaque nos demonstrabimus veritatem historicam hujus libri.

1.° Si historia hujus libri non esset vera, non ut talis haberetur ab scriptoribus divinitus inspiratis; et tamen, ut talis habetur. Nam IV Reg. XIV, 25, legimus: «Ipse restituit terminos Israel ab introitu Emath, usque ad mare solitudinis, juxta sermonem

(1) Conf. *Curs. Theol.* P. Fernandez et Fernandez. Tom. II, pag. 291.

Domini Dei Israel, quem locutus est per servum suum Jonam filium Amathi propheta, qui erat de Geth, quae est in Opher.»

Christus Dominus ad redarguendos judaeos ait (Matth. XII, 39-40): «Qui respondens ait illis: Generatio mala et adultera signum quaerit: et signum non dabitur ei, nisi signum Jonae prophetae. Sicut enim fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus, et tribus noctibus: sic erit Filius hominis in corde terrae tribus diebus et tribus noctibus.» Et subjungit Salvator (ibid. 41): «Viri Ninivitae surgent in judicio cum generatione ista, et condemnabunt eam: quia poenitentiam egerunt in praedicatione Jonae: et ecce plus quam Jonas hic.»

2.° Si de traditione agatur, ex antiquis omnibus, nemo veritatem historicam hujus libri negavit praeter Porphirium. Hanc vocem traditionalem repraesentans ait S. Augustinus: «Jonas autem propheta non tam sermone Christum, quam sua quadam passione prophetavit: profecto apertius, quam si ejus mortem et resurrectionem voce clamaret. Ut quid enim exceptus est ventre belluino et die tertio redditus, nisi ut significaret Christum de profundo inferni die tertio rediturum? (1)

Ut adversarii negent veritatem historicam hujus libri, nullum aliud habent fundamentum, quam facta mirabilia de quibus in hoc libro fit mentio: sed minime probant hujusmodi facta esse impossibilia.

In primis, «nostris adversariis displicet factum», ut ait cl. P. Fernandez quod repugnat hominis vita sine alimentis, sine aere, etc.; verum haec, ni aspiciantur obvoluta odio, nihili fierent. a) Per plures menses homo vivit in utero matris: sic per miraculum fieri potuit in casu nostro. b) Nulla causa est miraculum rejiciendi. g) exempla plura habentur penes historicos, ut *Fornies* (Lexicon eruditor. Lipsiae, T. 12, p. 936), Rondeletium etc. etc. Sed audiatur Smus. August. qui (ep cit, 1. c.) quaestionem hanc longiori nostro exposuit sermone. Postquam verba Porphirii retulit et adjunxit «hoc genus quaestionis, multo cachinno a paganis graviter irrisum animadverti» addit «Multum miror hoc quod factum est de Jona eum *(Porph.)* pro incredibile posuisse: nisi forte facilius putat mortuum de sepulcro resuscitari, quam vivum in tam vasto ventre Belluae potuisse servari. Ut enim omittam commemorare quanta belluarum marina-

(1) *De civit. Dei.* lib. XVIII, c. 30.

rum ab eis, qui experti sunt indecetur: venter, quem costae illae muniebant, quae Carthagine in publico fixae populo notae sunt, quod homines in spatio suo capere posset, quis non conjiciat quanto hiatu patebat os illud, quod velut janua speluncae illius fuit? Nisi forte, ut posuit *(Porph.)* vestis esset impedimento, ne Jonas vorari posset illexus, quasi per angusta sese coactaverit, qui per abruptum aeris praecipitatus sic exceptus est, ut prius reciperetur ventre bestiae quam dente laceraretur. Quamquam Scriptura neque nudum neque vestitum in illud antrum dejectum esse dixerit, ut possit intelligi illuc etiam nudus irruisse... Sed habent revera quod non credant in divino miraculo, vaporem ventris quo cibi madescunt, potuisse ita temperari ut vitam hominis conservaret... Quapropter si nulla isti divina miracula volunt credere, alia disputatione refellendi sint. Neque enim debent unum aliquid tamquam incredibile proponere, et in quaestionem vocare, sed omnia quae vel talia, vel etiam mirabiliora narrantur. Et tamen si hoc quod de Jona scriptum est, Apulejus Madaurensis vel Apollonius Tyaneus fuisse diceretur... quos magos vel philosophos laudabiliter nominant... non jam in buccis creparet risus et typhus.» (1)

Si quaeratur genus piscis qui Jonam devoravit, alii putant fuisse balaenam; sed generatim creditur fuisse canem marinum (tiburon,) qui facilius corpus hominis devorare potest, quamvis non habeat magnitudinem balaenae. (2)

---

(1) *Curs. Theol. Introd. in Sac. Script.* Tract. I. Sect. III. Cap. VI. *De prophet. Jonae.*

(2) Ad rem Vigouroux: «Ignoramos la especie á que pertenecía el pescado que se tragó á Jonás. Se dice vulgarmente que era una ballena; pero además de ser esta muy rara en el Mediterráneo, tiene la garganta demasiado estrecha para que pueda pasar por ella un hombre entero. El texto sagrado no lo determina: dice simplemente *dag gadols* «un gran pez»; la Vulgata, *piscem grandem* y los Setenta κήτος, cf. San. Mat. XII, 40. Es verosimil que fuera una especie de tiburón muy voraz, *squalus carcharias Linnaei;* que abunda en el Mediterráneo y devora ávidamente cuanto puede cojer; se ha encontrado un caballo en el vientre de uno de estos peces, que pesaba cien quintales y fué cogido en la isla de Santa Margarita de Francia; y en el de otro, un hombre con su armadura. Mas interesante aún es el hecho siguiente: En 1758, durante una tempestad, cayó un marinero desde una fragata al mar. Un tiburón, que estaba muy cerca, cogió al momento al desgraciado que nadaba pidiendo socorro y la víctima desapareció al momento en su larga garganta. Mientras nadaba, algunos de sus camaradas se habían ya arrojado á una lancha para soco-

521. Divinam hujus libri inspirationem probant, omnia illa quae diximus de ejus auctoritate historica. Praeterea in omnibus Canonibus et versionibus invenitur ut liber proto-canonicus.

522. Liber hic hebraico idiomate scriptus est, quamvis quibusdam verbis chaldaicis admixtus. Cum liber Jonae sit proprie historicus, ideo exaratus non fuit illa elegantia quae communis est aliis prophetis.

523. *P. Exegetica.* Exponatur hic locus, (I, 3) «Et surrexit Jonas, ut fugeret in Tharsis a facie Domini.»

Certissimum est Jonam optime scivisse fugam a facie Domini esse impossibilem: unde Jonas ire renuit in Ninivem, timens, ne Deus Ninnivitis poenam remitteret, ob eorum poenitentiam; quod deinceps aliquo modo factum ostendit.

Quoad positionem geographicam, audi P. Fernandez: «Quaeritur ubinam fuerit Joppe et Tharsis, de quibus in libro? Circa quod diverse opinantur auctores. Sic ad rem Augustinus de secunda: «Tharsis civitatem quaesierunt docti, hoc est, quaenam civitas hoc nomine significaretur: et aliquibus visum est Ciliciam dictam esse Tharsis, ex eo quod metropolis ejus Tharsus dicitur... Aliqui autem Carthaginem intellexerunt,» (in Ps. 47, m. 6, T. 4, p. 536) cui postremae sententiae videtur consentire S. Doctor, documenta Scripturarum secundum version. alexandrinam allegans. Aliis videtur indicari Tartessum, Hispaniae nostrae urbem prope Gades (Cádiz): allii confundunt cum Tuneto (Túnez), quae abs dubio unum est apud antiquos cum Carthagine.» (1)

524. Quomodo concilietur conservatio urbis Ninive (Jon.

---

rrerle. En el mismo instante en que era devorado, el capitán del barco, testigo del accidente, tuvo bastante presencia de ánimo para ordenar que tirasen sobre el monstruo con un fusil que había sobre el puente. El tiro tuvo tan buen resultado que el tiburón escupió enseguida al marinero que tenía en la garganta: la víctima no estaba más que ligeramente herida, y fué recogida viva por la lancha: el pescado fue apresado por los demás marineros con harpones y cuerdas, subido á la fragata y colgado para secarle. El capitán se lo regaló enseguida al marinero tan favorecido por la Providencia, y éste comenzó á recorrer la Europa meridional. Del seno del monstruo que le había engullido, Jonás dirigió á Dios una tierna plegaria, en la que implora su perdón, y le promete obediencia.» *Manual. Biblic.* Art. Test. Lib. profet. Cap. VI. Art. V.

(1) Loc. sup. cit.

III) cum prophetia Tobiae de hujus urbis excidio? (Tob. XIV, 13.)

Prophetia Jonae tunc impleta non est, quia fuit conditionalis: nam Ninivitae poenitentiam egerunt. Sed cum postmodum ad sua scelera reversi essent, prophetia tum Jonae tum Tobiae adimpleta est, dum exitium civitatis Ninive Deus inflixit, per exercitus Nabopolassar et Astyages.

525. ¿Est ne credibile quod legitur, (III, 3) «Et Ninive erat civitas magna itinere trium dierum.»?

Hic civitas intelligitur cum omnibus suburbiis quae multum spatium loci occupabant. (1)

526. *De libro Michaeae.* P. Critica. Quis fuerit Michaeas.—527. Quid ejus liber contineat.—528. Lingua et stylus.—529. Integritas et divina inspiratio hujus libri.—530. P. Exegetica. Exponatur hic locus, (IV, 1): «Et erit: In novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi.»—531. Exponatur etiam hic locus, (V, 2): Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te enim mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.»

526. Michaeas *(quis sicut Dominus)* nomen est duorum prophetarum: alter fuit filius Jerulae qui vixit aetate Eliae et Elisaei, et annuntiavit impio Achab, stragem exercitus et sui

(1) Ad rem Iltmus. Torres Amat: «Según dice el historiador gentil Herodoto (Lib. I.) los asirios dominaron en el Asia superior por espacio de quininientos veinte años, antes de levantarse el imperio de los Medos: y añade que aún después de eso continuó Nínive, capital de la Asiria, en un estado de grande explendor, hasta que se apoderó de ella *Ciajar*: lo que fué según Josefo (lib. X, Ant. c. 6) en tiempo de Josías, rey de Judá. Tanto Herodoto como Ctecias, Diodoro de Sicilia y demás historiadores gentiles convienen en que Nínive era una ciudad opulentísima y populosa, en la época en que Jonás vivía y muchos siglos antes. Cuando se dice que Nínive tenía tres días de largo ó de circuito, debe entenderse que se necesitaba para rodearla, con todos los arrabales y lugares dependientes de ella; y que antiguamente las grandes poblaciones solían dilatarse á lo largo, ó en las orillas de caudalosos ríos ó valles, teniendo cada familia una porción de tierra para cultivo y pasto de los ganados. Y así escribe Aristóteles (Polit. lib. III, c. 2) que cuando Babilonia fué tomada por Alejandro, al tercer día de haber entrado el enemigo, aún no lo sabía una parte de la ciudad. Tácito (Ann. lib. XI. c. 19) dice que la ciudad de Tebas en Egipto, tenía setecientos mil hombres en estado de tomar las armas, lo que supone tres millones y medio de habitantes.» *Sac. Bibl.*

ipsius mortem, ut refertur 3.° Reg. XXII, 5 et seq. Propheta minor de quo hic agimus, vixit sequenti saeculo, ex Morasthi vel Maresa Palaestinae prope Eleutheropolim, in tribu Juda. Fuit coaevus Isaiae, et prophetavit sub regibus Joatham, Achaz et Ezechia. In Martyrologio, sanctis adscribitur die 15 Januarii. S. Hieronymus ait suo tempore adhuc extitisse sepulchrum hujus prophetae in pago Morasthi; Zozomenus refert, aetate Theodosii Magni, revelatum fuisse Zebeno episcopo Eleutheropolitano, locum sepulchri Michaeae.

527. Tota haec prophetia septem capitibus continetur, eaque est adversus regna Judae et Israelis, et praecipuas urbes, nempe Jerusalem et Samariam, quarum excidium clarissime praedicit. Nam de Samaria dicit: «Et ponam Samariam quasi acervum lapidum in agro cum plantatur vinea: et detraham in vallem lapides ejus et fundamenta ejus revelabo.» (I, 6). Et Jerusalem excidium sic describit: «Propter hoc causa vestri Sion quasi ager arabitur, et Jerusalem quasi acervus lapidum erit, et mons templi in excelsa sylvarum.» (III, 12). Loquitur etiam propheta adversus idololatriam, iniquitates judicum aliaque vitia atque peccata judaeorum. Demum praedicit venturum Messiam, eumque nasciturum in Bethlehem.

528. Hic liber hebraice scriptus est: stylus elegans est atque sublimis, ita ut comparari possit cum ipso Isaia.

529. Quidam rationalistae ut Justi, Eichhorn et Bertholdt, negant saltem duo postrema capita esse Michaeae, ob diversitatem styli si comparentur cum reliquis capitibus: et praeterea rationalistae omnes divinam hujus libri inspirationem rejiciunt. Sed, tum authentia, tum divina libri inspiratio probantur. 1.° ex ipsa libri inscriptione: 2.° quia Michaeas de seipso loquitur prima persona, ex. gr.: «Utinam non essem vir habens spiritum... (II, 11) et «Ego repletus sum fortitudine spiritus Domini... (III, 8.) 3.° Isaias describens montem Domini ad quem fluent omnes gentes (II, 2 et seq.) fere ad litteram adducit verba Michaeae (IV, 2); Jeremias scribit (XXVI, 18): «Michaeas de Morasthi fuit propheta in diebus Ezechiae, regis Juda, et ait ad omnem populum Juda, dicens: haec dicit Dominus: Sion quasi ager arabitur etc.» quae verba desumpta sunt ex cap. III, 12 Michaeae. 4.° Principes sacerdotum, consulente Herode, produxerunt testimonium nativitatis Messiae ex Michaea. 5.° Postremo, omnis traditio tum judaea tum christiana unanimiter



hunc librum tribuit Michaeae, illumque habet ut divinitus inspiratum.

530. *P. Exegetica.* Exponatur his locus (IV, 1): «Et erit: In novissimo dierum erit mons domus Domini praeparatus in vertice montium, et sublimis super colles: et fluent ad eum populi.»

Sensus est juxta Patres: In novissimo dierum, id est, quando finietur Vetus Testamentum, aedificabitur domus, seu Ecclesia catholica, ad quam fluent omnes gentes et omnes populi.

531. Exponatur etiam hic locus, (V, 2): «Et tu Bethlehem Ephrata parvulus est in millibus Juda, ex te enim mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et egressus ejus ab initio, a diebus aeternitatis.»

Bethlehem vocabatur etiam Ephrata (Gen. XXXV, 16), ut distingueretur ab alia Bethlehem quae erat in tribu Zabulon (Jos. XXIX, 30.) Hic propheta clarissime designat locum nativitatis Messiae, ut constat etiam ex Matth. II, 6. Nasciturum vero esse Messiam, seu Filium Dei, ex illis verbis infertur: «Ex te enim mihi egredietur qui sit dominator in Israel, et *egressus ejus ab initio*, a *diebus aeternitatis.*»

Caput XLI

Nahum et Habacuc

532. *De libro Nahum.* P. Critica. Quis fuerit et quo tempore vixerit Nahum.—533. Summa hujus libri.—534. Lingua et stylus.—535. Divina inspiratio.—536. P. Exegetica. Exponatur hic locus (II, 2): «Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel.»

532. Nahum (*consolator*) juxta inscriptionem libri fuit Elcesaeus: «Quidam putant, ait S. Hieronymus, Elcesaeum patrem esse Nahum et secundum hebraeam traditionem, etiam ipsum prophetam fuisse. Cum Elcesi usque hodie in Galilaea viculus sit, parvus quidem et vix ruinis veterum aedificiorum indicans vestigia, sed tamen notus Judaeis, et mihi quoque a circumducente monstratus.» (1)

Quoad tempus quo hic propheta vixit, diversae sunt opinio-

(1) *Prol. in Nahum.*

nes. Sincello G. opinatur Nahum prophetasse aetate Manasses, simul cum Joel, Abdias et Jonas. Josephus censet, hunc prophetam vixisse ad finem regni Joatham. Sed ex modernis observationibus infertur Nahum prophetasse circa 665 ant. J. C., quia innuere videtur paulo ante destructam fuisse in Aegypto civitatem Noamon, ex cultu Dei Amon, quae civitas in Vulgata dicitur Alexandria; sed hodie ex Annalibus Assurbanipal scimus praedictam civitatem fuisse Thebem. S. Hieronymus aequivocationem passus est quia tempore Nahum adhuc non erat civitas Alexandriae. Nihil amplius scimus de Nahum, nisi quod ejus sepulchrum visebatur prope Emmaus in loco qui dicitur Giblin, antiquitus vero Bethogabrum. Martyrologium Romanum ejus commemorationem facit sub die prima Decembris.

533. Continet hic liber tria capita, in quibus propheta loquitur adversus Ninivem et nationem Assyriorum. Scimus civitatem Ninive, ad praedicationem Jonae, poenitentiam egisse. Sed denuo in praeterita peccata lapsa est, et Deus irrevocabiliter ejus destructionem decrevit a chaldaeis et medis. Nahum praedicit hoc excidium ipsumque describit. Jam vero, anno vigesimo quinto post Jonae praedicationem, civitas Ninive capta et fere omnino destructa est, regnante Sardanapalo, qui seipsum occidit ne ab hostibus occideretur. Sequentibus regnis, denuo satis floruit, donec Nabopolassar, pater Nabuchodonosor, una cum Astyage, avo Cyri, eam expugnavit et in ruinas vertit.

534. Liber hic hebraice scriptus est: stylus est elegans atque sublimis, unde omnes interpretes fatentur, inter prophetas minores eloquentissimum esse Nahum. Pulcherrima est descriptio exercitus chaldaeorum properantium ad Ninivem destruendam: expugnatio Ninive, militum ac populi strages etc.

535. Hujus libri autenthiam nemo negat: e contra inventa archaeologica moderna, saltem indirectee confirmant attentis charactibus intrinsecis prophetiae, quia in illa agitur de oppressione Judae a Sennacherib tempore Ezechiae, et hoc optime cum destructione Thebes, quae probabiliter contigit anno 14 Ezechiae, convenit.

Divina inspiratio constat et traditione judaea et Christiana.

536. *P. Exegetica* Exponatur hic locus (II, 2) «Quia reddidit Dominus superbiam Jacob, sicut superbiam Israel.»

Diversimode hic versus exponitur; juxta aliquos sensus est: «Quia si Deus humiliavit superbiam Jacob et superbiam Israel,

ctiam confringet superbiam assyriorum. Vel Deus humiliabit superbiam assyriorum, qui adeo crudeles fuerunt cum judaeis. Juxta LXX, sensus est: «Dominus tollet ignominiam Jacob, sicut et ignominiam Israel.»

537. *De libro Habacuc.* P. Critica. De vita et aetate hujus prophetae. Num distinguatur ab illo qui capillo capitis sui fuit ab Angelo adsportatus.—538. Generalis descriptio libri.—539. Lingua et stylus.—540. Divina inspiratio.—541. P. Exegetica. Exponantur haec loca; (III, 2) «Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud: in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiae recordaveris.» et v. 3, «Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharan.»

537. Orthographia nominis hujus prophetae valde incerta est: nam S. Hieronymus scribit *Abacuc*, S. Augustinus vero *Ambacuc*. Non est minus incerta historia Habacuc. Juxta S. Isidorum Hisp. fuit ex agro Bethsacor in tribu Simeon. In versione syro-exaplari, cum agitur de historia idoli Bel, absolute asseritur Habacuc fuisse levitam, et hoc quidam inferre volunt, ex ult. vers. prophetiae: «Et super excelsa mea deducet me victor in psalmis canentem»; qui tamen textus, ut bene habet Cornely, nihil probat, cum quis hymnus canere possit quin sit ex tribu Levi.

Difficile est determinare tempus quo vixit Habacuc. Quidam ex his verbis, v. 6, cap. I, «Quia ecce ego suscitabo chaldaeos, gentem amaram, et velocem, ambulantem super latitudinem terrae, ut possideat tabernacula non sua» inferunt Habacuc ante captivitatem Babylonicam scripsisse et ideo esse distinctum ab eo qui ab angelo portatus fuit, ut Danieli alimentum ferret. Tamen, S. Hieronymus contrariam tuetur sententiam; quia juxta ipsum, Habacuc propheta jam senes, potuit usque ad aetatem Danielis vivere. Hiltzig affirmat Habacuc prophetasse, cum Nabuchodonosor parasset suos exercitus: Blek et Staetiehim fere eamdem opinionem tenent excepta parva differentia quorumdam annorum. Delitsch putat Habacuc ante Jeremiam et Sophoniam scripsisse, aetate regis Jossiae, anno 640 ant. J. C. Demum Vigouroux censet, aetatem prophetiae Habacuc, esse 609 vel 606 an. ante Christum, nam invasionem Chaldaeorum habet ut proximam. Ejus memoria habetur in Martyrologio die 15 Januarii et Zozomenus docet, aetate Theo-

dosii Magni inventum fuisse corpus ejus prope Eleutheropolim.

538. Tribus capitibus constat haec prophetia, et in duas partes dividi potest: 1.ª quae complectitur duo priora capita, dialogus est inter Deum et prophetam, circa captivitatem Judaeorum a Chaldaeis, et etiam circa horum ruinam: in 2.ª parte quae continet cap. III, orat Deum pro populo, describit majestatem Dei qui venturus est judicare mundum, et tremit coram eo, sed demum accentibus laetitiae finitur prophetia.

539. Stylus Habacuc poeticus est. Quinque *Vae* quibus damnantur quinque praecipua crimina Chaldaeorum, nempe eorum ambitio, aviditas, crudelitas, intemperantia et idololatria, totidem strophas continent quarum quaelibet habet tres versus. Oratio cap. III, est magnifica, ob suas imagines, sublimitatem idearum, et elegantiam locutionis; unde nullus alius propheta melius quam Habacuc scripsit.

540. Divina hujus libri inspiratio constat, in primis, ex traditione Judaea et Christiana. Praeterea Apostolus in synagoga Antiochiae Pisidiae (Act. XIII, 41), ad Rom. I, 17; Gal. III, 11 et Hebr. X, 37 evidenter ad prophetiam Habacuc alludit. S. Hieronymus vocat hunc librum *Manifestissimam de Christo prophetiam.*»

541. Exponantur haec loca: (III, 2) «Domine opus tuum in medio annorum vivifica illud; in medio annorum notum facies: cum iratus fueris, misericordiae recordaveris.» et v. 3: «Deus ab Austro veniet, et sanctus de monte Pharam.»

Opus de quo agitur primo loco, est opus Incarnationis, Redemptionis, Passionis D. N. J. Christi, et praedicationis Evangelii. Propheta postulat ut hoc opus fiat tempore assignato, seu *in medio annorum*: septuaginta interpretes, haec postrema verba vertunt, *in medio duorum animalium*. Sed S. Hieronymus et Ecclesia romana in officio divino primam interpretationem sequuntur. *In medio annorum* significare potest, vel *in medio hebdomadae Danielis*, vel *in medio omnium annorum mundi*, ita ut quot anni transierint a creatione hominis ad Christum, tot futuri sint, a Cristo usque ad universale judicium: sed haec interpretatio mathematica ab omnibus generatim rejicitur secus aetas judicii universalis non esset hominibus incerta.

Alter vero versiculus, a S. Hieronymo et Theodoreto sic exponitur: Ille ipse Deus qui olim apparuit in montibus Sinai

et Pharan qui sunt ad Austrum respectu Judaeae, veniet a Bethlehem quae est ad Austrum respectu Jerusalem. Alii hunc locum intelligunt de Cyro et Dario qui ad liberandos judaeos venturi erant de Media et Persia quae sunt ad Austrum respectu Chaldaeae.

Caput XLII

Sophonias et Aggaeus

542. *De libro Sophoniae.* P. Critica. Quis fuerit Sophonias.—543. Ejus libri summa.—544. Lingua et stylus.—545. Authentia et divina inspiratio. —546. P. Exegetica. De qua die intelligenda sint ea quae dicuntur cap. I, v. 14 et seq.

542. Sophonias (*absconditus Domini*) ex agro Sabarath in tribu Simeon, fuit ex illustri familia, utpote filius Chusi, filii Godoliae, filii Amariae, filii Ezechiae. Prophetavit Sophonias aetate Josiae regis Judae, paulo ante captivitatem Babylonicam; nam ex v. 4 cap. I, infertur extitisse cultum Baal. Fuit ergo coaevus Jeremiae, et hinc magnae affinitates inter utrumque. Memoria hujus prophetae habetur in Martyrologio die 3 Decembris.

Quoad stirpem Sophoniae, S. Cirylus Alex. et S. Hieronymus dicunt fuisse *ex gloriosa stirpe.* Plures interpretes moderni asserunt, fuisse de stirpe regia quia ille Ezechias, qui in sua genealogia invenitur, fuit non modo aliquis homo illustris sed ipsemet rex Ezechias.

543. Tria continet capita: in primo praedicit proximam ruinam Jerusalem per Chaldaeos, ob idololatriam et alia peccata hebraeorum: secundo capite repetitur hoc idem vaticinium, hortatur populum ad poenitentiam et annuntiatur exterminium philisthaeorum, moabitarum, ammonitarum, aethiopum et assyriorum: in 3.° capite reprehendit propheta Jerusalem ob sua peccata, et promittit fidelibus sanctificationem veramque libertatem per Messiam.

544. Liber hebraice exaratus est. Quidam moderni, qui, ut ait Cornely, sibi proposuerunt deprimere meritum prophetiae Sophoniae, dicunt ejus stylum esse languidum et nihil poeticum: sed ex ipsa libri attenta lectione, et ex testimoniis Cor-

nely, Vigouroux, Fernandez etc constat stylum Sophoniae esse elegantem, facilem et vivum quamvis inferiorem Isaiae, Nahum et Habacuc.

545. Autenthiam hujus libri negarunt, Thenier qui supponit aliquam partem hujus libri scriptam fuisse post destructionem templi et Jerusalem. Similem opinionem secutus est Hitzig, qui censebat saltem maximam partem cap. III scriptam fuisse multo post Sophoniam. Sed hae duae opiniones ab omnibus rejiciuntur. «Immo aliqui, ut ait P. Fernandez, peccaverunt addentes alium librum, quem ab eodem scriptum dixerunt. Clem. Alex. (Strom 5) producit testimonium quod reperiri non potest in libro Sophoniae. Auctor synopseos Athanasianae qui aliquando falsa sequitur, librum quoque apocryphum ipsi tribuit. Vel ipse Nicephorus (Sticometrios, n. 9) aliam reperit prophetiam cujus meminit nemo.»

Divina vero inspiratio libri Sophoniae, constat ex traditione judaea et Christiana.

546. *P. Exegetica.* De qua die intelligenda sint haec verba cap. I, v. 14-16: «Juxta est dies Domini magnus, juxta et velox nimis, vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies irae dies illa, dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis. Dies tubae et clangoris super civitates munitas, et super angulos excelsos.»

Ecclesia in Officio Defunctorum, haec verba applicat terribili diei judicii: et S. Hieronymus docet, ea quae praedictis verbis significantur esse imaginem illius postremae diei.

547. *De libro Aggaei.* P. Critica. Quis fuerit Aggaeus et quo tempore vixerit et prophetaverit.—548. Lingua et stylus.—549. Authentia et divina inspiratio. P. Exegetica.—550. Quae prophetia contineatur, cap. II, v. 3-10. Videtur hanc prophetiam non esse adimpletam, quia J. C. non est ingressus templum Zorobabelis, sed templum ab Herode reaedificatum.—551. Quomodo Aggaeus (II, 7) dicere potuit, «Adhuc unum modicum etc... et veniet desideratus cunctis gentibus,» cum tamen ab anno secundo Darii Hystaspis, quo haec prophetia edita est usque ad Christi adventum fluxerint anni plus quam quingenti.

547. Aggaeus *(festivus)* juxta aliquos interpretes et Patres natus est Babylone et venit con Zorobabel; sed juxta communem opinionem, posterior fuit captivitati. Juxta Thalmud A-

ggaeus erat membrum magnae Synagogae. Ex S. Isidoro Hisp. scimus sepultum fuisse in sepulchro sacerdotum, ex quo infertur hunc prophetam fuisse de tribu Levi.

Prophetavit anno secundo Darii filii Hystaspis, paulo ante Zachariam (an. 540 ad 500 ant. J. C.) Duo capita habet haec prophetia quae sequens argumentum continet. Quamvis hi, qui vi decreti Cyri, venerant de captivitate in Jerusalem inciperent sub directione Zorobabel et Summi Sacerdotis Josue, reaedificationem templi in ruinam conversi a Nabuchodonosor, tamen eorum paupertas et oppositio Samaritanorum, causae fuerunt, ut fere desisterent ab opere incoepto, quoad templum, non vero quoad civitatem. Tunc Deus suscitavit prophetam Aggaeum ut hortaretur populum; propheta ostendit Judaeis, egestatum, famem, aliasque calamitates quibus infligebantur a Deo mitti, eo quod destitissent a constructione templi. Tunc opus reaedificationis templi denuo incoeptum est. Sed cum senes qui vetus magnificum templum viderant, tristitia afficerentur ob paupertatem novi templi, eos solatur hac notabilissima prophetia : «Quia haec dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam. Et movebo omnes gentes *et veniet desideratus cunctis gentibus*, et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.... Magna erit gloria domus istius novissimae quam primae.» Haec prophetia convincere deberet Judaeos quoad adventum Messiae; nam agnoscunt in Aggaeo characterem propheticum, et templum illud amplius non existit.

Denuo propheta loquitur ad populum mense noveno secundi anni regni Darii Hystaspis, ejus vitia reprehendens, et specialissimum divinum juvamen promittit Zorobabeli, inter ruinas et calamitates populorum et imperiorum; ubi datur in telligi, prophetam loqui de Messia figurato per Zorobabelem.

548. Lingua hujus libri est hebraica. Stylus ejus elegans est atque sublimis in quibusdam partibus, quamvis generatim inferior sublimioribus prophetis. Non raro imitatur Michaeam et Amos, in electione imaginum.

549. Authentiam hujus libri nemo cum fundamento negavit: nam quamvis liber quandoque loquatur de Aggaeo tertia persona, hoc non est sufficiens motivum ut ipsi abjudicetur compositio hujus libri.

Quoad divinam inspirationem, praeter traditionem judaicam

et Chistianam, plura habemus in Sacris libris testimonia. Sic Esdr. V-1 legimus: «Prophetaverunt autem Aggaeus propheta, et Zacharias etc.» Et in eodem libro, VI, 14: «Seniores autem judaeorum aedificabant juxta prophetiam Aggaei prophetae etc.» Auctor Ecclesiastici XL, 13, utitur quibusdam verbis Aggaei ad honorandum Zorobabelem. Apostolus ad Heb. XII, 26, ut hortaretur judaeos ad obediendum Deo, citat haec verba Aggaei, II, 7. «Et ego commovebo coelum et terram etc.» Demum aliqui Psalmi tribuuntur Aggaeo: hoc de Psalmo CXLV videtur certum.

543. *P. Exegetica.* Quae Prophetia contineatur, cap. II, v. 3-10 verbis sup. citatis? Continetur evidens prophetia de adventu Messiae. *Nam desideratus cunctis gentibus* nemo alius esse poterat nisi Messias. Praeterea dicitur secundi templi majorem futuram esse gloriam quam primi; quod significat secundum templum ingressurum fore ipsam personam Verbi Incarnati, cum in primo templo non nisi *gloria* Dei appareret in nube. Hoc confirmatur his verbis Malachiae, III, 1 et seq. «Et statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quaeritis, et Angelus Testamenti quem vos vultis.»

Juxta rationalistas, propheta repetit secundi templi gloriam, non ex Messiae praesentia sed ex copia et affluentia divitiarum. Nam seniores Juda flebant ideo quia videbant templum a Zorobabele reaedificatum multum distare a magnificentia et divitiis templo Salomonis, quod eruitur ex verbis quae sequuntur: «Meum est aurum et meum et argentum.»

Sed hujusmodi interpretatio contraria est omni traditioni judaeorum et christianorum. Praeterea secundum templum, non obstantibus muneribus regum Persarum, et praesertim, Herodis, spectata divitiarum affluentia semper in immensum distetit a templo Salomonico.

Addunt rationalistae, prophetiam hanc non esse adimpletam, quia Jesuschristus non est ingressus templum Zorobabelis sed templum reaedificatum ab Herode.

Dicendum est, Herodem non omnino evertisse templum Zorobabelis ad novum aedificandum, sed aliquam ejus partem conservasse. Alii cum Vigouroux asserunt prophetam locutum fuisse de templo veri Dei in Jerusalem; quae interpretatio congruit versioni LXX, ubi legitur; «Et gloria posterior hujus domus erit major quam gloria prima.» Unde templum Salomonis, Zo-

robabelis et Herodis habentur ut una eademque domus Dei. Certe non datur identitas physica inter haec templa, sed utique moralis.

Postremo rationalistae, ut aliquo modo vim adimant huic prophetiae, dicunt hanc prophetiam scriptam fuisse non aetate Darii Hystaspis, sed post centum annos aetate Darii Nothi.

Sed hoc falsum est; nam Aggeus, Zorobabelem et Jesum adhuc viventes supponit, et etiam plures seniores qui magnificentiam templi Salomonici viderant; hi vero, usque ad tempore Darii Nothi pervenire non potuerunt, quin unusquisque eorum haberet ducentos annos, quod incredibile est.

Etiamsi supponatur, hunc librum scriptum fuisse tempore Darii Nothi semper continebit veram prophetiam quae suum habuit adimplementum.

551. Quomodo Aggaeus (II, 7) dicere potuit; «Adhuc unum modicum est... et veniet desideratus cunctis gentibus» cum tamen ab anno secundo Darii Hystaspis, quo haec prophetia edita est, usque ad Christi adventum fluxerint anni plus quam quinquenti?

Hoc ex natura visionis propheticae pendet, vi cujus prophetae illa quae erant futura et remota, vident quasi proxima vel praesentia; plura sunt exempla hujus generis apud prophetas.

Haec alia responsio dari potest cum Schouppe: «Hoc spatium *modicum* est, respectu temporis elapsi ab orbe condito; item *modicum* respectu legis Christianae ad finem usque mundi duraturae: quae tamen duratio et ipsa in sacris Litteris *hora* vocatur: *Filioli, novissima hora est.*» Joan. II, 18.

Caput XLIII

Zacharias et Malachias.

De libro Zachariae. P. Critica.—552. Quis fuerit Zacharias.—553. Quo tempore prophetaverit.—554. Argumentum libri.—555. Lingua et stylus.—556. Authentia et divina inspiratio.--557. Ojectiones: 1.ª Matthaeus (XXVIII, 9) non ad Zachariam sed ad Jeremiam alludit, dum de proditione et venditione Jesu loquitur: ergo cap. XI Zachariae et idcirco reliqua quae sequuntur non erant in libro Zachariae tempore Jesu Christi. 2.ª Haec ultima pars scripta fuit, procul dubio, ante captivitatem; in ea namque damnantur dololatria de qua nec vestigium erat temporibus immediate sequentibus

captivitatem, et insuper loquitur de duobus regnis Judae et Israelis quae post captivitatem jam amplius non extabant. 3.ª Stylus hujus postremae partis valde differt a caeteris capitibus libri.—558. P. Exegetica. Exponantur visiones Zachariae. Commentaria in prophetias messianicas hujus libri.

552. Juxta inscriptionem libri, Zacharias fuit filius Barachiae filii Addo. Cum I Esdr. V, 1, dicatur tantum, fuisse filium Addo, aliqua discrepantia est inter interpretes. Juxta aliquos, Esdras vocat Zachariam filium Addo, quia mos erat apud Judaeos appellandi filium etiam nepotem; et Esdras tantummodo nominat Addo, quia hic ob suam celebritatem magis honorabat familiam, quam filius suus Barachias. Videtur S. Hieronymum supponere patrem Zachariae duo nomina habuisse; nempe Addo et Barachiam. S. Cyrillus Alex. censet, Barachiam fuisse patrem Zachariae secundum carnem; et Addo secundum spiritum, quia fuit ejus magister. Cornely rejicit opinionem S. Hieronymi asserentis, Addo fuisse illum prophetam qui vitam dedit brachio Jeroboam quod arefactum est eo quod altare destrueret. Probabilius Addo erat caput cujusdam principalis familiae sacerdotalis, ex his quae venerunt de captivitate cum Zorobabel, et fuit membrum magnae Synagogae. Non debet confundi Zacharias propheta, nec cum patre S. Joannis Baptistae, nec cum illo Zacharia quem occidere jussit rex Joas.

553. Zacharias prophetavit aetate Darii Hystaspis, et fuit coaevus Aggaeo.

Nihil amplius scimus de vita et morte prophetae Zachariae.

554. Paucis verbis, S. Hieronymus, argumentum hujus libri complexus est scribens: «Zacharias memor Domini sui, multiplex in prophetia, Jesum vestibus sordidis indutum, et lapidem oculorum septem; candelabrumque aureum cum totidem lucernis quot oculis; duas quoque olivas a sinistris lampadis cernit et dextris: ut post equos nigros, rufos, albos et varios, et dissipatas quadrigas ex Ephraim, et equum de Jerusalem, pauperem regem vaticinetur et praedicet sedentem super pullum, filium asinae subjugalis.»

Haec propetia quae quatuordecim capitibus continetur, dividi potest in introductionem, et tres partes; sex prioribus versibus cap. I, qui introductionem efformant, ostendit propheta missionem quam a Deo accepit hortandi populum ad poenitentiam et conversionem. In prima parte quae comprehendit reliqua prioris capitis, et quinque sequentia capita, inveniuntur septem visiones

symbolicae, quae repraesentant terminum raedificationis templi, instaurationem theocratiae et futuram destinationem judaeorum. Secunda pars complectitur cap. VII et VIII, ubi Zacharias respondens his qui missi fuerant de Bethel, ut eum interrogarent circa jejunium institutum in memoriam destructionis templi et civitatis, dicit eis, in nomine Domini, magis Deo placere submissionem et obedientiam quam jejunium. Tertia pars quae comprehendit reliqua capita libri, agit de instauratione theocratiae, de ruina inimicorum populi Dei, et de felicissimo regno Messiae. Postea aliqua speciatim dicemus de his quae directe ad Messiam seu Christum referuntur.

555. Liber hic scriptus est lingua hebraica haud immuni a chaldaismis. In prima parte stylus est prosaicus et simplex: in secunda valde elegantior et sublimior: tertia pars scripta est poetice: abundat tropis, allegoriis et aenigmatibus, quae tamen non semper complete evolvuntur; propter quod obcurissima est haec prophetia.

556. Negant authentiam seu genuinitatem tertiae partis hujus libri, inter anglos Mede, Brigde, Nemone, Whiston, etc. et inter germanos, Bauer, de Wette, Michaelis, Bertholdt, Rosemuller, Paulus aliique. Eorum argumenta videbimus id solutione objectorum.

Probatur ergo authentia tertiae partis, et ideo unitas libri.

1.° In Sacra Scriptura, et praesertim in N. T. saepius citantur verba Zachariae sub nomine *prophetae*, et quidem verba desumpta ex tertia parte libri: atqui non est alius propheta qui illa verba referat: ergo tum illa verba tertiae partis, sicut et prima et secunda pars, sunt unius et ejusdem Zachariae.

2.° Ex traditione judaica: nam in hodierno canone certum est judaeos librum integrum Zachariae tribuere: ex alia parte, est etiam certum canonem antiquum hodierno convenire, ut ostendunt versiones, codices et interpretes omnis aetatis.

Idem dicendum de traditione christiana: nam apud omnes canones, versiones, Patres et Concilia, librum integrum Zachariae tribuitur.

3.° Inter ipsos rationalistas, Carpzovius, Koster, Keil, Umbreit et alii nostrae adhaerent sententiae. Quoad alios rationalistas qui contrariam defendunt sententiam, si ab eis quaeras, quis fureit auctor tertiae partis libri Zachariae; quo loco et tempore exarata sit, videbis plenam inter ipsos esse dissensionem, Alii dicunt,

praedictam partem scriptam fuisse tempore Machabaeorum; tempore Oziae alii tenent; alii putant tempus esse incertum.

Quoad divinam inspirationem hujus libri, plura sunt in N. T. testimonia. Triumphalis Christi ingressus in Jerusalem qui describitur a Matth. XXI, 5, invenimus in Zacharia IX, 9; venditio Christi vili pretio, Matth. XXVII, 9, apud Zachariam XI, 12; crucifixio D. N. J. Christi, Joan. XIX, 37, Zach. XII, 10; et demum ipse Dominus annuntiat discipulorum dispersionem, verbis Zachariae XIII, 7.

557. Objectiones. 1.ª Matthaeus, XXVII, 9, non ad Zachariam sed ad Jeremiam alludit, dum de proditione et venditione Christi loquitur: ergo caput XI Zachariae, et idcirco reliqua capita quae sequuntur non sunt Zachariae.

Ex eo quod S. Matthaeus tribuat Jeremiae textum qui secundum modum quo allegatur ab Evangelista, non invenitur neque in Jeremia neque in Zacharia, minime infertur, integram tertiam partem non esse autenthicam; secus, logice tota tertia pars tribui deberet Jeremiae. Praeterea una pars prophetiae, de qua est quaestio, nempe emptio agri figuli desumpta est ex Jeremia; alia vero pars, seu venditio triginta argenteis, ex Zacharia.

Obj. 2.ª Haec ultima pars scripta fuit, procul dubio, ante captivitatem; in ea namque damnatur idololatria de qua nec vestigium erat temporibus immediate subsequentibus captivitatem; et insuper loquitur de duobus regnis Judae et Israelis, quae post captivitatem non amplius stabant.

Evidenter ostendit, Zachariam non scripsisse ante captivitatem, quod sibi antiquiores habeat illos qui prophetaverunt vel paulo ante excidium Jerusalem, vel etiam in ipsa captivitate. Quod dicitur de idololatria nihil probat quia Zacharias refertur ad tempora futura, et non tantum loquitur, de populo judaeo, sed etiam de populis gentilibus.

Quoad aliud, propheta non dicit aetate qua scripsit adhuc regna Judae et Israelis stetisse, sed populum hebraeorum in Juda et Israel distinguit, quod quidem facere potuit post captivitatem, quemadmodum alii scriptores fecerunt; praeterea distinctio haec, etiam in prima et secunda parte occurrit (VIII, 13;) unde argumentum nimis probaret.

3.ª Obj. Stylus tertiae partis diversus est a duabus aliis partibus: nam in duabus primis partibus stylus est prosaicus, it, tertia poeticus; illae visiones et actiones symbolicas continent

non vero ista; duae primae partes describunt Messiam gloriosum, altera vero ipsum ignominia plenum.

Nullum est inconveniens in quod idem auctor, suum librum scribat partim stylo prosaico, partim vero poetico, ut fecerunt Isaias, Oseas et Jona. Verum est duas priores partes visiones et actiones symbolicas continere, non vero tertiam; sed hoc nihil juvat adversarios, nam id ipsum contingit apud Ezechielem, Oseam et Danielem. Demum non debemus mirari quod unus idemque propheta gloriam et ignominiam seu passiones Messiae referat, quia haec contraria in Christo implenda erant: unde Isaias, qui in cap. VII-XI gloriam ac triumphum Christi magnifice describit, deinceps in cap. LII et LIII, eum offert «percussum a Deo et humiliatum, virum dolorum et scientem infirmitatem, despectum et novissimum virorum.»

558. *P. Exegetica.* Visio 1.ª Zacharias vidit virum ascendentem super equum rufum, et ipse stabat inter myrteta, quae erant in profundo; et post eum equi rufi, varii et albi. (I, 8): haec visio significat Deum habiturum esse misericordiam cum Jerusalem, ut infertur ex. v. 16, ejusdem capitis.

2.ª Vidit quatuor cornua, et quatur fabros deterrentes ea. (v. 18) Animadvertendum est, in Scripturis cornu designare potentiam et imperium. Haec ergo visio significat destructionem regnorum Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum quae sunt quatuor cornua.

3.ª Vidit virum metientem cum funiculo Jerusalem. (II, 1-2); significatio exponitur v. 4 et 5, «Absque muro habitabitur Jerusalem prae multitudine hominum et jumentorum in medio ejus. Et ego ero ei, ait Dominus, murus ignis in circuitu; et in gloria ero in medio ejus.

4.ª Vidit Jesum sacerdotem magnum stantem coram Angelo Domini; et Dominus jubet auferre a sacerdote vestimenta sordida quibus erat indutus, et vestimentis splendidis eum induere (III); significat gloriam Jerusalem per Messiam, ut infertur ex versu 8.

5.ª Vidit candelabrum aureum inter duas olivas (IV, 1 et seq.

Candelabrum significat, templum totaliter aedificatum. Duae olivae repraesentant Jesum sacerdotem et Zorobabelem qui templum reaedificarunt. In sensu allegorico, duae olivae sunt Moyses et Elias qui apparuerunt in transfiguratione Christi; sed S. Hieronymus putat esse Enoch et Eliam.

6.ª Vidit Zacharias volumen volans, cujus longitudo erat viginti cubitorum; et latitudo decem cubitorum; et amphoram in eaque mulierem; et demum duas alias mulieres quae elevaverunt amphoram inter terram et coelum.» (V); significat exclusionem peccatorum a regno coelorum.

7.ª Vidit egredientes de medio duorum montium aereorum, quatuor quadrigas cum equis diversi coloris—(VI, 1 et seq.) Quatuor quadrigae sunt quatuor monarchiae Chaldaeorum, Persarum, Graecorum et Romanorum, qui quasi totidem venti seipsas mutuo destruent.—Caetera visionis designant aedificationem templi, et gloriam ejus per virum cujus nomen *Oriens* seu Messias. Coronatio vero sacerdotis Jesu, significat Messiam duplicem dignitatem regis ac sacerdotis habiturum fore.

559. Variae prophetiae Messianicae continentur in hoc libro. Prima invenitur in cap. III, 8: «Audi Jesu sacerdos magne, tu et amici tui, qui habitant coram te, quia viri portendentes sunt: Ecce enim ego *adducam servum meum* Orientem.

Quasi diceret: Ego faciam ut filius meus unigenitus nascatur in mundo quamvis in forma servi. Ut ex LXX eruitur vox *Oriens*, Ανατολήν, est nomen sustantivum, et non participium. Omnes antiqui hebraei et omnes interpretes christiani fatentur, vocem Oriens Messiam significare: inter alias significationes hanc etiam habet vox hebraea *tsemaj*.

Triumphalis ingressus Messiae in Jerusalem qui narratur a Matth XXI, 4, et Joan XXII, 15, sic describitur a Zacharia, VIII, 9; «Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem: *Ecce rex tuus* veniet tibi justus et salvator: ipse pauper, et ascendens super asinam, et super pullum filium asinae» Juxta S. Hieronymum et S. Augustinum, asina subjugalis, designat synagogam quae erat sub lege; pullus vero asinae, populum gentilium qui adhuc non fuerat sub lege: et ideo Messias super utrumque sedit, ad significandum futurum esse Legislatorem omnium omnino populorum.

His verbis, XI, 12-13, «Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos. Et dixit Dominus ad me: projice illud ad statuarium, decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis» describitur iniqua venditio Christi et emptio agri statuarii seu figuli.

Etiam circumstantie passionis describuntur: ex. gr., XIII, 6, «Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?»

Quidam referunt haec verba ad aliquem falsum prophetam, qui secundum morem judaeorum a suis parentibus in manibus percutiebatur ob suam temeritatem. Sed maxima pars interpretum praedicta verba intelligunt de plagis quibus Christus vulneratus est cum affixus fuit cruci.

De libro Malachiae. P. Critica.—559. Inter sententias quae asserunt Malachiam fuisse Angelum, vel nomen Malachiae esse appellativum, quod Esdrae applicari potest, vel nomen proprium cujusdam prophetae, ¿quae sit praeferenda?—560. Materia contenta.—561. Lingua et stylus.—562. Divina inspiratio.—563. P. Exegetica. Exponantur prophetiae de institutione Sacrae Eucharistiae, Sacrificii Missae et de adventu Joannis Baptistae et Eliae.

559. Cum Malachias ultimus sit prophetarum, ideo eum vocarunt judaei *sigillum prophetarum*. Nihil certi scimus de vita hujus prophetae.

Nomen Malachias significat *nuntium* vel *angelum*, propter quod plures judaei crediderunt Malachiam fuisse Angelum; et videtur hanc opinionem secutum fuisse etiam Origenem. Sed nullo modo admitti potest: nam caeteris prophetis adnumeratur; ejus sepulchrum sua aetate adhuc extitisse S. Hieronymus testatur, et e medio opponitur huic testimonio Ecclesiastici XLIX, 12: «Et *duodecim prophetarum ossa* pullulent in loco suo.»

Juxta plures interpretes judaeos et christianos, nomen Malachias seu Malachi non est proprium sed appellativum, et designat vel Esdram vel Zorobabelem vel aliquem virum illustrem. Sectatores hujus opinionis, fundantur in hoc quod omnes antiqui ignorassent existentiam alicujus prophetae cujus nomen fuerit Malachias: nam 1.° nec Esdras nec Josephus Flavius mentionem faciunt Malachiae: 2.° Quia interpres graecus et paraphrasis chaldaea hoc nomen habuerunt ut appellativum: et 3.° Quia talis fuit communis sententia Patrum.

Juxta traditionem judaicam cui consentire videtur S. Hieronymus, nomine Malachi designatur Esdras. Hoc confirmat quod auctor Eclesiastici qui laudat viros illustres judaeorum, nihil dicat de Esdra; quia ipsum jam laudaverat inter prophetas minores.

Sed hodie maxima pars interpretum docet Malachiam esse nomen proprium cujusdam prophetae, qui juxta S. Isidorum Hisp. natus est Sophae in tribu Zabulom, impositumque est ei

hoc nomen, vel propter suavitatem et pulchritudinem vultus, vel quoniam, ut ait S. Isidorus «quidquid loquebatur, quasi a Domino essent mandata, ita credebantur et inde ita nomen ejus septuaginta transtulerunt... in manu Angeli ejus.» (1)

Fuit coaevus Nehemiae, et prophetavit donec ille in Jerusalem permansit, nempe anno 32 Artaxerxis Longimani, circa 432 ant. J. C.

Defensores hujus sententiae putant incredibile quod alicui libro prophetico praefigatur nomen symbolicum et non proprium prophetae, cum ejus auctoritas pendeat a legitimo propheta, ut talis cognito et a Deo approbato.

560 Quatuor capitibus continetur haec prophetia: 1.° cap. reprehendit ingratum animum populi, et malam vitae rationem sacerdotum, e quorum manibus jam non accipiet Deus munera, sed offeretur ei oblatio pura in toto orbe terrarum. 2.° capite minatur sacerdotes nisi resipiscant, et damnat conjugia cum mulieribus extraneis. Cap. 3.° annuntiat adventum Precursoris ac Messiae et hortatur populum ad detestandas sacrilegas blasphemias adversus Providentiam Dei; demum 4.° et postremo capite prophetat diem Domini in quo tum justi tum impii recipient suam mercedem, et praedicit adventum Eliae et conversionem judaeorum.

561. Scriptus est hic liber lingua hebraica non admodum eleganti: tamen stylus est clarus, correctus et concisus generatim, in reprehendendo vero judaeos, et praesertim, sacerdotes, vehemens. Quidam auctores dicunt quaedam inveniri in hoc libro propria poeseos, quamvis stylus generatim sit prosaicus.

562. Nemo cum fundamento negavit genuinitatem et integritatem hujus libri.

Quoad divinam inspirationem, verba Apostoli ad Rom. IX, 13 (Jacob dilexi Esau autem odio habui) desumpta sunt et v. 2 et 3 Cap. I. Malachiae. Illa verba Malachiae, III, 1 «Ecce ego mitto angelum meum etc» J. C. applicat S. Joanni Baptistae, sicut etiam missionem Eliae, de qua cap. IV, 5. Malachiae.

563. *P. Exegetica.* Institutio sacrae Eucharistiae et Sacrificii Missae eruitur ex his verbis Malach. I, 10 et seqq.: «Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad

(1) *Etym.* VII, 8.

occasum, magnum est nomen meum in gentibus; et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus.» Unde Dominus decernit abrogare vetus sacrificium, et aliud instituere quod erit etiam externum et proprie dictum, quod tamen distinguitur a veteribus sacrificiis quia non erit cruentum, sed *oblatio munda*: praeterea illa sacrificia offerri non poterant nisi in templo; hoc autem offeretur in omni loco, et a solis ortu usque ad occasum; quae omnia propriissime conveniunt Smo. Sacrificio Missae.

Adventus Joannis Baptistae praedicitur his verbis Malach. III, 1, «Ecce ego mitto Angelum meum, et praeparavit viam ante faciem meam.» Et quidem Matth, XI, 10, legimus Jesum, de Joanne Baptista dixisse: «Hic est enim de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparavit viam ante te» Joannes Baptista dicitur *Angelus*, non natura, neque per incarnationem, ut Origenes et plures hebraei somniarunt, sed officio, dignitate, excelentia et sanctitate, sicut v. 7 cap. praecedentis, ipse Dominus sacerdotes appellaverat Angelos.

Adventus Eliae, constat ex v. 5, cap. IV: «Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus, et horribilis.»

Quidam hunc locum intelligunt de Elia Thesbite, qui venturus est ante universale judicium, ut sua praedicatione, judaei convertantur ad verum Messiam. Nam apud septuaginta legitur *Elias Thesbites*. S. Joannes Chrysos. asserit, Malachiam designasse patriam Eliae. Praeterea Matth. XVII, 11-12, legimus: «At ille respondens, ait eis: Elias quidem venturus est, et restituet omnia. Dico autem vobis, quia Elias jam venit, et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt.» Ergo ille Elias qui venturus est, ipse est Elias qui jam venit, et idcirco, Elias Thesbites. Hanc interpretationem sequitur S. Hieronymus.

Alii praedictum locum Malachiae applicant Joanni Baptistae: nam Luc. I, 17, loquens Angelus cum Zacharia de filio suo Joanne, ait: «Et ipse praecedet ante illum in spiritu et virtute Eliae; ut convertat corda patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.» Quod confirmatur his verbis Domini N. J. Christi Apud Matth. XI,

14, «Et si vultis recipere (*nempe Joannem Baptistam*), ipse est Elias qui venturus est.» Quidam dicunt Joannem Baptistam vocari Eliam, quia habiturus erat eumdem spiritum ac virtutem Eliae.

Caput XLIV

De libris Machabaeorum.

P. Critica. 564. Ratio qua duo hi libri nomine Machabaeorum designentur.—565. Quid contineant hi duo libri.—566. De auctore et lingua horum librorum.—567. Eorum fides historica et divina inspiratio.—568. Plures objectiones solvuntur.—569. P. Exegetica. Quid judicium ferendum de morte Elaeazari et Raziae.—570. Quae virtutes fratrum Machabaeorum, christianomnes imitari teneantur, praesertim nostris hisce temporibus.—571. Quomodo (I Mach. VIII, 16) dicitur Romanos «committere uni homini magistratum suum per singulos annos, cum sciamus duos quotannis consules Romae fuisse creatos.—572. Quae dogmata supponant v. 43 et seqq. cap. XII librii secundi.

564. Libri Machabaeorum quatuor circumferuntur, sed tantum duo priores sunt canonici, alii vero apocryphi: etiam duo priores inter deutero-canonicos recensentur. Dicti sunt *Machabaeorum* non a septem illis fratribus qui coram matre occisi sunt, sed a Juda, qui vocatus est *Machabaeus* quia vexillis quibus utebatur in bello contra Antiochum, inscribi jusserat initiales litteras hujus sententiae: *Mi Camoca Be Elim Jehova*, (1) quae sententia legitur in Cantico Moysis, Exod· XV, 11. Alii vocem Machabaeorum derivant, a voce hebraica (Makkabah) quae *malleum* significat, unde derivatum est Μακκαβαιος, id est *malleator*, ob fortitudinem qua Judas hostes percussit, sicut apud Gallos Carolus Martellus dicitur. Haec familia dicta est etiam *Asmonaeorum* vel *Hasamonaeorum* ab Asamon patre vel avo Mathatiae. Praeterea vox *Asmonaeus* in hebraeo significat *potens*, *magnus Dominus*, unde probabile est quod hoc appellativum, conservasset, ut signum honoris et distinctionis in illa familia, in qua suprema auctoritas conservata est spatio 128 annorum usque ad Herodem Magnum. Machabaei dicebantur etiam *Asidaei* (pii, integri in religione) ut distinguerentur a quibusdam judaeis qui erroribus graecorum consentiebant.

(1) ¿Quis similis tui in fortibus, Domine?

565. Liber primus habet decem et sex capita, quae hanc historiam continent. In primis refert victorias et potentiam Alexandri, hujus mortem et divisionem regni inter duces sui exercitus. Unus ex his fuit Antiochus Epiphanes seu Illustris, qui cum vicisset Ptolemaeum regem Aegypti, animo sibi proposuit, suam etiam facere Palaestinam. Anno 169 ant. J. C. expugnavit Jerusalem; paulo post etiam ingressus est Jerusalem, dux exercitus Antiochi, Apollonius, qui dedicavit templum Jovi Olympico, prohibens omnino cultum Mosaicum. Sacerdos Mathathias cum quinque suis filiis petit solitudinem Modim, ut ibi verum cultum Deo tribuere posset, sed impeditur a satelitibus regis. Cum quadam die vidisset judaeum paratum sacrificare idolis, irruit in eum et occidit, sicut etiam alterum qui eum ad apostatandum incitaverat et fugit in montanam, ubi se paravit ad resistendum hostibus, et post tres annos mortuus est. Tunc judaei elegerunt in ducem filium Mathathiae qui jure et merito appellabatur Machabaeus.

Hic efformavit exercitum sex millia hominum et destruxit exercitus Apollonii et Seron. Cum cognovisset Antiochus stragem sui exercitus, missit alium exercitum quadraginta millia peditum et septem millia equitum, ducibus Nicanor et Gorgias, qui promisserunt mercatoribus regionibus vicinarum vendere eis israelitas quasi servos vili pretio: sed eis prospere res non succedit; nam cum Nicanor cum parte sui exercitus aliam viam duxerit quam Gorgias, Judas utrumque exercitum in nihilum redegit. Eadem sors contigit Timotheo, Bachides et aliis ducibus. Tunc Lysias, qui regebat nomine Antiochi, cum magno exercitu sexaginta millia peditum et quinque millia equitum Judaeam petit, sed profligatus est Bethsurae a decem millibus hominum exercitus Judae, ita ut in praelio ceciderint quinquaginta millia hominum. Post haec, Judas Jerusalem ingressus templum purificavit et celebravit festum dedicationis. Hoc eodem tempore mortuus est Antiochus, eique successit Antiochus Eupator: sed hic occisus fuit a patruo suo Demetrio Soter qui potitus est imperio. Bachides, postquam crudelissime tractasset judaeos, summum sacerdotem constituit Alcimum, hominem impium ac seditiosum, qui cum timeret Judam fugit in Antiochiam secum ferens praetiosa munera quae ex templo abstulerat. Ira motus Demetrius misit adversus judaeos Nicanorem, qui primo pacem obtulit Judae, sed postea instigante Alcimo sibi proposuit Judam apprehendere: sed Nicanor victus est et

occisus in praelio. Demum Bachides magno cum exercitu irruit in Judam qui non habebat nisi tria millia hominum, ex quibus maxima pars terga verterunt: Judas pugnavit cum 800 hominibus tantum pro religione et pro patria; sed gloriose periit in praelio. Omnis populus flevit eum planctu magno, et elegit in successorem fratrem suum Jonatham, qui dicebatur etiam Apho. Hic pugnavit contra Bachides duobus annis, donec inivit pacem cum eo. Cum Alexander Balas, filius Antiochi disputasset Demetrio regnum Syriae, Jonathas favit Alexandro. Hic vero occisus fuit a Demetrio Nicatore, adversus quem surrexit Triphon dux exercitus Alexandri Balas et constituit in throno hujus filium Antiochum: sed paulo post Triphon insurgit adversus Antiochum, cujus partes suscepit Jonathas. Triphon dolo atraxit in Ptolemaidam Jonatham et interfecit eum. Huic successit frater suus Simon; hic renovavit foedus cum Romanis et fecit amicitias cum Demetrio rege Syriae. Mortuo Simone, electus est, ut regeret populum, Joannes Hyrcanus, et hic finitur liber primus Machabaeorum. Juxta Josephum Flavium, Joanni successit filius suus Aristobulus qui primus inter Machabaeos obtinuit dignitatem regiam et summum Pontificatum: huic successerunt filius suus Alexander et nepos Aristobulus II. Capta Jerusalem a Pompejo, et Judaea in Provinciam Romanam conversa, dignitas regia a dignitate sacerdotali disjuncta est: dignitas regia transiit in Herodem qui non erat e domo Juda sed extraneus.

Secundus liber habet quindecim capita, et haberi non debet ut continuatio primi libri. Dividi potest in duas partes: 1.ª quae complectitur integrum cap. I, et 19 v. sequentis, continet duas epistolas: altera missa ab habitantibus Jerusalem ad judaeos Aegypti invitans ad celebrandum festum Tabernaculorum, et altera missa a populo, Senatu et Juda Aristobulo magistro Ptolemaei VI et judaeis Aegypti, participans mortem Antiochi Epiphanis, et alia memoratu digna, exhortans denique eos ad celebrandum festum Tabernaculorum. In 2.ª parte quae comprehendit reliqua capita libri, dicit auctor: «Itemque ab Jasone Cyrenaeo quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare.» et refert longius ac minutius quam in libro primo facta aetatis Antiochi Epiphanis et Eupatoris. Liber I continet historiam quadraginta et quinque annorum: secundus autem quindecim annorum.

566. Quoad auctorem primi libri non una est interpretum sententia: in hac materia S. Isidorus ait: «Machabaeorum libri quibus

auctoribus scripti sint minime constat.» Tamen probabilis est opinio Bellarmini et aliorum qui censent auctorem hujus libri fuisse Pontificem Joanem Hyrcanum filium Simonis Machabaei, vel saltem judaeum Palaestinensem coaevum. Nam quamvis amplius non habeamus textum primigenium hujus libri, tamen S. Hieronymus testatur «Machabaeorum primum librum hebraicum se reperisse.» Hnac ipsa n sententiam secutus est Origenes qui conservavit titulum hebraicum *Machabaeorum*. Veracitas hujus sententiae variis indiciis probatur: 1.° auctor hujus libri, in variis locis dicit, se scire linguam graecam; tamen hebraismi qui in libro inveniuntur satis ostendunt, versionem graecam factam fuisse ex originali hebraico.

2.° Praeterea quaedam sunt in libro quae permittunt supponere auctorem fuisse fere coaevum factis quae refert; quod eruitur, ex perfecta notitia quam habebat Palaestinae, aetate Machabaeorum; ex determinatione locorum quem occupabant, etiam minores urbes, et ex aliis circumstantiis quae referri non potuerunt nisi a teste oculari.

3.° Ex alia parte, versus 23 et 24 cap. XVI, innuere videntur, librum hunc exaratum fuisse, cum adhuc viveret Joannes Hyrcanus: en textus praedictorum versuum: «Et caetera sermonum Joannis et bellorum ejus et bonarum virtutum quibus fortiter gessit... ecce haec scripta sunt in libro dierum sacerdotii ejus, *ex quo factus est princeps sacerdotum* post patrem ejus.» Hic consignatur initium sacerdotii Joannis Hyrcani non vero terminus; ergo saltem probabile est auctorem hujus libri coaevum fuisse Joanni Hyrcano.

Plures interpretes hanc opinionem tuentur.

Paulo post, facta est versio graeca, nam judaei alexandrini in suum Canonem receperunt et Josephus Flavius ea usus est. Ex hac versione proveniunt Itala, syriaca et aliae recentiores.

Secundus liber a quibusdam tribuitur Philoni judaeo, ab aliis Josepho, sed absque sufficienti fundamento. Juxta S. Hieronymum scriptus fuit graece; nam quamvis moderni critici, quosdam hebraismos invenire velint, factum hoc, nempe quod liber contineat epistolas missas ad judaeos Aegypti sufficienter ostendit ejus originem graecum; nam ut ait S. Justinus, judaei qui degebant in Aegypto penitus ignorabant linguam hebraicam; et hujus signum est quod alexandrini petiissent a rege versionem graecam.

Liber hic probabiliter scriptus fuit anno 124 ant. J. C.

Auctor erat Judaeus hellenista, qui aliquando commoravit Jerusalem.

567. Fidem historicam et divinam horum librorum rejecerunt, *Protestantes* ne admittere cogerentur dogma purgatorii, de quo, lib. II, cap. XII.

Eamdem sententiam secutus est Wernsdorff, cui tamen contradicunt alii rationalistae, in his quae ordinem supernaturalem non sapiunt.

Probatur veracitas historica 1.i libri: 1.° quia ut dictum est auctor erat coaevus Joanni Hyrcano, et cum non referat historiam nisi quadraginta annorum anteriorum Hyrcano, potuit eam cognoscere, vel ut testis ocularis, vel per documenta recentissima: 2.° quia primus liber plura continet documenta, ut ex. gr. foederum cum Romanis, quae inveniri non potuerunt nisi in archivis publicis, et ideo omnimoda auctoritate historica gaudent.

3.° Quia nulla potuit esse auctori utilitas mendacii; ipsumque non esse mentitum ex eo eruitur quod maxima simplicitate e ingenuitate referat omnia, tum Judaeis prospera, tum adversa, non tantum in bellis sed etiam in moribus; describens plurium idololatriam, divisiones et scissiones judaeorum etc.

Veracitas historica secundi libri probatur ex sua omnimoda conformitate cum primo libro, exceptis quibusdam parvis differentiis, quae demonstrant auctores non convenisse inter se ad historiam fictam conscribendam.

Quoad divinam auctoritatem, constat, in primis, hos libros esse deutero-canonicos. Nam judaei Palaestinenses, quamvis eos in magno honore haberent tamen in Canonem suum non receperunt; sed utique judaei Alexandrini. In Canonibus confectis a Melitone Sardensi, Origene, Concilio Laodicaeno et S. Hilario non inveniuntur hi libri. S. Hieronymus loquens de Ecclesia sui temporis scribit: «Machabaeorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter canonicas Scripturas non recipit.» (1) Talis fuit etiam sententia plurium interpretum medii aevi. Eam postea defendit Cajetanus et cum eo quidam interpretes catholici coaevi. Lutherus admisit canonicitatem primi libri, non vero secundi propter dogma purgatorii. Rationalistae utrumque librum rejiciunt, ob quasdam narrationes miraculosas.

(1) *Praef. in lib. Salom.*

Nos probabimus canonicitatem et divinam inspirationem horum librorum. 1.° Quia verba Pauli ad Heb. XI, 35. «Alii autem distenti sunt etc.» alludere videntur ad martyrium septem fratrum Machabaeorum» 2.° Quia fere omnes Patres, tum Orientales tum Occidentales agnoverunt canonicitatem et divinam inspirationem horum librorum. Origenes, quamvis in suo Canone eos non habeat, eos tamen ut Sacram Scripturam laudat, dicens: «Ut autem ex Scripturarum auctoritate haec ita se habere doceamus, audi, quomodo in Machabaeorum libris, ubi mater septem martyrum etc.» (1) S. Augustinus ait: «Hanc quidem Scripturam, quae appellatur Machabaeorum, non habent judaei sicut Legem, et Prophetas, et Psalmos: sed recepta est ab Ecclesia.» (2) Ipsemet S. Hieronymus auctoritatem divinam tribuit his libris, dicens: «Quamquam plerique nostrorum, et maxime Machabaeorum Principum, Cethim Italiae Macedoniaeque insulas arbitretur. Hoc enim Scriptura commemorat, quod Alexander rex Macedonum egresus sit de terra Cethim.» (3) Haec vero commemoratio fit I. Mach. I. 1; ergo S. Hieronymus supponit libros Machabaeorum esse Scripturam.

Deinceps a Concilio Cartaginense III usque ad Tridentinum, in omnibus Canonibus hi libri inveniuntur. Unde nemo nisi haereticus eorum canonicitatem et divinam inspirationem negare potest.

568. Objectiones. 1.ª Unius anni differentia est inter chronologiam utriusque libri.

Haec apparens antilogia facile solvitur. Post mortem Alexandri, unus ex ejus ducibus Seleucus Nicator, qui erat praefectus Babyloniae, seipsum regem Babyloniae declaravit, sed victus ab Antigono, qui sibi proposuerat esse regem totius Asiae, exiit e Babylonia et fugit: sed Seleucus consecutus est expugnare Babyloniam et eam triumphaliter ingressus est: hoc factum locum dedit novae Aerae quae dicitur Seleucidarum, quaeque incipit anno 312 ant. J. C. Sed eodem anno iterum Antigonus expugnavit Babyloniam, et Seleucus in fugam se vertit; sed reversus est sequenti anno, nempe 311 ant. J. C. Auctor primi libri, initium Aerae Seleucidarum sumpsit a pri-

(1) *Lib. 2 Periarchon.* Cap. I apud Wouters, *Dilucidat. etc. in lib. Mach.*

(2) *Lib. 1. cont. Gaudent.* Cap. 31.

(3) *Comm. in Isaiam*, lib. V, cap. 23.

mo regressu Seleuci in Babyloniam; auctor vero secundi libri a secundo regressu; et hinc differentia unius anni.

Justa Petavium, Patrizi et alios, auctores horum librorum, initium Aerae sumpserunt ab anno 312; sed alter a mense Nisam; alter vero a mense Tisri; unde differentia est tantum sex mensium.

2.ª In libro I, cap. IV, 44 a profanatione templi ad ipsius purificationem dicitur tres annos transiisse: et in II libro, cap. X, 3, legimus transiisse duos annos.

Revera a profanatione templi ab Antiocho usque ad ipsius purificationem tres anni transierunt; et hoc dicit prior liber: sed post unum annum a profanatione, Judas incepit gubernare, et in secundo anno sui imperii purificatum est templum; et hoc dicit liber secundus.

3.ª Cap I. lib. I, dicitur, Alexandrum adhuc vivens, regnum suum divisisse inter suos duces; et tamen ex Diodoro Siculo, et Quinto Curtio scimus, hanc divisionem factam fuisse post mortem Alexandri.

In primis, nulla est ratio, ut Diodorus Siculus, vel Quintus Curtius preferri debeant scriptori historico antiquiori, et ideo nullum est inconveniens in hoc quod dicamus, Alexandrum adhuc vivens, regnum suum divisisse inter suos duces. Praeterea, auctor I libri Machabaeorum nullibi dicit Alexandrum elevasse suos duces ad dignitatem regiam, sed tantum eos constituit praefectos provinciarum. Unde v. 9 et 10 cap. I, legimus praedictos duces non fuisse reges, nisi post mortem Alexandri.

Wouters sic respondet huic objectioni: «Ad secundum dicendum, quod Alexander antequam moreretur, vel condiderit testamentum; quo post ejus mortem aperto, facta est Provinciarum divisio juxta ejus voluntatem, vel talis divisionis faciendae potestatem dederit Perdiccae, cui moriens annulum suum tradiderat, ut testatur Curtius. Unde etsi non voce nuncupatus haeres, judicio tamen electus videbatur, inquit Justinus lib. 13. Cap. 7, cui consentiunt Diodorus Siculus lib. 18, Curtius lib. 10 et alii historici. Quod autem a Perdicca post Alexandri mortem factum est, ab eo vivente vere factum dici potest. Porro quamvis Curtius neget, quod Alexander ante mortem suam condiderit testamentum, illud tamen Auctores optimae notae constanter asseruerunt, ut refer ipsemet Curtius loco praecitato

dicens: «Crediderunt quidam testamento Alexandri distributas esse provincias, sed famam ejus rei, quamquam ab Auctoribus tradita est, vanam fuisse comperimus.» Verum Curtio opponimus Diodorum Siculum etc.» (1)

4.ª Cap. XII, lib I, vers. 6-8, sermo est de quadam epistola missa a Jonatha ad Spartiatas, in qua eos vocat fratres, cum tamen nullum vinculum consanguinitatis esset inter Spartiatas et Judaeos.

Quidam dicunt, Dorios, qui erant ex gente Lacedaemonum, ibi transiisse ex confinibus Arabiae et Syriae, ubi habitationem constituerant filii quos Abraham habuit ex Cethura, et ideo dicebantur fratres, quia unum patrem communem agnoscebant. Haec erat persuasio lacedaemonum, et fuit causa hujus foederis. Quidquid sit, Arius rex Lacedaemonum respondit cum epistola Oniae, vocans judaeos fratres ex progenie Abrahae, iniens foedus cum eis.

Demum vox *fratres*, significare etiam posset *socios* (aliados).

5.ª Lib. I, cap. I, v. I, dicitur, Alexandrum fuisse qui primum regnavit in Graecia; cum tamen ex historia profana sciamus ante Alexandrum fuisse principes et reges Lacedaemonum, Atheniensium, Macaedoniorium, Corinthiorum etc.

Dicendum est, Alexandrum quidem non fuisse primum qui regnavit in Graecia, *ut rex*, sed utique ut *monarcha*, ipse enim fundator fuit monarchiae Graecae, et unicus qui subjugavit totam Graeciam.

Aliter etiam solvi potest haec objectio: nam in textu graeco, loco *primus* legitur *prius*; unde sensus est: Alexander *prius* regnavit in Graecia; *deinde* etiam in aliis Regnis.

6.ª Legitur in libro II, cap. II, 5, Jeremiam adsportasse Tabernaculum et Arcam, eaque in monte Nebo occultasse; quod tamen impossibile est, quia Jeremias paulo ante expugnationem Jerusalem, erat inclusus in carcere.

Nonnulli dicunt, Tabernaculum et Arcam Jeremiam secreto occultasse, paulo ante expugnationem Jerusalem, cum adhuc libertate gauderet: etiam dici potest hoc factum fuisse, jam capta civitate a Chaldaeis, speciali permissu Jeremiae concesso; scimus enim, Nabuchodonosorem in magno honore habuisse Jeremiam; nam Principi exercitus sui Nabuzardam dixit de Jere-

(1) *Dilucidat. etc. in utrumque lib. Mach.* Quaest. I.

mia: «Tolle illum, nihilque ei mali facias; sed, ut voluerit, sic facias ei.» Jer. XXXIX, 12.

7.ª Auctor secundi libri non fuit divinitus inspiratus: nam cap. XV, v. 39, veniam postulat lectoribus de erratis, de modo scribendi, dicens: «Et si quidem bene, et ut historiae competit, hoc et ipse velim: sin autem minus digne, concedendum est mihi.» Et cap. II, 27, scribit: «Et nobis quidem ipsis, qui hoc opus breviandi causa suscepimus, non facilem laborem, imo vero negotium plenum vigiliarum, et sudoris assumpsimus.» Quae testimonia sufficienter ostendunt auctorem hunc librum humano modo composuisse, non vero sub inspiratione Spiritus Sancti.

Sicut Caiphas prophetavit mortem Jesu-Christi pro salute omnium hominum, quin tamen sciret Spiritum Sanctum per os ejus loqui, ita etiam contingere potuit auctori secundi libri Machabaeorum, et ideo veniam postulare de erratis, et se defatigatum agnoscere. Ex praedictis vero textibus nihil infertur contra divinam inspirationem: nam in primo textu auctor postulat veniam de erratis litterariis, non vero de erratis contra veritatem, ut ex ipso textu evidenter apparet, et adhuc clarius ex originali graeco: jam vero, probabilissima est opinio eorum qui dicunt, Spiritum Sanctum non dictasse scriptoribus hagiographis ipsa verba et litteras: hoc supposito, ut supponi debet, rationabiliter explicantur, tum errata litteraria, tum defatigatio scriptoris.

8.ª Valde diversa est relatio mortis Antiochi Epiphanis in utroque libro. Nam juxta lib. I, cap. 6, ab Elymaide, nobilissima Persidis civitate, repulsus, venit in Babyloniam, ubi audita sui exercitus clade, prae tristitia in languorem incidit et mortuus est. Sed juxta lib. 2.um cap. I, Antiochus occisus est in Perside, in templo Naneae (Diana vel Venus).

Hic non datur nisi apparens contradictio: nam juxta textum graecum, Antiochus in Babyloniam venire tentavit sed non est ingressus eam. Praeterea eodem cap. VI v. 16 dicitur Antiochum mortuum esse in Perside, prope Ecbathana.

Quoad textum libri secundi, ibi non dicitur, occisum fuisse Regem, sed ducem, seu Principem exercitus Antiochi. Sed ex simplici lectione cap. I. Lib. II, clare infertur, ducem illum fuisse ipsum regem.

Alii censent, Antiochum occisum in templo Naneae, fuisse

Antiochum Sidetem, filium Demetrii Soteri, qui fuit posterior Antiocho Epiphani spatio quadraginta annorum. Hic est qui dolo occidit Simonem et voluit etiam occidere Joannem Hyrcanum. Hic Antiochus duplici occasione invasit Persidem, et in secunda, occisus est in templo Naneae.

569. *P. Exegetica.* Quid judicium ferendum de morte Eleazar et Raziae.

Mors Eleazar sic narratur lib. II, cap. VI, 18-28: «Igitur Eleazarus unus de primoribus scribarum, vir aetate provectus, et vultu decorus, aperto ore hians compellebatur carnem porcinam manducare. At ille gloriosissimam mortem magis quam odibilem vitam complectens, voluntarie praeibat ad supplicium... Hi autem, qui astabant, iniqua miseratione commoti, propter antiquam viri amicitiam, tollentes eum secreto rogabant afferri carnes, quibus vesci ei licebat, ut simularetur manducasse, sicut rex imperaverat de sacrificii carnis. Ut, hoc facto, a morte liberaretur... At ille... respondit cito dicens, praemitti se velle in infernum. Non enim aetati nostrae dignum est, inquit, fingere: ut multi adolescentium, arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: et ipsi propter meam simulationem et propter modicum corruptibilis vitae decipiantur, et per hoc maculam, atque execrationem meae senectuti conquiram. Nam, etsi in praesenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis nec vivus nec defunctus effugiam. Quamobrem fortiter vita excedendo, senectute quidem dignus apparebo: adolescentibus autem exemplum forte relinquam, si prompto animo, ac fortiter pro gravissimis ac sanctissimis legibus honesta morte perfungar. His dictis, confestim ad supplicium trahebatur.»

In hoc facto, nihil immorale est, sed potius mirabile exemplum fortitudinis in tuenda Religione et Lege; unde Eleazar moritur, ne conquirat maculam suae senectuti, neque adolescentibus praebeat perversum exemplum. Nam cum de publica professione fidei agitur, omnis simulatio peccatum est.

Factum vero Raziae, sic narratur II Mach. XIV, 37 usque ad finem: «Razias autem quidam de senioribus ab Jerosolymis delatus est Nicanori, vir amator civitatis, et bene audiens: qui pro affectu pater Judaeorum appellabatur... Volens autem Nicanor manifestare odium, quod habebat in Judaeos, misit milites quingentos, ut eum comprehenderent. Putabat enim, si illum

decepisset, se cladem Judaeis maximam illaturum. Turbis autem irruere in domum ejus, et januam disrumpere, atque ignem admovere cupientibus, cum jam comprehenderetur, gladio se petiit: eligens nobiliter mori potius, quam subditus fieri peccatoribus, et contra natales suos indignis injuriis agi. Sed, cum per festinationem non certo ictu plagam dedisset, et turbae intra ostia irrumperent, recurrens audacter ad murum, praecipitavit semetipsum viriliter in turbas: quibus velociter locum dantibus casui ejus, venit per mediam cervicem: et cum adhuc spiraret, accensus animo, surrexit: et cum sanguis ejus magno fluxu deflueret, et gravissimis vulneribus esset saucius, cursu turbam pertransiit: et stans supra quamdam petram praeruptam, et jam exsanguis effectus, complexus intestina sua, utrisque manibus projecit super turbas, invocans dominatorem vitae ac spiritus, ut haec illi iterum redderet: atque ita vita defunctus est.»

Sacra Scriptura, factum hoc simpliciter narrat, sed non laudat: Razias laudatur propter suam constantiam in Judaismo et alias virtutes et aegregias dotes.

Facinus Raziae generatim reprobatur a Pratribus, nam S. Augustinus expresse affirmat, quod «Razias non sapientiae, sed insipientiae dederit exemplum, non Christi Martyribus, sed Donati circumcellionibus imitandum.» At pergit S. Augustinus ibidem «enim Sanctarum Scripturarum auctoritate laudatus est Razias. Quomodo laudatus? Quia fuit amator civitatis... laudatus est, quia pater Judaeorum appellabatur etc.» Et concludit S. Doctor: «Proinde quomodolibet accipiatur a vobis hujus Raziae vita laudata, non habet mors ejus laudatricem sapientiam, quia non habet dignam Dei famulis patientiam: potiusque huic vox illa Sapientiae, quae non laudis, sed detestationis est competit: Vae his qui perdiderunt sustinentiam.» (1).

Talis est etiam sententia S. Thomae Aquin., juxta quem Razias debuit permittere ut apprehenderetur ab hostibus, et sustinere patienter tormenta, quia sic majus exemplum dedisset fortitudinis. (2)

Tamen credendum est, Deum sua infinita misericordia ab-

(1) *Lib. I. cont. Gaudentium.* Cap. 31.

(2) *Summ, Theol.* 2. 2. q. LXIV, art. 5, ad. 5.

solvisse a peccato Raziam qui bona fide credebat relinquere posteris mirabile exemplum fortitudinis.

Quidam theologi illustres, ut Franciscus Victoria, considerantes extremam ac mirabilem fortitudinem illus senis, censent Raziam sic egisse ex impulsu Spiritu Sancti: unde non peccavit.

Et etiam videtur Raziam laudari in Scriptura propter suum facinus, ut ex his verbis (XIV, 42) infertur: «Eligens *nobiliter* mori potius, quam subditus fieri peccatoribus.»

570. Quae virtutes fratrum Machabaeorum, christiani omnes imitari teneantur, praesertim nostris hisce temporibus?

Status Ecclesiae in medio nationum, similis est statui Religionis Judaicae aetate Machabaeorum: nam Principes, Reges et Gubernia, et societates masonicae, vel palam vel subdole, Ecclesiae Catholicae annihilationem machinantur: ergo sicut tunc Machabaei, nunc catholici debent esse fortes in fide, eam publice profitendo, ejus jura totis viribus defendendo, etiamsi haec firmitas et constantia in fide, ab impiis morte plectatur; quia haec mors erit pretiosa in conspectu Domini.

571. Quomodo (I. Mach. VIII, 16) dicitur Romanos committere uni homini magistratum suum per singulos annos, cum sciamus duos quottanis consules Romae fuisse creatos?

Re quidem vera duo Consules annue apud Romanos creabantur, sed unus tantum habebat supremum magistratum: nam duo illi electi Consules alternis diebus et temporibus imperabant: ita ut uno imperante cessaret alter Unde bene dicit Scriptura, quod Romani uni homini committerent magistratum suum. (1)

572. Quae dogmata supponant v. 43 et seqq. cap. XII, libri secundi.

Haec verba: «Et facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Jerosolymam offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, bene et religiose de resurrectione cogitans. (Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, et vanum orare pro mortuis) Et quia considerabat quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. Sancta ergo, et salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.»; haec verba, in primis, supponunt existentiae alterius vitae; deinde etiam resurrectionem mortuorum, ut expresse dicitur in textu; et demum, existentiam purgatorii, et utilltatem suffragiorum, pro animabus ibi detentis: nam in inferno

(1) Livio, lib. II. Cap. 22. Plutarc in Numa.

orationes et sacrificia inutilia sunt; in coelo autem non neccesaria: praeterea orationes quae dicuntur ut defunctus a peccatis solvatur, damnatis non prosunt; beati non indigent a peccatis absolvi, cum nullum in ipsis sit peccatum: ergo proderunt animabus purgatorii: purgatorium ergo existit.

FINIS VETERIS TESTAMENTI

SECTIO II

De Novo Testamento

Prolegomena

573. Quid Novum Testamentum. Ejus diversa nomina.—574. Numerus librorum N. Testamenti et eorum divisiones.—575. Origo horum librorum, et concordia inter eos.—576. Adversarii auctoritatis librorum Novi Testamenti.—577. Quo spatio temporis exarati fuerint omnes libri Novi Testamenti.

573. Cum Deus sibi populum elegit in Abraham, promisit ei dare terram Chanaan et multa alia bona, modo populus fideliter Legem servaret. Haec promissio dicta est Testamentum. Similiter cum filius Dei, homo factus, decrevit substituere antiquum populum per alium novum, promisit dona coelestia et spiritualia his qui ei fideliter adhaererent: et haec promissio dicitur Testamentum Novum. Cum vero hujusmodi promissiones in quibusdam libris contineantur, usus invaluit, ut etiam hi libri vocarentur Novum Testamentum. Differentias inter utrumque, quatenus ad Scripturam pertinet assignat S. Augustinus: «Duorum testamentorum differentiam sic ponimus ut illo (V. T.) sint onera servorum, in isto gloria liberorum.» (1) Et alibi ait S. Doctor; In V. T. est «occultatio Novi, et in Novo est manifestatio veteris.» (2)

(1) *Cont. Adimant.* C. XVII, n. 2.
(2) *De Catech. rud.* C. IV, n. 8.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGIST

Quandoque N. T. generice appellatur *Evangelium*, vel *Lex gratiae*, aut simpliciter *Gratia:* dicitur *Testimonium Jesu-Christi;* quoniam ipse testimonium perhibet de seipso. Vocatur etiam N. T. *Nova oeconomia, Plenitudo temporis, Ultima aetas mundi, Locutio Dei per excellentiam.* Optime ergo Apostolus scribere potuit (1): «Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in prophetis; novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit haeredem universorum.»

574. Libri omnes canonici N. T. sunt septem et viginti: Omnes sunt *proto canonici* praeter Epist. Pauli ad Hebraeos; secundam Petri, secundam et tertiam Joannis, Epist. Jacobi et Judae et Apocalypsim: praeterea ex Marco XVI, 9-20; ex Luca XXII, 43-44; et ex Joanne VIII, 2-12.

Ratione materiae vel sunt *legales,* ut quatuor Evangelia; vel *sapientiales,* ut omnes Epistolae; vel *historici,* ut Actus Apostolorum, vel *prophetici* ut Apocalypsis.

575. Jesus Christus viva voce praedicavit: et cum misit suos Apostolos ad mundum Evangelizandum, non dixit eis «*Ite et scribite,* sed, *Ite et praedicate.* Unde antequam aliquis liber N. T. scriberetur, jam existebat Ecclesia, cum suo capite, Episcopis, Ministris, Sacramentis, Sacrificiis, fidelibus innumeris utriusque sexus, ut ex historia constat. Sed fideles cupiebant scriptis authenticis servare, praecipua facta Christi, et dogmata et praecepta religionis; praeterea cum Apostoli novas Ecclesias fundarent, cumque ipsis esset impossibile in his novis ecclesiis jugiter manere: et demum, cum in absentia Apostolorum facillimum esset ut neophiti, doctrinae Apostolorum aliquantulum obliviscerentur, et quod pejus est, eam in deterius commutarent, ideo eos docebant per litteras: et hinc origo Evangeliorum et Epistolarum.

Baur ex schola Tubingensi, negat hanc fuisse originem librorum Novi Testamenti, et insuper asserit, inter hos libros nullam dari concordiam. Nam divisio radicalis existit inter discipulos Christi: ex una parte judaeo-christiani, seu *particularistae*, id est, duodecim Apostoli, qui Christum habebant ut virum a Deo probatum et magnum Prophetam, non autem Verbum Dei; et praeterea, judicabant ritus veteris Legis, utpote necessarios abrogari non debere: ex alia parte Paulinistae, seu

(1) *Ad Heb.* I, 1.

Paulus Apostolus, qui docebat Christum esse Verbum Dei, et ritus veteris Legis, utpote inutiles abrogari debere. Vicit tandem Paulus qui a Baur habetur ut verus fundatur Christianismi, ita ut Christus secundarium locum occupet. Cum vero Baur, nihil inveniret in Evangelio, neque in caeteris libris N. T. quo suum systema defendere posset, cum omnes hi libri simul contineant elementa *particularista* et *paulinista*, invenit hypothesim quorumdam scriptorum antiquiorum et inter se oppositorum, ex quibus prodierunt actuales libri N. Testamenti, sed post plures modificationes in ipsis factas ut se invicem aproximarent et conciliatio fieret inter *particularistas* et *Paulinistas*. (1)

Sed falsum est illam divisionem radicalem extitisse inter Duodecim et Paulum: nam unitas Evangelii declarata est in Jerusalem, ab Apostolis Petro, Paulo, Joanne et Jacobo. (Galat. II, 9): hac de causa, nulla ecclesia designata est nomine sui fundatoris: scripta omnium Apostolorum erant commune patrimonium omnium christianorum: unde etiam si mitterentur ad aliquam ecclesiam particularem, statim communicabantur allis ecclesiis, vel de mandato ipsius Apostoli, vel propter communem utilitatem. (2)

(1) Conf. Caminero. *Estud. critic. sobre el N. T.* Confer. IX.

(2) Audiatur in hac materia Vigouroux: «Según èl (Baur) el cristianismo no fué en un principio más que una secta de la religión judaica, la secta ebionita, que se diferenciaba poco de la de los Esenios. Todo lo que se proponian su fundador y sus primeros Apóstoles, era la reforma y propagación del judaismo. Practicar la ley seguía siendo para ellos una condición de salvación para todo el género humano, y su misión se concretaba á propagar dicha Ley. Su doctrina quedaba reducida á estos tres puntos: caracter obligatorio y virtud santificante de las observancias legales; restricción de la gracia á los hijos de Abrahám y á los miembros adoptivos del pueblo de Dios; exaltación y dilatación de la nación judía por toda la tierra. Después de la muerte de Cristo, esta doctrina se personificó sobre todo, según los creyentes, en San Pedro, jefe del colegio apostólico, y en Santiago, obispo de la iglesia de Jerusalém.»

«Pero pronto surge un nuevo Apostol, que se rebela contra el caracter exclusivista de aquella concepción, y cuyo proselitismo se desenvuelve de una manera mucho más latá. Según S. Pablo, todas las diferencias que se basan en la raza ó en la nacionalidad están abolidas. Es una sin razón lo que á la salvación se refiere, el hacer una distinción entre el Gentil y el Judío; uno y otro tienen igual necesidad de la misericordia del cielo, y Dios no quiere hacer más distinción. No es por tanto la misión de Jesucristo restaurar y propagar el mosaismo, sino fundar un nuevo culto, establecer una religión nueva, la religión universal y definitiva. El es, como

Ut optime habet Caminero, in initio Ecclesiae, fuerunt tres, ut ita dicam scholae: prima, judaizantium, quibus observantia Legis mosaicae erat omnino necessaria ad salutem: secunda Apostolorum, qui Legem habebant ut praeparationem ad Evangelium, quae tamen cessare debebat adveniente realitate seu Evangelio; et tertia, antinomistarum, qui antiquam Legem reji-

---

Salvador, fuente de la vida, de la gracia y de la gloria, y para participar de esa vida, basta con creer en su doctrina y someterse á su ley.»

«Esta idea estaba en harmonía con la necesidad de unidad que se dejaba sentir después de la fusión de todos los pueblos en el seno del imperio romano: era la que debía triunfar. No triunfó, sin embargo, sin dificultad. Durante más de medio siglo, una lucha ardiente, de la que el conflicto de Antioquía no fué más que un incidente, dividió á la Iglesia en dos partidos contrarios, el de Pablo ó de los universalistas, que llama á sí á los Gentiles proclamando la abolición de los preceptos mosaicos, y el de Pedro, es decir, el de los ebionistas ó judaizantes, que se empeña en mantener las prácticas legales y las prerrogativas del pueblo antiguo »

«Como prueba de estas divisiones entre los Apóstoles, Baur cita todos los pasajes en que San Pablo se queja del odio y las persecuciones que le suscitan falsos doctores, en los cuales se habla de su predicación como de un Evangelio suyo propio, y en los que hace la apología de su apostolado. No se descuida en representar á los judaizantes como formando en aquella época la mayor parte de la Iglesia entera, y á San Pedro como representante de todas las antipatías de que es objeto su colega.»

«Pero lo que Baur procura inculcar ante todo y lo que daría á esa supuesta lucha una importancia capital es que el principal resultado de esas contiendas fué la alteración de la mayor parte del Nuevo Testamento. Es tal la confianza que inspira á Baur su sentido crítico, que cree poder determinar, bastándole para ello fijarse en las particularidades de los libros, en su lenguaje, en su estilo, en sus alusiones y sus tendencias, en qué medio se compusieron dichos libros, bajo qué influencia, en qué época y por quién. Sin preocuparse del silencio que guarda la historia, mejor dicho, sin escuchar el mentís que le da toda la antigüedad cristiana, no vacila en decidir que casi todos los escritos que se atribuyen á los Apóstoles, los Evangelios de S. Mateo, S. Marcos y S. Lucas, las Epístolas pastorales, las de Santiago, no fueron en su origen más que máquinas de guerra, fabricadas ora por el partido de Pedro, ora por el de Pablo, para adquirir crédito y conseguir el triunfo.—Es cosa evidente, dice, que el primer Evangelio, que establece con tanta fuerza la preeminencia de Pedro y circunscribe la misión del Salvador al pueblo de Israel, es obra del partido judaizante, por más que sea menos ebionista que el de los Nazarenos y el de los Egipcios, á los cuales sucedió. Lo mismo se puede decir de la Epístola de Santiago, escrita contra las de S. Pablo á los Romanos y á los Gálatas. A los escritores ebionitas, opuso otros escritos el partido universalista. Sus principales autores son: San Lucas, favorable siempre á los Gentiles, y S. Pablo,

ciebant, quia eam habebant cum Marcion, non ut opus Dei, sed ut opus principii mali. Inter scholas extremas, quae postea originem dederunt haeresibus ebionitarum et marcionitarum, erant quaedam differentiae seu varietates (matices) quoad

---

el Apostol de las naciones, cuyas grandes Epistolas están, como la escrita á los Gálatos, llenas de quejas, de apologías y de inventivas contra sus enemigos.»

«No era posible, sin embargo, que la lucha continuara siempre. Después de un siglo entero de divisiones, se comenzó á sentir la necesidad de un acuerdo, y los hombres prudentes de ambos partidos procuraron aproximarse unos á otros, haciéndose mutuas concesiones. Un espíritu de transacción inspira el Evangelio de San Marcos, benévolo por igual para los Judíos y para los Gentiles, las Epístolas pastorales, escritas para dar la sanción del Apostol á las distinciones jerárgicas y á las prácticas religiosas derivadas de la ley, la segunda Epístola de San Pedro, en la que se tiene buen cuidado de insertar un elogio de San Pablo, y finalmente, el Evangelio de San Juan; y sobre todo, los Actos de los Apóstoles, atribuidos á San Lucas. Este último libro tiene seguramente por objeto el borrar hasta los últimos vestigios de las divisiones primitivas. No sólo no se ve en dicho libro la más insignificante divergencia entre San Pedro y San Pablo, sino que encontramos por todas partes la más perfecta armonía entre los dos Apóstoles. Obran de igual manera, tienen los mismos principios, se proponen el mismo fin. Pedro bautiza á los primeros Gentiles, y toma la defensa de Pablo en el Concilio. Pablo hace voto de Nazareno; lleva limosnas á los Santos de Jerusalem; sube al templo para orar. Desde el principio hasta el fin el historiador tiene buen cuidado de no inclinarse ni á un lado ni á otro, y Pedro y Pablo resultan perfectamente iguales, lo mismo por el éxito que alcanzan que por los brillantes milagros que realizan. Se hacen, pues, mutuas concesiones, y las pretensiones de cada partido se moderan. Los judaizantes, son, sin embargo, los que tienen que hacer mayores sacrificios. La idea de Pablo triunfa al fin de tal manera, que él es en realidad, más que el mismo Jesucristo, el fundador del cristianismo actual.»

«Desgraciadamente, el espíritu de concordia no impera mucho tiempo en la Iglesia. Tras un periodo bastante corto de tolerancia, renace la intolerancia, al mismo tiempo que el gusto por las fórmulas dogmáticas. Se empieza á anatematizar las sectas. El despotismo doctrinal echa raíces y vá creciendo, desde el siglo III al XVI, en el cual Lutero restaura y corona la obra de Pablo, dejando sin embargo á sus discípulos de Tubinge el honor de emancipar el espíritu humano en lo que á las Escrituras se refiere como él mismo le emancipó de la Iglesia.»

«Tales son las ideas que han dado origen, entre los protestantes de Alemania, á una especie de nuevo protestantismo sin átomo ya de fé cristiana. Eso es lo que nuestros racionalistas han tratado de aclimatar entre nosotros, en estos últimos tiempos, y lo que algunos se empeñan aún en explotar, pero cada día con menos confianza.» *Man. Biblic.* N. T. Introd. Cap. II.

applicationem verae doctrinae, in sinu christianismi: nam suppositis circumstantiis jam expositis, et periculum favendi alicui ex haeresibus supra dictis, valde difficilis erat solutio.

Igitur omnes controversiae et differentiae inter Apostolos non fuerunt quoad dogmata, neque quad exclusivam efficaciam novae Legis, sed quoad hujus applicationem in determinatis circumstantis (1) Nescio quo genere insaniae Baur audeat dicere, S. Petrum fuisse ex his qui Christum habebant, ut virum a Deo probatum et magnum Prophetam non autem ut Verbum Dei, cum ipse Petrus viriliter Christo respondisset dicens: «Tu es Christus Filius Dei vivi.»

576. Adversarii auctoritatis librorum Novi Testamenti sunt rationalistae.

Admittunt ut authenticos sequentes libros: Epistolas S. Pauli ad Romanos, Corinthios, Philippenses, Thessalonicenses, ad Philemonem, ad Hebraeos; Epistolam Jacobi et primam Petri et Apocalypsim: ratio vero est, quia in quibusdam libris inveniuntur quaedam dogmata rationi contraria, et miracula quae omnino sunt impossibilia. Sed a rationalistis est probandum, dogmata quae Novi Testamenti libris continentur, esse non modo supra rationem, sed etiam contra rationem; et insuper ostendere debent miracula quae in praedictis libris referuntur esse revera impossibilia.

Praeterea, rationalistae sibi ipsis contradicunt; nam tum dogmata, tum miracula quae habentur in libris qui ipsi rejiciunt, inveniuntur etiam in his libris qui ab ipsis admittuntur. Et quidem dogmata Trinitatis, divinitatis Jesuchristi, personalitatis Spiritus Sancti, necessitatis et efficaciae gratiae, item necessitatis Sacramentorum; dogmata resurrectionis corporum, postremi judicii etc invenimus in Epist. ad Rom., I ad Cor., ad Gal. II ad Cor, Apoc.

Etiam in his libris vera et stupenda narrantur miracula: ex. gr. Incarnatio Verbi, Resurrectio Domini, fundatio Ecclesiae, subita conversio S. Pauli, revelationes huic factas et etiam S. Joanni etc. Ergo vel omnes libri admittuntur, vel omnes rejiciendi sunt. (2)

(1) Conf. Caminero. *Estud. crític. sobre el N. T.* Conf. IX.
Praedictas differentias non fuisse nisi mere accidentales, ostendemus, cum de unoquoque libro sermo sit. ¡Lutherum restaurasse et coronasse opus Pauli! ¡Oh gloriose Apostole, dimitte illis quia nesciunt quid dicant!

(2) Conf. Vigouroux. Op. et loc. sup. cit.

577. Omnes libri N. T. scripti sunt spatio 58 annorum, nempe ab anno 42 aerae vulg. ad an. 100.

Evang. S. Matth..	an 42 aerae vulg.	I ad Tim..	57
Ev. S. Marc. . . .	46	II ad Tim.	67
Ev. S. Luc.. . . .	54	Ad Titum.	57
Ev. S. Juan. . . .	99	Ad Philem.. . . .	61
Act. Apost. . . .	61	Ad Hebraeos. . .	62
Epist. ad Rom.. .	58	Epist. B. Jacobi. .	61
I ad Corinth. . . .	56	I Petri.	63
II ad Cor.	57	II Petri.	67
Ad Galat.	55	I Joannis..	99
Ad Ephes.	62	II Joannis.	100
Ad Philipp.. . . .	61	III Joannis.	100
Ad Coloss.. . . .	61	Epist. B. Judae. .	70
I ad Thess.. . . .	53	Apocalypsis. . . .	97
II ad Thess. . . .	54		

Quae a rationalistis dicuntur de Evangeliis aliisque libris N. T. scriptis saeculo secundo postea solvemus.

Caput I

De Evangeliis in genere.

578. Quid hoc nomen Evangelium tum etymologice, tum etiam in sensu lato et stricto significet.—579. ¿Haberi ne debent Evangelia ut integrae et completae biographiae D. N. J. Christi?—580. Num Evangelia scribi fuerit necessarium.—581. De numero quaternario et authentia Evangeliorum.—582. Evangelia apocrypha.—583. Quare Ecclesia non nisi quatuor Evangelia admiserit.—584. De ordine Evangeliorum in canone.—585. Num tituli *secundum Matthaeum etc*, ab ipsis evangelistis appositi fuerint.—586. Quid in his titulis significet hoc verbum *secundum*.

578. Hoc nomen Evangelium idem significat ac *bonum nuntium* ευαγγελιον: et optime hoc nomen impositum est quatuor primis libris N. T. quia annuntiant adventum Salvatoris, quod quidem hominibus, inter omnia nuntia, est, absque dubio optimum. Certum est jam adventum Salvatoris annuntiatum fuisse in libris V. T. sed nostri libri referunt adimpletionem illarum praedictionum. «Inter omnes divinas auctoritates, ait S. Augus-

tinus, quae in sanctis litteris continentur, Evangelium merito excellit. Quod enim Lex et prophetae futurum praenuntiarunt, hoc redditum atque completum in Evangeliis demonstratur.» (1)

Quandoque Patres, nomine Evangelii intelligunt omne Novum Testamentum. Hoc sensu lato S. Clem. Rom. primam Pauli Epistolam ad Corinthios apellat Evangelium: et rectitudinem hujus appellationis confirmat Origenes dicens: «Integrum N. T. Evangelium esse discimus ex illis qui Paulos alicubi scribit: *secundum Evangelium meum*. Nam inter Pauli scripta nullum exstat, quod Evangelium vocavi consuevit.» Demum S. Thomas Aq. scribit: «Evangelium idem est, quod bona annuntiatio, quae incipit a Christo: unde quidquid pertinet ad Christum, dicitur Evangelium. (2)

Tamen inter omnes libros N. T. quatuor priores principaliter nobis referunt facta et dicta Christi; unde propriissime dicuntur Evangelium.

Igitur Evangelium definiri potest: *Historia quae refert vitam, facta et dicta D. N. Jesuchristi*. Et juxta S. Augustinus: «*Narratio originis, factorum dictorum et passionum D. N. Jesuchristi.*» Demum Evangelium hoc alio etiam modo definiri potest: *Libri qui agunt «de omnibus quae coepit Jesus facere et docere, usque in diem qua praecipiens Apostolis per Spiritum Sanctum quos elegit assumptus est.*» (Act. I, 1-2.)

579. Evangelia non sunt integrae biographiae Jesuchristi: rationalistae contrariam sententiam tuentur, ut sic facilius falsitatem Evangeliorum ostendere queant. Unde cum aliqua facta quae ab uno Evangelista narrantur ab aliis omittantur, inferunt unumquemque Evangelistam, illa facta quae sibi arridebant finxisse; et idcirco facta, saltem supernaturalia, quae narrantur in Evangeliis ficta esse. Postea ostendemus, Evangelia fingere fuisse omnino impossibile.

Nunc vero dicimus, nullum Evangelistam sibi proposuisse scribere omnia dicta et facta Jesuchristi, sed ea tantum quae sibi opportuna videbantur, juxta scopum suum: unde alius Evangelista omittit quae alius narrat: sic S. Mattheus qui Evangelium suum scripserat rogatus a Judaeis, saepissime uti-

(1) *De Cons. Evang.* Lib. I. C. I.
(2) *In I. Cor.* I. 1.

tur prophetiis ex V. T. desumptis ad probandum Christum esse Messiam. S. Marcus, qui scribebat suum Evangelium pro Romanis, non tam solicitus est de prophetiis quam de miraculis, ad probandam divinitatem Christi.

580. Evangelia scribi non fuit absolute necessarium, ex aliquo mandato Christi: Christus ipse, nihil scripsit, nisi semel in terra, et nescimus quid scripserat.

Epistola vero quae a Christo dicitur scripta ad regem Abgarum, est apocrypha. Neque Christus jussit Apostolis *scribere* Evangelium, sed *praedicare* dicens «*Praedicate Evangelium omni creaturae.*» Neque Apostoli egebant expositione aliqua scripta Evangelii, cum Christus eis promiserat assistentiam Spiritus Sancti.

Sed quoad fideles, conveniens fuit in principio, et postea necessarium Evangelia scribi, quia timendum erat, ne fideles, doctrinam quam viva voce audiverant in deterius commutarent vel ob ignorantiam et oblivionem, vel propter labores judaizantium: de hoc periculo loquuntur S. Paulus (Rom XV, 15) S. Petrus (2.ª I, 12) et S. Joannes (1.ª II, 24). Hoc periculum non aderat, dum Apostoli adhuc in vivis erant, et praesentes Ecclesiis a se fundatis; sed in eorum absentia, et praesertim post ipsorum mortem periculum erat evidentissimum.

Ex alia parte, fideles volebant apud se habere narrationem saltem compendiosam vitae et doctrinae Jesuchristi: et eorum rogatu quidam Apostoli et Discipuli, quasdam breves narrationes scripserunt, quas nos dicimus Evangelia, quaeque a S. Justino vocabantur *Apostolorum memoriae*, et a Tertuliano *Commentaria* ad meliorem intelligentiam paganorum.

581. De numero quaternario et authentia Evangeliorum. Quidam putant alia esse Evangelia, praeter ea quae habet Ecclesia; nam apud Patres inveniuntur testimonia desumpta ex Evangelio, quae tamen in nullo ex nostris Evangeliis continentur: ergo aliquod aliud datur Evangelium. Rationalistae qui admittunt quaternarium numerum Evangeliorum, tamen ea a nostris Evangelistis scripta esse negat: sed illa supponunt exarata saeculo secundo. Nos igitur probabimus Evangelia non esse nisi quatuor, simulque ostendemus eorum auctores fuisse Matthaeum, Marcum, Lucam et Joannem.

Hanc veritatem probant, in primis, Canon Conc. Tridentini, decreta Eugenii IV et Papae Gelassii, Canon Inocentii I, et

Canones Conc. Hippon. et Cartag. III, ubi non nisi quatuor Evangelia habentur, eaque, nostris Evangelistis tribuuntur.

Testimonia Patrum innumera sunt; nos quaedam tantum adducemus. Ex Ecclesia Alexandrina, Origenes qui ait, sicut in V. T. fuisse prophetas et psaeudoprophetas, sic etiam in N. T. «plures fuisse qui conati sunt scribere Evangelia, sed non omnes recepti.» Et ex his verbis Lucae: «Quoniam quidem multi conati sunt ordinare narrationem.» infert: «Hoc quod ait, *conati sunt* latentem habet accusationem eorum, qui absque gratia Spiritus Sancti ad scribenda Evangelia prosilierunt. Ecclesia quatuor habet Evangelia, haeresis plurima. Matthaeus quippe et Marcus et Joannes et Lucas non sunt conati scribere, sed Spiritu Sancto pleni scripserunt Evangelia... Quatuor tantum Evangelia sunt probata, e quibus sub persona Domini et Salvatoris Nostri proferenda sunt dogmata. Scio quoddam Evangelium, quod appellatur secundum Thomam, et juxta Matthiam et alia plurima legimus, ne quid ignorare videremur, propter eos, qui se putant aliquid scire, si ita cognoverint. Sed in his omnibus nihil aliud probamus, nisi quod Ecclesia, id est, quatuor tantum Evangelia recipienda.» (1) «Origeni autem jam praeiverat, ait Cornely, in eadem ecclesia Clemens. Alex. qui non tantum testimonium «quod in nobis traditis quatuor Evangeliis non habemus» velut spurium rejicit» sed etiam teste Eusebio in Ὑποτυπώσεων libris deperditis «traditionem quamdam, quam a vetustioribus presbyteris acceperat» de temporis ordine, quo quatuor illa conscripta sint, nobis conservavit. (2)

Ex Ecclesia Africana, Tertulianus qui disputans cum Marcion, qui non aliud Evangelium admittebat nisi Evangelium Lucae, illumque ab ipso truncatum, asserit plura esse Evangelia ab Apostolis et viris apostolis scripta: ait enim «Denique nobis fidem ex Apostolis Joannes et Matthaeus insinuant, ex Apostolicis Lucas et Marcus instaurant.» Et alibi scribit: «Eadem auctoritas ecclesiarum apostolicarum caeteris patrocinabitur Evangeliis, quae proinde per illas et secundum illas habemus, Joannis dico et Matthaei: licet et Marcus quod edidit Petri affirmetur, cujus interpres Marcus: nam et Lucae digestum Paulo adscribere solent.» (3)

(1) *In Matth.* tom. I. apud Cornely.
(2) *Strom.* III, 13.
(3) *C. Marc.* IV, 2. 5.

Ex Ecclesia Romana, habemus, in primis fragmentum Muratorii, ab A. Antonio Muratori, archaeologo e historico celeberrimo, in Bibliotheca Ambrosiana Mediolanensi inventum saeculo XVII. Hoc fragmentum, quod juxta criticos omnes est saeculi II, mentionem facit de quatuor Evangeliis, non vero de ullo alio. S. Irenaeus discipulus S. Polycarpi, et ideo fere coaevus Apostolis, postquam dixerit etiam haereticos usos fuisse quatuor Evangeliis, ait: «Neque autem plura numero haec sunt, neque rursus pauciora capit esse Evangelia.» S. Theophilus, Antiochenus Episcopus, medio saeculo II «quatuor evangelistarum in unum opus dicta compingens, ingenii sui nobis monumentum reliquit» teste S. Hieronymo. (1) Et Tacianus S. Justini discipulus, composuit quamdam catenam vel collectionem Evangeliorum, quae dicitur το δια τεσσαρων.

Etiam veritatem nostrae thesis confirmant, versiones antiquissimae ut versio latina, syriaca et coptica, quae non nisi quatuor nostra Evangelia continent.

Demum inter veteres haereticos, Celsus admisit quatuor Evangelia hisque usus est ad revelationem labefactandam. Ebionitae agnoscebant Evangelium S. Matthaei; Marcion S. Lucae; Valentinus S. Joannis, et haeretici qui impassibilem faciebant Christum, passibilem vero Jesum, admiserunt Evangelium S. Marci.

Dicunt adversarii, plura esse apud Patres testimonia quasi ex Evangelio desumpta quae tamem in nullo ex nostris Evangeliis inveniuntur.

Dicendum est, hujusmodi testimonia ex nostris Evangeliis esse dessumpta; quamvis non iisdem verbis: nam allegationes Patrum, quandoque sunt ad litteram, quandoque autem ad sensum tantum.

582. Evangelia apocrypha. Recole quae diximus de hujusmodi libris, in Introductione Generali, Sect. I, Cap. II.

583. Quare Ecclesia non nisi quatuor Evangelia agnoverit.

Quia ab Spiritu Sancto inspirata cognovit haec tantum esse vera Evangelia; et testimoniis certissimis deprehendit omnia alia Evangelia esse apocrypha. Ad rem S. Augustinus: «Caeteri autem homines, qui de Domini vel apostolorum actibus scribere conati vel ausi sunt, non tales suis temporibus extiterunt ut eis

(1) *Ad Algas* ep. 121, 6; *de Viris illust.* 25; *in Matth Prol.*

fidem haberet Ecclesia, atque in auctoritatem canonicam sanctorum librorum eorum scripta reciperet, nec solum quia illi non tales erant, quibus narrantibus credi oporteret, sed etiam quia scriptis suis quaedam fallaciter indiderunt quae catholica atque apostolica regula fidei et sana doctrina condemnat.» (1)

S. Patres quaternarium numerum Evangeliorum, quibusdam rationibus congruentiae confirmant. Juxta S. Irenaeum, quatuor sunt regiones mundi per quas diffusa est Ecclesia; ergo quatuor sunt Evangelia, quasi totidem columnae Ecclesiae: juxta S. Cyprianum, quatuor Evangeliorum figura, sunt quatuor flumina Paradisi, quae ex uno fonte progrediuntur. S. Hieronymus comparat quatuor Evangelia quatuor angulis Arcae Foederis; S. Augustinus vero quatuor drachmis, quas Petrus in ore piscis invenit. Demum juxta Patres, quatuor animalia Ezechielis habentia faciem *hominis*, *leonis*, *bovis* et *aquilae* figurae sunt quatuor Evangelistarum: *leo* repraesentat Matthaeum, *homo* Marcum, *vitulus* Lucam, et *aquila* Joannem.

584. Ordo Evangeliorum in Canone est probabiliter chronologicus, et certissime antiquissimus: hoc enim ordine ea invenimus apud Irenaeum, Origenem et auctorem fragmenti Muratorii. Patres unanimiter fatentur, primum scripsisse Matthaeum, et postremum Joannem: etiam omnes asserunt Marcum prius scripsisse quam Lucam, excepto S. Clem. Alex. qui putat prius scripta fuisse Evangelia quae continent genealogias. In hac re ait S Augustinus: «Evangelistae hoc ordine scripsisse perhibentur: Primum Matthaeus, deinde Marcus, tertio Lucas, ultimo Joannes. Unde alius eis fuit ordo cognoscendi atque praedicandi, alius autem scribendi... In conscribendo Evangelio... ex numero eorum quos ante passionem Dominus elegit, primum atque ultimum locum duo tenuerunt. (2)

585. Num tituli «secundum Matthaeum etc.» ab ipsis Evangelistis appositi fuerint.

Negative respondet S. Joannes Chrysostomus: quia non erat mos inter Orientales, quod auctor alicujus libri historici apponeret libro nomen suum.

Sed hujusmodi tituli antiquissimi sunt, quia his utuntur Tertulianus, S. Irenaeus, S. Clemens Alex et auctor fragmenti Mura-

(1) *De Cons. Evang.* lib. I. c. I. et S. Hier. *Praef. in Matth.*
(2) *De cons. Evangelist.* lib. II, cap. 3.

torii. Etiam in usu fuerunt in Ecclesiis Lugdunensi, Alexandrina et Romana: unde deducimus hujusmodi titulos esse aetatis apostolicae, et idcirco magnam habere vim ad Evangeliorum authentiam demonstrandam.

586. Quid in his titulis significet hoc verbum «*secundum.*»

Vox graeca κατα (secundum ex. gr. Matthaeum) significare posset, non modo auctorem Evangelii sed etiam librum scriptum juxta praedicationem alicujus; unde haec locutio «*Evangelium secundum Matthaeum*» significare posset: «Evangelium a me vel a quolibet alio scriptum, juxta vel secundum praedicationem oralem Matthaei.» Sed in nostro casu juxta omnes Patres vox graeca κατα (secundum) designat ipsum auctorem Evangelii: hoc sensu acceperunt hanc vocem omnes scriptores ecclesiastici, et etiam Platon, Diodorus etc. Hanc significationem vocis «secundum» solummodo negavit Faustus Manichaeus.

Caput II

De Evangeliis synopticis

587. Quae Evangelia dicantur synoptica, et quae sit ratio hujus denominationis. = 588. Opiniones et systemata catholicorum ad explicandas affinitates et differentias Evangeliorum synopticorum. = 589 Assertiones rationalistarum in hac materia.

587. Dicuntur synoptica, tria priora Evangelia, nempe Matthaei, Marci et Lucae. Dicuntur synoptica, quia fere semper servant ordinem chronologicum factorum, et insuper quia inter haec tria Evangelia datur vera unitas harmonica, tum in ordine ad materiam, tum in forma expositionis. In utroque S. Joannes ab aliis Evangelistis distinguitur, quia alium sibi scopum proposuerat.

588. Quaedam sunt affinitates inter haec Evangelia, quae videntur explicari non posse, quin dicamus unum Evangelistam transtulisse ea quae invenerat in altero Evangelista: quod ex alia parte videtur incredibile si consideremus differentias quae inter praedicta Evangelia notantur. Ad haec explicanda, varia systemata inventa sunt a catholicis et rationalistis.

Juxta aliquos, S. Marcus in compendium reduxit Evangelium S. Matthaei, et S. Lucas haec duo Evangelia ordinavit, et suum scripsit: haec est opinio S. Augustini, quae tamen admitti non potest: certum est S. Augustinum appellare S. Marcum

«pedisequum et breviatorem Matthaei»; sed nullus alius praeter Augustinum hujus opinionis patrocinium suscepit. Juxta Cornelium a Lapide et Baronium, S. Augustinus illis verbis significare vult, omnia quae scripserat S. Matthaeus, compendiose scripsisse S. Marcum secundum quod ea audiverat a S. Petro.

Praeterea postquam Evangelium Matthaei jam divulgatum est, fideles, ut dicit Papias, ampliorem adhuc relationem vitae Christi postulabant; non ergo concipitur, quod S. Marcus qui post S. Matthaeum scripsit, hujus Evangelium in compendium redegisset. Demum Papias, S. Irenaeus, S. Clemens Alex et S. Justinus asserunt, Marcum scriptis consignasse praedicationem S. Petri.

Quoad S. Lucam, nullum est inconveniens in hoc quod admittamus legisse et perlegisse Evangelia jam escripta: sed negamus, ipsum ad pedem litterae transtulisse anteriora Evangelia; sed plura scripsit secundum quod ea audiverat a suo magistro S. Paulo: propter quod Patres dicunt, S. Paulum fuisse *illuminatorem S. Lucae.*

Igitur tria Evangelia sunt inter se independentia: et hinc quod unus narret quod alter omittit. Nam si posterior Evangelista praecedentem transtulit (copió al anterior) ¿quomodo explicatur, quod posterior aliquando omittat miracula oportunissima, quae anterior refert? Quomodo explicatur differentia in verbis consecrationis, et tituli crucis etc? (1)

---

(1) Audiatur cl. Caminero: «Probemos ahora la independencia de los tres sinópticos entre sí y de cualquier otro documento escrito como fuente común á todos, y en consecuencia la vanidad de las hipótesis mencionadas, no solo como contrarias á la primera tradición eclesiástica, sino por lo que resulta de la comparación de los textos. Por lo que toca al Evangelio de Lúcas, su independencia del de Mateo resulta, no solo de lo que tiene de más y de menos, y de la diversidad de las genealogías, sino de los siguientes puntos: 1.° El *plan* es independiente del de S. Mateo y así en la narración del viaje del Salvador por la Samaria (IX, 51-XIX) no se menciona siquiera la Perea, adonde hubo de ir por no haberle recibido los samaritanos, y donde S. Mateo coloca el teatro del mismo viaje (XIX. 1), y no parece posible que al encontrarse de nuevo los dos relatos no hiciera alguna indicación..... En los relatos comunes á los dos hay diferencias que saltan á la vista, como las genealogías, la inversión en el orden de las tres tentaciones, y omisión en Lúcas de la aparición de los ángeles en el final de la historia de la tentación: la supresión en S. Lúcas de la confesión como parte del rito del bautismo de Juan, y la modificación de las palabras que se oyeron del cielo en el de Jesús y en la transfiguración: la in

Alii opinantur S. Matthaeum primum scripsisse suum Evangelium hebraice; sed paulo post, ipsum vel alium vertisse in graecum; cum vero hoc tempore jam scriptum esset Evangelium S. Marci, translator primi Evangelii, imitatus est stylum secundi.

---

dicación de un endemoniado en Gadara y un solo ciego en Jérico, de los dos que cita S. Mateo, y otras muchas diferencias de pormenores que no se comprenden si el primer Evangelio sirvió de base al tercero, ó ambos proceden de un mismo documento escrito. En el *tenor* de las palabras de Jesús, como cuando se leen variadas las palabras de la oración dominical, la declaración tan grave sobre la blasfemia contra el Espíritu Santo; la transformación en un buey caído en una zanja, en vez de un carnero; de dos pájaros que valen un óbolo en cinco que valen dos, etc., etc. La conformidad en las expresiones y miembros de frase es solo intermitente, y esto en el mismo párrafo y en la misma frase. Así, había que decir que Lúcas copia á Mateo media línea y le deja en la otra media, lo cual carece de toda verosimilitud..... En fin fuera del prólogo, está S. Lúcas lleno de arameismos, aún en los pasajes paralelos á S. Mateo en que este carece de ellos, pues su lengua es en general pura, nativa y llena de nervio. Si, pues, Lúcas le siguió, hay que decir que, siendo helenista de origen, sabiendo escribir griego puro, alteró un texto del todo griego, para llenarle de arameismos, conducta á todas luces absurda si verdaderamente se valió del texto de S. Mateo. Luego es independiente de él.—Pues también lo es de Márcos. Desde luego es diferente el plan, que en Márcos no es otro que la oposición entre el ministerio de Cristo en Galilea y lo sucedido en Jerusalem, aglomerando sencillamente los hechos en forma anecdótica..... Nada hay en Márcos que se parezca al desarrollo gradual de la obra evangélica que pone Lúcas de manifiesto. Hay en la serie de los hechos, sobre todo al principio, mayor conformidad con Márcos que con Mateo, pero no sin transposiciones imposibles de explicar si Lúcas procede de Márcos. Lúcas omite más que algunos relatos particulares, pues omite todo lo que se lee en S. Márcos desde el cap. VI, 45, hasta el VIII, 26; cosa imposible de explicar si se valía de él, á no decir gratuítamente que faltaba este trozo en el ejemplar de Márcos que Lúcas poseía. En las narraciones particulares y tenor de los discursos de Jesús, hay la misma diferencia ya notada entre Lúcas y Mateo. Si Lúcas copia á Márcos ¿porqué coloca la curación del ciego de Jericó al salir de la ciudad, mientras que Márcos le coloca al entrar? ¿Porqué omite el nombre de Bartimeo, y los pintorescos pormenores del relato de Márcos? ¿A qué mutilar narraciones tan dramáticas como la curación del joven lunático?.... ¿Porqué colocar en el día de ramos la expulsión de los traficantes del templo, cuando Márcos parece colocarle en el día siguiente?.... También hay diferencia en el uso de arameismos, escasos en Márcos y abundantes en Lúcas. Si este se valió de aquél, ¿para quién aramaiza? ¡Habría en él una mezcla incomprensible de dependencia y originalidad afectada, etc.» *Est. Crit. sobre el N. T.* Confer. VIII.

Sed hoc tantum explicaret affinitates in stylo, non vero affinitates et differentias de quibus est sermo.

Juxta Cornely, fons Evangeliorum synopticorum est traditio oralis; nam Apostoli continua catechesi orali in fidei doctrina neophytos instituere curabant. Sed animadvertit Cornely, et cum eo P. Semeria (1) Apostolorum catechesim eamdem ubique esse non potuisse: alia erat catechesis Hierosolymae, ubi soli judaei docendi erant; alia Romae, ubi post expulsionem judaeorum ex urbe, nonnisi ethnicis conversis Ecclesia constabat: alia Antiochiae ubi neophyti erant non modo judaei, sed etiam Gentiles. Ergo ex hac triplici catecheseos forma explicantur similitudines et dissimilitudines quoad *res narratas ordinemque:* ex eadem autem orali traditione seu ex Apostolica catechesi *formae stylique quoque similitudo explicatur.* (2) Sed hoc sufficiens non videtur ad explicandas narrationes affines, et non raro identicas synopticorum. Demum, secundum Vigouroux, Evangelia synoptica, unum post aliud scripta sunt: secundus Evangelista cognovit primum, et tertius, duos anteriores. Postremus Evangelista usus est opere praecedentium, et secundus ob oculos habuit primum Evangelium. Sed unus Evangelista, juxta scopum suum, plura omittit quae in alio vel aliis legerat, et aliqua addit quae ipse vidit, vel ab Apostolis aut eorum discipulis orali traditione accepit: et sic explicantur affinitates et differentiae.

Etiam Schanz, interpres catholicus, agens de Evangelio Lucae, proponit quasi ejus fontes, Evangelia jam scripta, et catechesim seu traditionem oralem, quamvis, absque fundamento Lucae tribuat opiniones quas rationalistae vocant Paulinianas. Hae sunt praecipuae sententiae catholicorum quoad affinitates et differentias synopticorum. (3)

(1) *Revue Biblique Intern.* 1896. Jan.

(2) *Curs. Scrip. Sac. Intr. Spec. in N. T.* Disser. 1. Sect. I. Cap. II.

(3) Caminero non alium fontem agnoscit Evangeliorum quam traditionem oralem; ait enim loquens de Luca: «Luego S Lúcas no tuvo presentes los Evangelios anteriores para escribir el suyo, cosa conforme por otra parte á lo que dice en el prólogo, como hemos visto; y si se quiere hablar de fuentes, no hay más que estas generalidades probables: un escritor genealógico, memorias de familia relativas al Bautista, y noticias escritas ú orales recogidas *diligentemente* por Lúcas, como él dice; y por cierto que ocasión tuvo de hablar con varios ó con todos los Apóstoles, y con la Virgen María, que *conservaba todas las cosas* relativas á su Hijo, *meditándolas en su corazón* como el mismo Evangelista afirma.» Op. et loc. sup. cit.

589. Etiam sua systemata habent rationalistae quoad Evangelia synoptica. Juxta J. Weis, Lucas semper ac necessario sequitur Marcum.

Sed, si hoc verum est, quomodo explicantur differentiae inter utrumque?

Respondet Weis, Marcum de quo ipse loquitur fuisse alium Marcum antiquiorem, qui fuit fons Evangelii Matthaei et Marci actualis. Sed sic crescit difficultas: tunc enim Lucas continere deberet, omnia quae in Matthaeo et Marco habentur, quod tamen falsum est. Vel fortase admittendus est alius Marcus antiquior, et alius adhuc antiquior et sic usque in infinitum? (1)

Alii rationalistae inter quos Rennan, ex quibusdam verbis Papiae inferunt Matthaeum scripsisse tantum *oracula Domini* τα λογια κυριου, Marcum vero quasdam annotationes biographicas et facta Salvatoris; postea vero haec duo opera unum tantum opus fecisse: hoc autem opus est Evangelium Lucae.

Quod attinet ad Marcum, falsum est ipsum facta tantum Salvatoris scripsisse, nam ipse Papias asserit Marcum scripsisse «quae a Domino aut dicta aut gesta fuerant.»

Quoad Matthaeum, animadvertendum est, in testimonio Papiae, verba illa graeca τα λογια non modo significare oracula, parabolas, vel discursus Domini, sed etiam omne illud quod ad Dominum refertur. Nam hic est titulus libri Papiae, «*Oraculorum Domini expositio*,» et tamen in illo Papias non tantur loquitur de praedicatione Domini, sed etiam de multis factis, ex. gr. miraculis. Praeterea frequenter Patres, omnem Scripturam vocant *Divina oracula*, *Spiritus Sancti oracula*.

Demum cum intimum nexum existat inter facta et dicta Salvatoris, incredibile est quod ea separatim scriberentur. Postremo, Evangelium non est nisi ipsa praedicatio Apostolorum; Apostoli autem non modo fuerunt testes praedicationis Domini sed etiam factorum ipsius, praesertim vero miraculorum. (2)

(1) *Revue Biblique* 1896. Jan.

(2) Audiatur Renan: «Papias después de haber declarado que en semejantes materias prefiere la tradición oral á los libros mencionados escritos sobre los actos y las palabras de Cristo: 1.° un escrito de Márcos, intérprete del Apóstol Pedro, escrito corto, incompleto, no clasificado con orden cronológico, el cual comprende relatos y discursos y noticias del apóstol Pedro: 2.° una compilación de sentencias escrita por Mateo en lengua hebrea, y que ha traducido cada uno como ha podido. Es indudable que estas dos descripciones se harmonizan bastante bien con la fisonomía

Eichorn supponit existentiam alicujus Evangelii primitivi aramaice scripti ab Apostolis, quod Evangelium vocat *Proto-Evangelium*.

Hoc sufficeret ad explicandas affinitates synopticorum quoad facta et ordinem narrationis, non vero ad explicandam concordantiam *verbalem*. Hac de causa Eichorn mutavit sententiam, et dixit fontem communem pro Evangeliis synopticis fuisse versionem graecam alicujus Evangelii primitivi.

Sed si hoc verum esset, tum illud Evangelium primitivum aramaicum, tum ejus versio graeca, habita fuisset in magno ho-

---

general de los dos libros llamados ahora «Evangelio según Mateo» y «Evangelio según Márcos», los cuales se distinguen, uno por sus largos discursos, y otro por sus anécdotas, en particular siendo el más exacto que el primero en relatar los acontecimientos de secundaria importancia, pobre en discursos, breve hasta la aridez y por estar bastante mal pergeñado. Que sean estas dos obras, tales como nosotros las leemos, absolutamente parecidas á las que leía Papias, no es sostenible en buena lógica: primero, porque el escrito de Mateo según Papias, se componía tan solo de discursos en hebreo, de los cuales circulaban traducciones bastante diferentes; y segundo, porque la obra de Márcos y la de Mateo eran para él profundamente distintas, no tenían en su redacción ningún punto de contacto, y, á lo que parece, estaban escritos en diferente idioma Esto supuesto, y ofreciendo el «Evangelio según Márcos» y el «Evangelio según Mateo», en el estado actual de sus textos, larguísimos trozos paralelos perfectamente idénticos, preciso es suponer ó que el redactor definitivo del primero tenía el segundo á la vista, ó que el del segundo consultaba el primero, ó que ambos redactores copiaron el mismo prototipo. Lo más verosimil es, que ni respecto á Márcos ni respecto á Mateo tenemos las redacciones del todo originales, y que nuestros dos primeros evangelios son arreglos en los cuales se trató de llenar con un texto los vacíos del otro. Cada uno quiso, en efecto, poseer un ejemplar completo; aquél que en el suyo no tenía sino discursos, deseó tener relatos, y recíprocamente. Solo así se explica que el «Evangelio según Mateo» comprenda casi todas las anécdotas de Márcos, encierre hoy un sin número de rasgos que emanan de las *Logia* de Mateo. Además cada uno, bebía abundantemente en el manantial de la tradición evangélica que continuaba manando en torno suyo. Y tan lejos estuvo aquella tradición de haber sido agotada por los evangelios, que los «Hechos de los apóstoles» y los Padres más antiguos citan varias palabras de Jesús que parecen auténticas y que no se hallan en los Evangelios que poseemos »

«No cumple á nuestro objeto actual el delicado análisis de reconstruir, hasta cierto punto, las *Logia* originales de Mateo, por una parte, y, por la otra el relato primitivo tal como salió de la pluma de Márcos.» *Vid. de Jesus, vers. hisp. Introd.*

Videbis omnes assertiones Renan esse prorsus gratuitas et arbitrarias.

nore in Ecclesia primitiva: et tamen neque Apostoli, neque Patres apostolici, neque Patres posteriores mentionem ullam faciunt de illo Evangelia primitivo deque ejus versionae graeca: ergo tale Evangelium nunquam exstitit nisi in mente rationalistarum. (1)

Caput III

De authentia et veracitate Evangeliorum.

590. Evangelia sunt authentica et genuina. = 591. Credibilitas historica Evangeliis negari non potest. = 592. Objectiones: 1.ª Ajunt rationalistae Papiam non loqui nisi de 3.° et 4.° Evangelio: 2.ª Cum Celso et Porphirio dicunt, genealogias D. N. Jesu Christi, secundum Matthaeum et Lucam minime inter se convenire. Diversa systemata ad has genealogias conciliandas: 3.ª Falsa est narratio Lucae quoad censum ab Augusto imperatum: 4.ª Conciliari nequit cum auctoritate historica Evangeliorum, silentium scriptorum Judaeorum, Graecorum et Romanorum circa facta notabiliora Evangelii. = 593. Tabula concordantiarum evangelicarum.

590. Evangeliorum authentiam et genuinitatem negant Straus, Renan, Collins, Toland, Voltaire, Bayle, Rousseau, Edelmann, qui asserunt, Evangelia non ab Apostolis nec apostolicis viris, sed saeculo secundo ab auctoribus ignotis scripta fuisse: juxta Renan hoc dicendum est saltem de Evangeliis quibus nunc utimur.

Jam capite I locuti sumus de authentia quatuor Evangeliorum: hic non nulla addemus, quia haec quaestio intimum habet nexum cum sequenti.

S. Hieronymus loquens de Evangelistis ait: «Matthaeus, qui et Levi, ex publicano Apostolus, primus in Judaea propter eos qui ex circumcisione crediderant, Evangelium Christi hebraicis litteris verbisque composuit. Quod quis postea in graecum transtulerit, non satis certum est... Marcus discipulus et interpres Petri, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, probavit, et Eclesiis legendum sua auctoritate edidit, sicut Clemens in sexto Hipotyposion libro scribit... Lucas medicus Antiochensis, ut ejus scripta indicant, graeci ser-

(1) Cons. J. Corluy, *Diccion. apolog. Jaugey, Evangelios.*

monis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, et omnis peregrinationis ejus comes, scripsit Evangelium, de quo idem Paulus *misimus*, inquit, *cum illo fratre, cujus laus est in Evangelium per omnes Ecclesias*»... Joannes Apostolus, novissimus omnium scripsit Evangelium, rogatus ab Asiae episcopis, adversus Cerinthum, aliosque haereticos et maxime tum ebionitarum dogma consurgens.» (1)

Et Augustinus contra Faustum qui negavit authentiam Evangelii S. Matthaei, sic scribit: «Dices illam narrationem non esse Matthaei quam Matthaei esse dicit universa Ecclesia... Tu quid mihi contra lecturus es? aliquem forte librum Manichaei... Sicut ergo ego credo illum librum esse Manichaei, quoniam ex ipso tempore, quo Manichaeus vivebat, per discipulos ejus certa successione... ad vestra usque tempora custoditus atque perductus est; sic et istum librum credite esse Matthaei, quem ex illo tempore quo Mathaeus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum Ecclesia, certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit.» (2)

Hanc veritatem confirmant etiam haeretici et pagani.

1.° Haeretici, nam Cerinthus, Ebion, Marcion, Valentinus, Basilides etc, cunctis scriptis evangelicis usi sunt. De Marcione ait Tertullianus: «Adeo antiquius Marcione est quod est secundum nos, ut et ipse illi Marcion crediderit. Itaque dum emendat (nempe Lucam) utrumque confirmat: et nostrum anterius.... et is posterius, quod de nostri emendatione constituens unum et novum fecit.» (3) S. Irenaeus scribit: «Tanta est autem circa Evangelia haec firmitas, ut et ipsi haeretici testimonium reddant eis, et ex ipsis egrediens unusquisque eorum conetur suam confirmasse doctrinam. Ebionaei, etenim eo Evangelio, quod est secundum Matthaeum, solo utentes, ex illo ipso convincuntur.... Marcion autem, id quod est secundum Lucam circumcidens, ex his quae adhuc servantur penes eum, blasphemus ostenditur. Qui autem Jesum separat a Christo.... id quod secundum Marcum est, preferentes Evangelium, cum amore veritatis legentes illud corripi possunt. Hi autem qui a Valentino sunt, id quod est secundum Joannem plenissime

(1) *Catalog. Script. Eccles.*
(2) *Con. Faustum* Lib. 28. C. 2.
(3) *Adv. Mar.* 4. 4.

utentes.... ex ipso detegentur. Cum ergo hi qui contradicunt, nobis testimonium perhibeant, et utantur his, firma et vera est nostra de illis ostensio.» (1)

2.° Pagani, a quibus Ecclesia plura passa est, ab ipsis primordiis, numquam tamen negarunt genuinitatem Evangeliorum. Sic Celsus, nunquam negavit Evangelia, sed tantum docuit ea corrupta fuisse a christianis. Julianus arguens contra divinitatem Christi scribit: «Jesum quippe illum neque Paulus Deum dicere ausus est, neque Matthaeus, neque Lucas, neque Marcus, sed bonus ille Joannes.... primum id prodere ausus est » (2)

His adnumerat S. Hieronymus Porphirium.

Patet ergo authentia Evangeliorum.

Sed juxta Renan, et generatim omnes rationalistas, Evangelia scripta non fuerunt nisi secundo saeculo, juxta praedicationem Apostolorum plus vel minus transformatam.

Sed nos jam ostendimus, illa verba *secundum Matthaeum* etc, significare Evangelia scripta fuisse a ipso Matthaeo, Marco, Luca et Joanne: quod si quis dicat, haec Evangelia saeculo secundo omnino corrupta fuisse, et ex hac corruptione prodiisse Evangelia quae nunc habemus, statim probabimus, hanc corruptionem fuisse omnino impossibilem.

Itaque deveniamus ad ostendendam veracitatem et credibilitatem historicam Evangeliorum; ubi videbimus, illa Evangelia authentica non continere *legendas*, atque integra ad nos usque pervenisse.

Thesis. Libri Evangeliorum veraces sunt, omnimodamque fidem historicam merentur.

Fundamenta hujus thesis, suut; 1.um quod Evangelia habent conditiones omnes quas critica exigit, ut liber aliquis sit vere historicus: 2.um Fides christianorum et etiam non christianorum in eorum authentiam: 3.um Fictionis impossibilitas; et 4.um Characteres interni Evangeliorum.

1.um Conditiones quas critica exigit ut liber aliquis sit vere historicus sunt:

1.a Ut facta quae narrat sint publica: 2.a sint saltem alicujus momenti· 3.a Ut qui facta narrant sint scientia, veracitate et sinceritate praediti: 4.a ut testificatio narratorum sit identica

(1) *Cont. haeret.*, 3, 11.
(2) *Apud Cyrill. Alex.* lib. 10.

saltem quoad substantiam; et 5.ª ut narratio non sit contraria narrationi alterius verae historiae.

Jam vero, omnes hae conditiones in Evangeliis locum habent; et quidem 1.ª, nam facta sunt publica, et plerumque coram immensa testium multitudine patrata, et narrata ab Evangelistis cum designatione loci et temporis, ubi et quando acciderunt, et personarum quae praesentes fuerant; talia sunt inter alia innumera, conversio aquae in vinum (Joan. II); visus redditus caeco a nativitate (Joan. IX); duplex panum ac piscium multiplicatio ad plura hominum millia saturanda (Matth XIV et XV); omnis generis morborum repentina sanatio; ambulare super aquas; tempestates sedare (Evang. passim); plures mortuos ad vitam revocare (Matth IX, Luc, VII, Joan. XI); prodigia quae tempore mortis Christi locum habuerunt (Matth. XXVIII, Marc XVI, Luc. XXIV, et Joan. XX et seqq.) ipsius Christi resurrectio, apparitiones et ascensio in coelum; demum miracula ab apostolis patrata, ut claudi sanatio ad portam templi coram judaeorum turba etc. etc.

Sed juxta Renan haec facta credibilia non sunt, eo quod sint miraculosa ideoque et falsa; quia adhuc nullum miraculum comprobatum fuit, eo quod facta sint coram multitudine simplici et vulgari, non vero coram hominibus peritis. En ejus verba: «Hay particularmente una clase de relatos respecto á los cuales se hace precisa la aplicación de ese principio: tales son los relatos sobrenaturales. Querer explicar esos relatos ó reducirlos á leyendas, no es mutilar los hechos en nombre de la teoría, sino partir de su misma observación. De cuantos milagros hormiguean en las antiguas historias, ninguno pasó bajo condiciones científicas. Pruébase por una experiencia constante, jamás desmentida, que los milagros no suceden sino en los tiempos y en los paises que creen en ellos y ante personas dispuestas á darles fé. No hay milagro que se haya producido ante una reunión de hombres capaces de comprometer el carácter milagroso del hecho. En tal materia no son competentes ni las personas del pueblo ni las de una clase más elevada: para ello se necesitan grandes precauciones y estar muy acostumbrado á las investigaciones científicas. ¿No se ha visto en nuestros dias á muchas personas inteligentes siendo víctimas de groseros prestigios y pueriles ilusiones? Hechos maravillosos que afirmaban ciudades enteras, se convirtieron en hechos re-

probados, gracias á una información más severa y minuciosa. Pues bien, si se halla fuera de duda que ningún milagro contemporáneo puede resistir al exámen, ¿no es mucho más verosímil que los milagros de la antigüedad, ocurridos todos en reuniones populares, tuviesen también su parte de ilusión, la cual veríamos en ellos si nos fuese posible criticarlos detalladamente.?»

«Si nosotros desterramos de la historia los milagros, no es á nombre de tal ó cuál filosofía, sino á nombre de una constante experiencia. Nosotros no decimos «Los milagros son imposibles»; afirmamos: «Que hasta hoy no ha habido un milagro comprobado». Supongamos que se presentase mañana un taumaturgo, ofreciendo garantías bastante formales para ser discutibles, y que anunciase, por ejemplo, resuscitar á un muerto: ¿qué se haría entonces? Se nombraría una comisión compuesta de fisiólogos, físicos, químicos, de personas acostumbradas á la crítica histórica. Esta comisión elegiría el cadáver, se aseguraría de que la muerte era real y verdadera, designaría el local en que debiera hacerse la experiencia y tomaría todas las precauciones necesarias á fin de no dejar pretexto á ninguna duda. Si la resurrección se operase, en tales circunstancias, se habría adquirido una probabilidad casi igual á la certidumbre. Sin embargo, como quiera que un experimento debe ser siempre susceptible de repetirse, que lo que se hace una vez, puede hacerse dos ó veinte, y que en materia de milagros no puede ser cuestión de fácil ó difícil, el taumaturgo sería invitado á reproducir, en otras circunstancias, sobre otros cadáveres y en diferente medio, su acto maravilloso. Pues bien, si á cada nueva prueba se repitiese el milagro, dos cosas quedarían fuera de duda:—Primera, que en el mundo suceden hechos sobrenaturales; que la facultad de producirlos pertenece ó ha sido conferida á ciertas personas. Pero ¿quién no conoce que los milagros no han sucedido nunca en tales condiciones: que hasta hoy el taumaturgo ha elegido siempre el medio, el público y el asunto de sus milagros? que frecuentemente es el pueblo mismo el que, por esa invencible necesidad de ver en los grandes acontecimientos y en los grandes hombres algo de divino, crea, mucho después, las leyendas maravillosas? Mientras no se nos pruebe lo contrario, nosotros mantendremos estos principios de crítica histórica:—que un relato sobrenatural no puede ad-

mitirse en tal concepto, porque implica siempre credulidad é impostura, y que el deber del historiador consiste en desmenuzarla y en separar con esmero la parte verídica que en él se halla mezclada, con el error.» (1)

In his verbis Renan plura falsa, arbitraria, et ridicula continentur. In 1.^{iis} audacter asserit, *nullum miraculum esse adhuc comprobatum*, quia omnia facta sunt coram testibus indoctis et vulgaribus; non vero peritis: quod idem est ac dicere, sapientissimos Patres qui plura miracula viderunt et patrarunt; doctissimos gentiles, qui fidem Christi susceperunt aspicientes miracula Apostolorum et Martyrum; notabiliores medicos, qui miracula quae in Lourdes fiunt ut vera miracula habent non esse testes peritos sed indoctos et vulgares!

2.° Affirmat miracula numquam fieri nisi eo tempore, loco et regione ubi miracula creduntur, et coram testibus, qui facillime facta extraordinaria admittunt ut miracula.

Sed legat Renan sequentem narrationem Matthaei, IX 2-7,: «Et ecce offerebant ei paralyticum jacentem in lecto. Et videns Jesus fidem illorum dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cum vidisset Jesus cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Quid est facilius dicere; dimittuntur tibi peccata tua; an dicere; Surge et ambula? Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, et vade in domum tuam. Et surrexit, et abiit in domum suam.» Nunc dicat nobis Renan ¿utrum Scribae, acerrimi adversarii Christi, fuerint testes parati ad credendum in miraculis Christi? Num gentiles etiam essent testes parati ad credendum in miracula Apostolorum? et tamen crediderunt et fidem Christi amplexi sunt.

3.° Arbitrarie affirmat, nullum miraculum patratum esse, quod subjectum fuerit examini scientifico.

¡Quid ergo dicendum de eclipsi quae ocurrit tempore mortis Christi, quaeque exclamare fecit sapientissimo viro Dionysio Areop.: «Aut Deus naturae patitur, aut mundi machina dissolvitur?» Nonne miracula Lourdes examini scientifico, saepissime subjecta sunt a viris doctissimis catholicis et non catholicis?

(1) *Vid. de Jesus. Introd.*

4.° Ridicule exigit ad resurrectionem mortuorum comprobandam delegationem quamdam physiologorum, physicorum et chimicorum, ad confirmandam realitatem mortis et veritatem resurrectionis.

¿Nonne necessarium fuit esse physiologum, physicum, vel chimicum ad cognoscendum filium viduae Nain qui ferebatur ut eum sepelirent, vere esse mortuum? An medici illius temporis ita erant stupidi et ignorantes ut vivos sepelire permitterent? Ad cognoscendum, Lazarum qui in sepulcro jam foetebat, esse vere mortuum ¿fuit necessaria delegatio physiologorum, physicorum et chimicorum? ¿Quis ergo dubitare audebit de veritate resurrectionis Lazari, et filii viduae Nain?

4.° Demum, arroganter pronuntiat, facta supernaturalia, ut talia, numquam admittenda esse; eo quod semper involvant credulitatem et imposturam.

Nos eodem ac majori jure quam Renan, dicemus, facta supernaturalia quae in Libris Sacris narrantur, et alia quae ab Ecclesia solemni judicio probata sunt, admittenda esse: quia ea non admittere, idem est ac animum vanum et superbum ostendere, et sensui communi contradicere. (1)

2.° Ut facta sint saltem alicujus momenti.

Facta quae in Evangeliis narrantur, eo ipso quod sunt supernaturalia, magni momenti sunt, nam ex ipsis pendebat introductio novae doctrinae quae radicaliter transformare conabatur Religionem, Philosophiam, societatem domesticam et herilem, oeconomiam politicam, quoad attributiones Imperatorum et Regum, quoad jura subditorum; despotismum damnat et etiam servitutem gentilium; libertatem veram, aequalitatem ante legem et justitiam et fraternitatem in Christo proclamat, unde hac nova doctrina commovebantur ipsa fundamenta totius societatis judaicae et gentilium. Non ergo est mirum, quod fama horum factorum impleret non modo Hierosolymam et totam Palaestinam, sed etiam Romam et Athenas, ut ex profanis scriptoribus constat, sicut postea videbimus.

3.ª Ut qui facta narrant, sint scientia, veracitate ac sinceritate praediti.

Auctores Evangeliorum *scire poterant* quae dicebant vel scri-

(1) Rvdm. P. Martínez Vigil. *La Creación, la Redención y la Iglesia*, Lib. II, Cap. I.

bebant: alii enim fuerunt testes oculati, alii vero coaevi; unde S. Joan. in prima sua Epistola, cap. I, 1, scribit: «Quod fuit ab initio *quod audivimus, quod vidimus oculis nostris*, quod perspeximus, et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, et vita manifestata est, et vidimus, et testamur, et annuntiamus vobis vitam aeternam, quae erat apud Patrem, et apparuit nobis: *quod vidimus et audivimus* annuntiamus vobis.» Et in Act. IV, 20, legimus, Petrum et Joannem sic magistratibus Judaeorum respondisse: «Non enim possumus *quae vidimus et audivimus* non loqui.» Et S. Petrus scribit (II, Pet. I, 16 18); «Non enim doctas fabulas secuti, notam fecimus vobis Domini nostri Jesu Christi virtutem et praesentiam; sed *speculatores facti* illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et *hanc vocem nos audivimus* de coelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto.» Fortasse dubium agitari posset de Marco et Luca, qui Apostoli non fuerunt. Sed ex S. Epiphanio expresse constat, Marcum fuisse discipulum Domini, atque ideo testem oculatum plurium factorum: idem probabiliter dicendum de Luca. Saltem juxta Papiam, omnesque Patres, Marcus fuit interpres Petri, et juxta hujus praedicationem scripsit suum Evangelium, quod probatum fuit a Petro. «Id unum studebat (Marcus) ait Papias, ut ne quid eorum quae audierat praetermitteret, aut ne quid falsi eis affingeret.» Lucas vero a Paulo, ab aliis Apostolis et B. V. Maria edoctus suum scripsit Evangelium: nam ipse ait in initio sui Evangelii: «Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis: visum est mihi, assecuto omnia a principio diligenter ex ordine tibi scribere »

Evangelistae sunt *veraces et sinceri*: nam in primis *mentiri vel alios decipere nollebant*, quod ex charactere personali Evangelistarum eruitur: non enim enthusiasmo aut phantasiae aestu abrepti fuere ut ad exaggerandum et mentiendum proclives fuerint: in eorum narrationibus, nullum invenitur eloquentiae studium; nulla ars compositionis rethoricae; quaeque ipsis favent aut contra, pari ingenuitate referunt; miracula et opprobria simili describunt candore: nunquam suscipiunt magistri vel sui defensionem: minutissimas circumstantias adhibent, ut lectores claram efformare queant ideam personarum et factorum.

Non poterant mentiri vel alios decipere etiamsi vellent. Nam

plures adhuc vivebant qui Christum ejusque facta viderant, quique suam praedicationem audiverant, et ideo publice clamarent contra mendacium.

Demum, homo naturaliter tendit ad veritatem, et non mentitur nisi propter aliquam utilitatem: sed ¿quam utilitatem, quodque emolumentum expectare poterant Evangelistae ex suo mendacio? En utilitas et emolumentum: «Mitto vos sicut oves in medio luporum» (Matth, X, 16): «Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: non est servus major domino suo: ¡si me persecuti sunt et vos persequentur.» (Joan XV, 20): Absque synagogis facient vos: sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se praestare Deo.» (Joan. XVI, 2). Jam vero, notum est adagium: illud: «*Nemo mendax in caput suum.*»

4.ª Ut testificatio narratorum sit identica saltem quoad substantiam.

Haec conditio impletur in Evangeliis; nam quamvis aliquae differentiae inveniantur, hae non sunt nisi accidentales vel apparentes: de diferentiis majoris momenti, agemus in solutione objectionum.

5.ª Ut narratio non sit contraria narrationi alicujus verae historiae.

Adhuc rationalistae invenire non potuerunt narrationem aliquam contrariam narrationibus alicujus verae historiae; quae vero ipsis contraria videntur, non talia esse ostendemus tum in solutione objectionum, tum cum sermo sit de unoquoque Evangelio.

2.um *Fundamentum*, credibilitatis historicae Evangeliorum, est *universalis fides Cristianorum et etiam non Christianorum in eorum authentiam et veracitatem.*

Nam inter catholicos fidem historicam adhibuerunt Evangeliis viri sapientissimi, ut Origenes, Tertullianus, Augustinus, Hieronymus, Isidorus, Ambrosius, Bernardus, Albertus M., Thomas Aq., Bonaventura, Descartes, Pascal, Bossuet, Balmes, Sechi, Pasteur, etc: inter haereticos, viri etiam doctissimi ut Arius, Eutiches, Montanus, Wiclef, Lutherus, Calvinus, Leibnitz; et demum ex ¿attholicis et haereticis, reges, principes, duces, philosophi, astronomi, medici, phisiologi, chimici, magistratus, pictores, poetae etc. etc omnes unanimiter crediderunt in veracitatem historicam Evangeliorum.

¿Quis audebit dicere, praedictos omnes ita hebetes et stolidos fuisse ut falsum pro vero acciperent, praesertim in materia religiosa? ¡Ah, necesse fuit ut venirent critici rationalistae ut illuminarent mundum qui in tenebris ignorantiae sedebat.!

Hanc eamdem veritatem confirmant Judaei: nam aetate qua Christum venisse affirmant Evangelistae, communis erat apud Judaeos persuasio de proximo adventu Messiae, juxta prophetias: et talis persuasio totum orientem occupaverat ut ait Suetonius: «Percrebuerat, oriente toto, vetus et constans opinio esse in fatis, ut eo tempore Judaea praefecti rerum potirentur.» (1) Josephus Flavius, non modo persuasionem sed etiam factum praedicat scribens: Fuit autem hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum oportet dicere. Erat enim mirabilium operum effector, Magister hominum, qui vera libenter amplectuntur. Et plurimos quidem ex Judaeis, plurimos etiam ex gentibus ad se pertraxit. Hic erat Christus, cumque eum a primoribus gentis suae accusatum Pilatus ad crucem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum coeperant. Nam post tertium diem redivivus illis apparuit, cum divini vates haec aliaque quamplurima admiranda de eo praedixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo christianorum genus.» (2)

Inter gentiles, praeter Suetonium jam citatum, Cornelius Tacitus, loquens de incendio Urbis, quod Nero, verus ejus auctor, christianis tribuit, scribit: «Abolendo rumori subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus christianos apellat. Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.» (3) Huic consentiunt Plinius, Serenius, Granianus et alii.

3.um Fundamentum est, *impossibilitas fictionis Evangeliorum.*

Juxta Straus, omnes narrationes miraculosae Evangeliorum mythicae sunt et ab ipsis Evangelistis fictae: unde nullam merentur fidem.

Sed haec affirmatio Straus est omnino gratuita, falsa et absurda: nam ex ipsa lectione Evangeliorum, et ex testimoniis criticorum tum catholicorum tum etiam rationalistarum constat,

(1) *Vit. Vespas.* c. 4.
(2) *Antiq. Jud.* 18. 4.
(3) *Annal.*, Lib. 15.

Evangelistas fuisse homines sinceros et veraces. Praeterea, si Evangelistae finxissent facta miraculosa Christi, ¿Judaei qui Christum ejusque facta viderant, adeo hebetes fuissent ut non clamarent contra fictionem? Demum si omnia facta Christii miraculosa falsa et ficta sunt ¿quomodo duodecim Apostoli absque eloquentia, absque scientia, absque armis, absque pecuniis, praedicantes doctrinam difficillimam, et illo statui sociali tum judaico tum gentilico, e diametro oppositam, potuerunt universum orbem ad fidem Cristi pertrahere?

Hac de causa, Renan supponit, Evangelistas non narrasse nisi facta naturalia; sed trascursu temporis et vi praejudiciorum theologicorum, *legenda* aditum habuit in Evangeliis; ita ut jam medio saeculo secundo apparerent nova Evangelia, ubi facta naturalia narrata a veris Evangelistis, ita diversis circumstantiis ornantur, ut appareant supernaturalia et miraculosa. Ergo nostra Evangelia, quae omnino distinguuntur a primis et authenticis Evangeliis, scripta sunt et inventa medio saeculo secundo: facta vero supernaturalia quae continent, non sunt nisi *legendae*.

Sed hoc systema etiam falsum et absurdum est: nam in primis iisdem difficultatibus praemitur ac praecedens sententia. Praeterea, medio saeculo secundo, plures adhuc christiani, judaei et pagani, vivebant, saeculi primi, qui protestarent et clamarent contra legendas novorum Evangeliorum. Demum post mortem Apostolorum, ipso saeculo primo, Evangelia authentica, et Epistolae quae eamdem continebant doctrinam, erant in manibus omnium, et saeculo secundo, teste S. Justino, publice legebantur in Ecclesiis; ita ut fideles magnam horum librorum partem memoriter scirent: hoc eodem saeculo publici juris factae fuerant versiones latina et syriaca Evangeliorum, quae nihil differunt a nostris Evangeliis; et demum, juxta Tertulianum, initio saeculi secundi adhuc retinebantur in Ecclesiis ipsa autographa Apostolorum. Ergo adulteratio seu fictio Evangeliorum saeculo II fuit omnino impossibilis. Postea vero, talis adulteratio vel fictio, fuit adhuc impossibilior, si ita loqui fas est.

Quaeri etiam potest a rationalistis quis vel qui fuerint auctor vel auctores illius adulterationis et fictionis.

Non *Judaei*, quia nostra Evangelia continent quidquid ipsos exagittat: non *Pagani*, eadem ratione; nam tum pars speculativa tum practica nostrorum Evangeliorum, contrariae omnino

sunt doctrinae dogmaticae et morali phaganorum. ¿Quis audebit asserere judaeos et paganos finxisse Divinitatem Christi, qui fuit Judaeis scandalum, gentibus autem sultitia?

Non *haeretici* sunt corruptores authenticorum Evangeliorum: si enim hoc verum esset, Evangelia corrupissent his in textibus qui erroribus ejus erant contrarii; et tamen hujusmodi loca intacta reliquerunt, ut ex eo patet quod semper nostra Evangelia fuerint eorum falsitatibus contraria. ¿Ubi ergo utilitas fictionis vel corruptionis?

Non *catholici*; quia a primo Ecclesiae saeculo jam in Ecclesiis publice legebantur Evangelia authentica, et fortasse etiam autographa; saeculo vero secundo in universum orbem sparsae sunt versiones; unde si aliquis catholicorum intentasset quamlibet Evangeliorum partem corrumpere, cito citius caeteri hujusmodi corruptionem denuntiarent et impedirent. Quod si quis dicat omnes catholicos convenisse ad adulteranda Evangelia, tunc possibile esset omne genus humanum in errore asserendo convenire. Praeterea Judaei, Pagani et Haeretici, quorum errores damnabantur in Evangeliis corruptis, et praesertim haeretici qui optime sciebant doctrinam Evangeliorum authenticorum ¿poterant ne praetermittere silentio talem fictionem et corruptionem? Ergo Evangelia nostra sunt ipsamet Evangelia authentica; nulla ergo fuit fictio vel adulteratio. Unde S. Augustinus bene scripsit: «Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam scripturas divinas esse corruptas; cum id nullis in tam recenti memoria exstantibus exemplaribus possint convincere.» (1)

4.um Fundamentum sunt *characteres interni Evangeliorum.*

Nam 1.° constat Evangelia scripta fuisse ante destructionem Jerusalem et templi; nihil enim de hoc extraordinario successu nobis dicitur in Evangeliis: 2.° constat etiam auctores fuisse coaevos eventibus; nam omnia ita accurate narrantur, ut nemo adhuc invenire potuit vel minimum errorem chronologicum, nec geographicum, nec archaelogicum: 3.° narrationes sunt simplices, absque verborum apparatu, sine philosophicis considerationibus, quae aperte denotant, auctores fuisse illitteratos: 4.° frequentiores hebraismi auctores revelant hebraeos. Unde, Evangelia nostra, omnes praeseferunt characteres aetati, Judaeis, Apostolis, Gentibus etc. optime respondentes.

(1) *De utilit. cred.*, c. 3.

Postremo, si comparas nostra Evangelia cum vetustissimis manuscriptis, ut Vaticano, Alexandrino, et Cantabrigiensi, et etiam cum primis versionibus, profecto videbis, cum his apprime congruere.

592. Objectiones. 1.ª Ajunt rationalistae, Papiam non loqui nisi de 3.° et 4.° Evangelio.

Sed hoc argumentum est mere negativum et ideo nihil probat. Praeterea Eusebius nobis non conservavit nisi quaedam fragmenta operum Papiae; ergo nescimus num Papias mentionem de aliorum etiam Evangeliorum fecerit. Notandum est adversarios ad coelum extollere Papiam cum ipsis favere videtur; secus vero eum nobis offerunt ut hominem stultum, inscium et imbecillem, omni auctoritate scientifica privatum, ut alibi videbimus.

2.ª Cum Celso et Porphirio dicunt genealogias D. N. Jesuchristi, secundum Matthaeum et Lucam minime inter se convenire. Genealogia Matthaei descendit ab Abraham ad Christum; sed apud Lucam ascendit a Christo usque ad Adam. Utraque genealogia convenit ab Abraham ad David; sed discrepat, primo inter David et Salathiel; nam S. Matthaeus ponit quindecim generationes, et S. Lucas viginti, cum diversis nominibus; etiam discrepant inter Zorobabel et S. Joseph; nam S. Matthaeus ponit novem generationes, et S. Lucas duas et viginti, nominibus diversis.

Antequam ad solutionem hujus argumenti deveniamus haec animadvertere oportet.

Quoad omnia loca apparenter opposita Sacrarum Scripturarum, interpretes ea conciliare docent, quamvis non omnes semper conveniant in modo conciliandi. Sed bona fides et recta ratio exigunt, ut non confundatur causa Bibliae, cum causa interpretum; nam saepissime contingit, ut loca quae optime conciliari poterant, tamen nec interpretes nec Patres invenirent modum ea conciliandi, quamvis omnes certi essent de harmonia Sacrae Scripturae; sed ut plene et perfecte haec harmonia in omnibus casibus cognoscatur, necesse est plene et perfecte cognoscere atque intelligere omnem Sacram Scripturam, quod nulli mortalium datum est. Praeterea ad ostendendum in Sacra Scriptura veras dari contradictiones, necesse est probare ibi eamdem rem, sub eodem adspectu, simul affirmari ac negari, neque admitti posse ullum medium conciliationis ab interpretibus pro-

positum: haec vero numquam demonstrarunt rationalistae. (1)

His expositis, deveniamus ad solutionem objectionis. Celsus, philosophus saeculi II, et nostris temporibus Strauss et Renan, veram dari contradictionem asserunt inter genealogias Jesu-christi secundum Matthaeum et Lucam: et supponunt eas inventas fuisse ab aliquo falsario, et in Evangelio introductas.

Sed hoc impossibile fuit, saltem aetate Christi et Apostolorum, nisi dicamus eos mala fide egisse, quod nemo admittit. Ex alia parte, talis inventio fuisset omnino inutilis, quia nativitas Christi in Bethlehem, et ejus origo a David notissimae erant Apostolis omnique populo, ut ex ipsis Evangeliis eruitur, et etiam ex praedicatione Petri in die Pentecostes. Talis inventio, insuper, fuisset non modo inutilis sed etiam stulta et amens, eo quod genealogiae, saltem apparenter, non conveniant inter se. Cum certum sit Lucam scripsisse post Matthaeum, ¿faciemus ne eum ita stolidum ut novam *invenisset* genealogiam tam diversam a genealogia Matthaei? Praeterea in populo hebraeo, magna cura servabantur genealogiae familiarum; etiam post captivitatem, et praesertim aetate Christi, in qua ab omnibus jam proximus judicabatur adventus Messiae. Ergo praedictae genealogiae inventae non sunt ab aliquo falsario, ut adversarii dicunt.

Fatemur quidem, aliquam diversitatem dari inter hujusmodi genealogias; sed haec diversitas non permovit Christianos I saeculi et primae medietatis II, eo quod notum esset eis modum conciliationis: hinc quod nulla controversia suscitata fuerit usque ad Celsum: sed lapsu temporis, obliti sunt Christiani illius modi conciliationis, et ideo diversa media excogitarunt.

1.um Quidam docuerunt genealogias juxta Matthaeum et Lucam esse identicas, personas vero *binomias;* quae opinio universaliter rejicitur, quia non erat mos apud hebraeos duo nomina habendi, praesertim hebraica. Praeterea ipsa enuntiatio hujus opinionis, satis ostendit esse gratuitam; ridiculum enim videtur quod S. Lucas in sua genealogia texenda, semper vel fere semper elegerit nomen distinctum a nominibus genealogiae Matthaei.

2.um S. Augustinus docet, Joseph duplicem habuisse patrem, alterum a quo genitus, alterum a quo adoptatus fuerit: itaque S. Matthaeus texit genealogiam naturalem; S. Lucas vero ge-

(1) Cons. Caminero. *Man. Isagog.* Sect. III, Cap. LV.

nealogiam adoptionis. Audiatur ipse S. Augustinus: «Quos autem movet, quod alios generatores Matthaeus enumerat, descendens a David usque ad Joseph, alios autem Lucas ascendens a Joseph usque ad David, facile est ut animadvertant duos patres habere potuisse Joseph, unum, a quo genitus, alterum a quo fuerit adoptatus. Antiqua est enim consuetudo adoptandi etiam in illo populo Dei, ut sibi filios facerent quos non ipsi genuissent... Unde intelligitur Lucas Patrem Joseph, non a quo genitus, sed a quo fuerat adoptatus suscepisse in Evangilio suo. Cum enim necesse sit, utroque Evangelista vera narrante, et Matthaeo scilicet et Luca, et unus eorum ejus patris originem tenuerit qui genuerat, alter ejus, qui adoptaverat Joseph.» (1)

3.um Julius Africanus, scriptor ecclesiasticus saeculi III, presbyter, et juxta quosdam Episcopus, *vir eruditus*, ut vocat eum Eusebius, inter alia multa opera, scripsit ad Aristidem, Epistolam quamdam circa differentias genealogiarum. Asserit Julius, suas notitias accepisse ex traditione conservata apud propinquos ipsius Christi.

Juxta Julium Africanum, altera ex genealogiis Jesuchristi est *naturalis*, altera vero *legalis*. Itaque Mathan ex progenie Salomon, duxit in uxorem Estham, ex eaque habuit Jacob: mortuo Mathan, vidua ejus matrimonium inivit cum Matthat, ex familia David, sed ex extirpe Nathan, et ex hoc matrimonio natus est Heli: unde Jacob et Heli erant fratres uterini, alter ex progenie Salomonis, alter vero ex progenie Nathan. Heli inito matrimonio mortuus est sine liberis; unde frater ejus Jacob, secundum legem Deuter. XXV, 5, duxit viduam fratris sui ex eaque genuit Joseph, qui idcirco fuit filius naturalis Jacob descendens a Salomone, et filius legalis Heli descendens a Nathan.

Lex leviratus locum etiam habet in Phadaia, filio secundo Jechoniae qui genuit Zorobabel ad perpetuandum nomen fratris sui Salathiel, secundum legem leviratus, sicut, eadem de causa, Jechonias genuerat Salathiel ex vidua Neri.

Quod adimpletio legis leviratus non semel ocurrat, mirum non est, si consideremus familiam de qua agimus fuisse valde numerosam lapsu duodecim saeculorum inter David et Christum: haec lex etiam aetate Christi servabatur (Matth. XXII, 23), et adhuc majori cura quam antea, cum ipsi quodammodo vinculata esset promissio Messiae.

(1) 2 *De Cons. Evang.*, 3.

Sequens schema sufficit ad efformandam aliquam ideam genealogiae Christi:

Schema genealogiarum Jesu Christi.



Nota. Lineae punctorum designant generationem naturalem; aliae vero legalem.

Haec est opinio quam generatim amplexi sunt Ecclesiae Patres: inter alios S. Hieronymus, super illa verba «*Jacob autem genuit Joseph*» scribit: «Hunc locum nobis objicit Julianus

Augustus de dissonantia Evangelistarum: cum Evangelista Matthaeus Joseph dixerit filium Jacob, et Lucas eum filium appellarit Heli, non intelligens consuetudinem Scripturarum, quod alter secundum naturam, alter secundum legem ei pater sit.» (1)

Etiam S. Augustinus hanc opinionem approbavit suamque fecit. (2) Similiter S. V. Beda (3) et S. Thomas Aq. hanc eamdem sententiam amplectuntur. (4)

Sic P. Wouters veritatem hujus sententiae probare contendit; «Juxta consuetudinem Legis Moysaicae duplici dumtaxat modo dicebatur aliquis filius alterius, scilicet secundum naturam, et secundum legem: Atqui Matthaeus manifeste insinuat, quod Joseph fuerit filius Jacob secundum naturam; ergo restat, ut juxta Lucam fuerit filius Heli secundum Legem.—Prob. Min. Matthaeus dicit: *Jacob genuit Joseph*; atqui *genuit* proprie spectat ad patrem naturalem; Lucas vero dicit: *Qui fuit Heli*; *to* autem *fuit* in propria sua significatione tam respicit patrem legalem, quam naturalem. Ergo ex ipso solo Evangelio, attenta consuetudine Veteris Legis, satis clare eruitur, quod Jacob fuerit pater naturalis, Heli vero pater legalis ipsius Josephi.» (5)

Militat etiam pro hac opinione testimonium propheticum. Deus enim promiserat David modo absoluto, quod ex ejus semine nasceretur Messias (2. Reg. VII, 9); id ipsum promisit Salomoni, sed conditionate, id est, *si perseveraverit facere praecepta mea et judicia, sicut et hodie* (I. Paral. XXVIII, 5). Salomon autem non implevit conditionem a Deo impositam, et ideo ipsum Deus rejecit; sed ut adimpleretur promissio absoluta facta Davidi, elegit Deus aliam sobolem ex ejus familia, nempe Nathan. Et hinc duae genealogiae; Matthaeus qui pro judaeis scripserat, ostendit eis Jesum-Christum descendere a David, et hac de causa describit genealogiam ejus *naturalem*. S. Lucas, ut demonstret, Jesum-Christum esse novum Adam, qui auferet peccatum primi Adam, vi cujus omnis humanitas erat peccatrix, ascendit in sua genealogia usque ad primum patrem totius humanae speciei, qui erat filius Dei, sicut modo sublimiori fuit Jesus-Cristus; et describit genealogiam *legalem*, ut ostendat

(1) *In Cap. I Matth.*
(2) *Lib. II. Retract.* cap. 7.
(3) *In cap. III. Luc.*
(4) 3 P., q. XXXI, a. 3, ad 2.
(5) *Dilucidat. etc. In Concord. Evang.* cap. III. Quaest. II.

solam descendentiam carnalem non sufficere, ut homines vere sint filii Abraham, juxta illud Apostoli; «Non filii carnis, hi filii Dei, sed qui filii sunt promissionis, aestimantur in semine.» (1)

Haec opinio, quamvis magni facienda sit, sua tamen offert incommoda. Nam in primis, inverissimile est Julium Africanum, suas notitias accepisse ab ipsis propinquis Domini. Praeterea, patres Jacob et Heli, ascendendo in quibusdam generationibus, iidem esse debuerunt, cum juxta legem leviratus mulier defuncti, accipienda esset ab aliquo propinquo ipsius defuncti. Deinde Melchi (Mathat juxta Julium A.) non genuit Heli, sed Levi, qui fuit pater Mathat, qui genuit Heli. Talis omissio fortasse inveniebatur in codicibus quibus usus est Julius Africanus. Demum tum Matthaeus, tum Lucas posuit Salathiel et Zorobabel; ergo vel uterque ponit patres naturales, vel legales: nam Zorobabel non fuit filius naturalis simul et legalis Salathiel.

Huic argumento, respondet Wouters, duo esse Salathieles, quamvis unum sit nomen: nam Salathiel quem ponit Matthaeus, est filius Jechoniae, qui ex Davide per Salomonem descendebat: Salathiel autem quem ponit Lucas, est filius Neri, qui ex Davide per Nathan ortus erat. (2)

4.um Jansenius Gandensis et alii existimant, Matthaeum texere genealogiam S. Josephi, Lucam autem, B. M. Virginis. Itaque in sacro textu, ubi legitur: «Et Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur filius Joseph», legi debet, «Et Jesus... erat filius, ut putabatur Joseph, *revera autem*, fuit filius vel nepos Heli patris B. M. Virginis. Scimus enim ex traditione, nomen patris B. Virginis fuisse Joachim, quod idem significat ac Eliakim, cujus contractio est Heli.

Sed haec identitas nominum, videtur suppositio mere gratuita; et praeterea. Heli non est contractio Eliakim, sed Eliae. Demum vim inferri textui evidens est; nam in casu adversariorum, S. Lucas clariori modo locutus fuisset.

Potissima ratio defensorum hujus systematis est, quod cum S. Joseph non sit nisi pater putativus Christi, non haberemus hujus genealogiam secundum carnem, nisi Evangelistae descripsissent genealogiam B. M. Virginis.

(1) *Ad. Rom.* IX, 8.
(2) Op. et loc. sup cit.

Sed hoc argumentum nullius roboris est; quia juxta Patres, S. Joseph et B. V. Maria erant ejusdem familiae, et idcirco habebant genealogias communes.

Hanc rationem addit S. Augustinus: «Cum ipse Evangelista narrat, non ex concubitu Joseph, sed ex Maria Virgine natum Christum unde eum patrem appellat, nisi quia et virum Mariae recte intelligimus sine conmixtione carnis, ipsa copulatione conjugii: et ob hoc etiam Christi Patrem multo conjunctius quia ex ejus conjuge natus sit, quam si esset ei aliunde adoptatus?... At per hoc etiam, si quis demonstrare posset Mariam ex Davide nullam consanguinitatis originem ducere, satis erat secundum istam rationem accipere Christum filium David, qua ratione etiam Joseph pater ejus appellatus est.» (1)

Lucas Brugensis ait: «Cum legitimo matrimonio junctus esset Josephus Virgini Mariae, et una cum illa esset caro jure etsi non re, proles e Mariae carne genita, ex ejus genita est carne.» (2)

Audiatur demum Wouters: «Cum legitimo matrimonio junctus esset Josephus Virgini Mariae, Christus fuit fructus conjugii Joseph et Mariae: natus enim in utriusque conjugio, non ex alio viro, sed ex virtute Spiritus Sanctis, utrique adscribendus est, tanquam patri et matri: Proles enim, quae non ex adulterio, sed ex conjugio legitimo nascitur, conjugum est, undecumque et quomodocumque nascatur, sicut seges nata in agro sterili supernaturaliter, domini agri est. Ad proinde Christus jure conjugii est Josephi filius, etiamsi ex conjugio non naturaliter, sed miraculose sit genitus: imo eo magis magisque admirabilis Josephi filius, quia Deus hunc miraculosum conjugii virginalis fructum Josepho dedit donavitque, perinde ac si Deus in agro ejus produxisset messem sine semine, illamque ei dedisset.» (3)

5.um Alii praedictas genealogias conciliare contendunt, admittentes variantem in textu Matthaei, ita ut ubi dicit «Jacob autem genuit Joseph virum Mariae», legendum sit, «Jacob autem genuit Joachim patrem Mariae»; nam juxta Caminero, duae hae propositiones, iisdem fere litteris constat in graeco: et quidem,

(1) II *De Consens. Evang.* I. 2.

(2) In Luc. 3 apud Cornely. *De Evang. Synopt. mut. relat.*

(3) Op. et loc. cit.

Ιωακιμ τον πατερα, et, Ιωσηφ τον ανδρα, iisdem fere litteris constant in graeco! (1)

3.ª Recte ab Strauss, Eichthal et Mommsen falsitatis accusatur Lucas ob narrationem de censu in Palaestina peracto: scribit Lucas: «Factum est autem in diebus illis, exiit edictum a Caesare Augusto ut describeretur universus orbis. Haec descriptio prima, facta est a praeside Syriae Cyrino: et ibant omnes ut profiterentur singuli in suam civitatem. Ascendit autem et Joseph a Galilaea de civitate Nazareth in Judaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlehem eo quod esset de domo et familia David, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.» (2)

In hac descriptione varii inveniuntur errores: nam 1.° Augustus nullum imperavit censum anno quo Cristus natus est: saltem nulla hujus facti fit mentio apud Tacitum, Suetonium et alios scriptores: ab his quidem commemorantur tres census ab Augusto imperati, sed nullus ex his in praedictum annum incidit; primus enim factus est anno 23 ante aeram vulgarem, secundus anno 8 aerae vulgaris; et demum tertius anno 13 ejusdem aerae: neque in tabula Ancyrana mentio fit de censu descripto a Luca. 2.° Quirinus vel Cyrinus non fuit praefectus Syriae nisi post destitutionem et exiliumArchaelai, seu pluribus annis post nativitatem Christi. 3.° Census subditorum Imperii fieri non poterat in Judaea, cum haec regio obediret non romanis sed Herodi Regi: et 4.° Quia juxta leges romanas, cives tenebantur pergere ad locum suum natalem, non vero ad locum ex quo descendisset ejus familia.

Resp. ad 1.um Dicunt rationalistae, Lucam confundere hunc censum cum illo qui fecit Quirinus, anno 8 vel 10 post Christum natum: sed, Lucas bene noverat hunc censum ejusque epocham, ut patet ex Act. Apost. V, 37, quique census locum rebelioni Judae Galilaei dedit.

Ex silentio Taciti, Suetonii et aliorum, nihil infertur, cum sit argumentum mere negativum: praeterea Tacitus in suis annalibus non loquitur de Augusto ex professo sed obiter tantum, ut viam praeparet suae historiae quae proprie incipit cum regno Tiberii: Suetonius vero, potius est biographus quam

(1) *Manual Isagog.* Sect. III. LV.

(2) *Luc.* II, 1-5.

historicus, unde sollicitus non fuit singula Caesarum gesta narrare, sed potius eorum indolem atque ingenium describere. Sed aliud est documentum quod supponit censum generalem totius Imperii; nempe *Breviarium Imperii*, ubi accurate censuit «*quantum civium sociorumque in armis, quot classes, regna provinciae, tributa, aut vectigalia imperio Romano essent.*» (1)

Resp. ad 2.um Quidam dicunt censum a Luca descriptum, non fuisse peractum a Cyrino· nam in textu graeco legitur: Αὕτη ἡ ἀπογραφὴ πρώτη ἐγένετο ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρίνου.; unde sensus sit; «Hic census factus est prius quam Cyrinus fuisset praefectus Syriae; nam etiam apud auctores profanos graecos saepe vox graeca πρωτος (primus) sumitur pro προτερος (anterior).

His quibus non arridet haec explicatio, supponunt Cyrinum, vel duplici occasione fuisse praefectum Syriae, vel primum censum peregisse, ut delegatum Imperatoris simul cum Saturnino qui tunc erat praefectus Syriae; hoc modo conciliatur S. Lucas cum Tertulliano, qui asserit censum factum fuisse sub praefectura Saturnini (2), et cum Josepho juxta quem, Saturninus cessavit anno 748, U. C., qui est annus sequens nativitatem Christi.

Resp. Ad. 3.um Census fieri potuit a praeside Cyrino in ditione Herodis; nam hic erat omnino dependens a Caesare; ejus regnum jam sub Pompejo tributarium factum fuerat Romanis; nec aegre ferebat haec Herodes, cum enim regnum amittere timeret et in amore subditorum confidere non posset, Caesaris amicitiam et gratiam quocumque modo servare curabat. (3)

Resp. ad 4.um Duplex distingendus est census; scilicet *bonorum* et *personarum*. Cum de bonis agebatur census fiebat ubi bona aderant; quod si de personis, omnes ad locum originis pergere tenebantur: et quamvis more Romanorum per locum originis intelligeretur nativitatis locum, tamen cum de judaeis ageretur, potuit Joseph, juxta legem Hebraeorum, non ad Nazareth ubi natus fuerat, sed ad Bethlehem, quae erat civitas Davit (4) pergere.

---

(1) Tacit. *Annal.* I, 11.
(2) *Adv. Marc.* IV, 19.
(3) Maldon. *in cap. II. Luc.*
(4) *Introd. in Sac. Scrip. Introd. crit.* P. I. Sect. I. Cap. III, Thes. XV. Ubaldi.

4.ª Objectio. Sic eam sibi proponit cl. Ubaldi, eamque postea solvit: «Gravissimum argumentum adversus veritatem historiae N. T, desumitur ex silentio scriptorum Judaeorum, Graecorum et Romanorum. Siquidem multa, quae narrantur in N. T. ejus naturae sunt, ut si unquam accidissent neque ignorari a scriptoribus coaevis potuissent, neque omnino silentio praeteriri. Ex. gr. apparitio stellae (Matth. II, 2-9), strages infantium Bethlemiticorum (Matth II) de qua Flavius tacet, cum caetera Herodis regis crimina narraverit, item prodigia defectionis solis, terraemotuum, etc, quae in Christi morte dicuntur accidisse (Matth. XXVII, 45-51; Marc. XV, 33; Luc, XXII, 34 seq) aliaque similia. Ergo haec falsa et ab Evangelistis conficta sunt.»

«Resp. Falsum est *omnes* profanos scriptores de factis citatis aliisque eventibus extraordinariis commemoratis in N. T. siluisse. Plura enim occurrunt in antiquis scriptoribus testimonia, quae ostendunt eventus illos paganis et Judaeis ignotos non fuisse. Ex his testimoniis nonnulla illustriora recitabimus.—*Calcidius* philosopus platonicus in suo commentario in Timaeum Platonis scribit. «Est quoque sanctior et venerabilior historia quae perhibet, ortu stellae cujusdam non morbos mortesque denunciatas, sed descensum Dei venerabilis ad humanae conversationis rerumque mortalium gratiam: quam stellam quum nocturno itinere inspexissent Chaldaeorum profecto sapientes viri, et consideratione rerum coelestium valde exercitati, quaesisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili veneratos esse et vota tanto Deo convenientia nuncupasse.»—*Phlegon* libertus Hadriani in hist. Olympiad. lib. XIII postquam Christum uti prophetam laudasset praesertim ob vaticinium eventu confirmatum de excidio Hierosolymorum diserte meminit prodigii tenebrarum, et terraemotuum qui in ejus morte acciderunt. Haec sunt ejus verba laudata ab Eusebio in Chronico, et ab Origine in lib. 2 contra Celsum n. 33 (Cf etiam Fabricium Bibliotheca Graec. tom. IV. c. XIII, n. 4): «Quarto autem anno, inquit, ducentessimae secundae Olympiadis magna et excellens inter omnes, quae ante eam acciderant, defectio solis facta est. Dies hora sexta in tenebrosam noctem versus, ita ut staellae in coelo visae sint, terraeque motus in Bthynia Nicaeae urbis multas aedes subvertit.»—Porro annus hic quartus Olympiadis 202 coincidit cum anno decimo octavo Tiberii

qui est annus Christi emortualis: eoque anno nulla naturalis eclypsis locum habuit, praeter prodigium tenebrarum, quas tenebras ideo mirabiles et singulares appellat Phlegon, quia non in novilunio sed in plenilunio sol defecit.—De eodem facto jam primo saeculo mentionem fecerat *Thallus* in Historia Syriaca lib. III laudata ab Eusebio.—Romani idem prodigium observarunt, ejusque memoriam in archivia recensuerunt teste Tertulliano qui ita alloqitur Romanum magistratum (Apol. c. 1): «Eodem momento dies medium orbem signante sole, subducta est... Eum mundi casum relatum in archiviis vestris habetis.»—S. Lucianus Martyr (apud Ruffinum hist. Eccles. lib. IX, 6) suos judices confidenter alloquebatur hoc modo: «consulite annales vestros; invenietis Pilati temporibus dum pateretur Christus, media die fugatum solem et lucem interruptam.»-Denique quoad stragem innocentium notum est lepidum Augusti dictum quod refert *Macrobius* Saturnalium I. II. C. 4: «Cum audisset (Augustus) inter pueros quos in Syria (Syriae nomine Palaestinam solebant designare Romani) Herodes rex Judaeorum infra bimatum jussit interfici filium quoque ejus occisum, ait: *Melius est Herodis porcum esse quam filium*» alludens scilicet ad legem illam quae suillam carnem Judaeis vetabat. Porro quamvis Macrobius quarto Ecclesiae saeculo haec scripserit, magna tamen est ejus auctoritas, cum constet eum opus Saturnalium ex veterum scriptorum et documentorum fide composuisse.—Testimonia P. Pilati, Celsi, Suetonii et aliorum superius produximus. Hisce addere merito possumus eorum paganorum testimonia qui postea ad fidem conversi sunt, uti Justinus, Quadratus, Athenagoras, Aristides, alliique; nam viri erant eruditi et magni apud suos nominis; nimis autem iniquum esset eorum auctoritatem contemnere hac tantum de causa, quod rerum veritate compulsi Christo nomen dederint et pro earumdem rerum confessione mortem subierint; cum id potius apud aequum judicem maxime augere debeat vim eorum testimonii....»

«Resp. 2.° Nihil ex silentio profanorum scriptorhum concludi posse adversus factorum veritatem. Et sane tunc tantum silentium scriptorum officit historicae factorum veritati cum constat eos scriptores et ocasionem imo necessitatem habuisse ea commemorandi, et ex alia parte non habuisse motiva ad ea facta omittenda. Si haec duo non constant, et multo magis si contrarium demonstretur, silentium scriptorum nihil omnino

probat. Porro ita est in casu nostro. Etenim vel ii scriptores occasionem nullam habuerunt commemorandi facta N. T., vel si ex illis aliqui habuerunt hujusmodi occasionem, ex gravibus tamen motivis silentium servare maluerunt. Et sane ex Judaeis soli qui afferri possunt sunt Josephus Flavius, et Philo. Porro Josephum de Christo et Apostolorum factis mentionem fecisse superius vidimus. Philo autem de his loqui non debuit: is enim potius philosophus est quam historicus ut vel ex titulis ejus operum apparet; praeterea Philo in Palaestina non vixit, sed Alexandriae Aegypti, quare serius ad eum notitia illorum factorum pervenire debuit. Ad Graecos scriptores quod attinet qui primo et secundo Ecclesiae saeculo floruerunt hi omnes grammatici fuerunt, poetae, philosophi, mathematici, etc., duo tantum proprie historici erant, *Arrianus* et *Appianus:* verum ille gesta Alexandri Magni narravit in quibus de factis evangelicis sermo esse non poterat: hic autem in sua historia provinciarum Imperii Romani Judaeam omisit: quare Christi gesta praeterire debuit. Inter Romanos Tacitus, Suetonius, Plinius soli sunt qui de Christo et Christianis loqui potuissent. Verum ad Plinium quod attinet is honorifice de Christianis loquitur in sua Epistola ad Traianum superius a nobis laudata. Tacitus autem et Suetonius Romae scribebant cum Christiana religio severissimis Imperatorum edictis prohibita fuisset, et ut felicitati Imperii contraria ab homnibus haberetur: quid mirum si de ea obiter et cum contemptu loquuntur? Suetonius tamen in vita Neronis Christianos ut magnos incantatores traducit. Denique omittendum non est magnam partem librorum, qui aetate Augusti et Tiberii scripti fuerunt, iniuria temporum intercidisse.» (1)

(1) Op. et loc. sup. cit.—Cons. etiam Corluy. *Diccion apolog. Jaugey Evangelios.*—Card. Zigliara, *Propaedeut. ad Sac Theol*, Lib. III, praesert. Cap. XIV.—Fernandez, *Curs. Theol Introd. in Sac. Script.* Tract. I. Sect. IV. Cap. I.—Caminero. *Estud. sobre el N. T.*, et, *La Divinidad de Jesuc.* passim.

		S. Matthaeus	S. Marcus	S. Lucas	S. Joannes
1	Praefatio ad Theophilum.			I, 1-14	
	PARS I.				
	Vita privata D. N. Jesu-Christi.				
	ANN. 1-30				
2	Verbum: ejus aeterna generatio.				I, 1-14
3	Joannes Bapt. nuntiatur Zachariae. . .			I, 5-25	
4	Annuntiatio B. M. Virginis.			I, 26-38	
5	Visitatio			I, 39-56	
6	Nativitas S. Joannis Baptistae.			I 57-80	
7	Dubia S. Josephi.	I, 19-25			
8	Nativitas D N. Jesu Christi.			II, 1-20	
9	Circumcisio.			II, 21	
10	Adoratio Magorum.	II, 1-12			
11	Praesentatio in templo.			II, 22-39	
12	Fuga in Aegyptum. Decollatio innocentium.	II, 13-18			
13	Genealogiae.	I, 1-17		III, 23-38	
14	Reditus ab Aegypto.	II, 19-23		II, 41	
15	Jesus inter Doctores.			II, 42-50	
16	Praedicatio et Baptismum S. Joannis. .	III, 1-10	I, 1-6	III, 1-14	I, 28
17	Testimonium 1.um S. Joannis B. circa Christum.	III, 11-12	I, 7 8	III, 15-17	I, 15

		S. MATTH.	S. MARC.	S. LUCAS	S. JOANN.
18	Bapt. D. N. Jesu-Christi.	III, 13-17	I, 9-11	III, 21-23	
19	Jejunium et tentatio in desert	IV, 1-10	I, 12-13	IV, 1-13	
20	2.um testimonium Joan. Bapt.				I, 19-28
21	3.um testimonium.				I, 29-34.
	PARS II.				
	Vita publica D. N. Jesu-Christi:				
	Praedicatio.–Ann 30-33.				
22	Primi discipuli Jeu-Christi.				I, 35-51
23	Primum miraculum in Cana. Gal. . . .				II, 1-11
24	Pergit Jesus in Capharnaum.				II, 12
25	» » in Jerusalem.				II, 13
26	Ejicit e templo vendentes.				II. 14-17
27	Ejus verba post hoc factum.				III, 18-25
28	Ejus colloquium cum Nicodemo.				III, 1-21
29	4.um testimonium Joann. Baptistae. . .				III, 22-36
30	Apprehensio Joannis Baptistae.	XIV, 3-4	VI, 17-18	III, 19-20	
31	Colloquium cum Samaritana.				IV, 4-42
32	Regressus in Galilaeam.	IV, 12	I, 14	IV, 14	IV, 43
33	Secundum miraculum in Cana.				IV, 46-54
34	Regressus in Capharnaum.	IV, 13-16	I, 22		
35	Praedicatio prope Capharnaum.	IV, 17		IV, 14-15	
36	Synagoga Nazareth.			IV, 16-30	
37	Daemoniacus Capharnaum.		I, 23-28	IV, 31-37	
38	Curatio socerae S. Petri.	VIII, 14-17	I, 29-34	IV, 38 41	
39	Peregrinatio per Galilaeam.	IV, 23-25	I, 35-39	IV, 42-44	
40	Monitio ad discipulos.	VIII, 19 22		IX, 57-62	

		S. Matth.	S. Marc.	S. Lucas	S. Joann.
41	Piscatio miraculosa S. Petri.	IV. 18 22	I, 16-20	V, 1-11	
42	Tempestas sedata.	VIII, 23-26	IV, 36-40	VIII, 22-26	
43	Possessi Gadara..	VIII. 28-34	V, 1-20	VIII, 26-39	
44	Regressus in Capharnaum.	IX, 1	II, 1		
45	Curatio paralytici.	IX, 2-8	II, 2-12	V, 18-26	
46	Vocatio S. Matthaei..	IX, 9-13	II, 13-17	V, 27-32	
47	Filia Jairi et haemorroysa.	IX, 18-26	V, 21-43	VIII, 40-46	
48	Curatio duorum caecorum..	IX, 27-31			
49	Possessus mutus..	IX, 32-34		XI, 14	
	SECUNDA PASCHA				
50	Piscina probatica				V, 1-47
51	Spicae collectae die sabbati.	XII, 1-8	II, 23-28	VI, 1-5	
52	Manus arida curata in sabbato.	XII, 9-14	III, 1-16	VI, 6-11	
53	Miracula et bonitas Salvatoris.	XII, 15-21	III, 7-12		
54	Electio Apostolorum. . . , ...		III, 13-19	VI, 12-16	
55	Beatitudines.	V, 1-7		VI, 17-49	
56	Leprosi Mundati..	VIII, 2-4	I, 40-45	V, 12-44	
57	Curatio servi Centurionis.	VIII, 5-13		VII, 1-10	
58	Resurrectio filii viduae Naim.			VII, 11-17	
59	Discipuli Joann. Bap. coram Domino. .	XI, 1-30		VII, 18-35	
60	Dominus, Simon et mulier peccat.. . . .			VII, 36-50	
61	Generositas piarum mulierum..			VIII, 2-3	
62	Jesum apprehendere intentant ejus propinqui.		III, 20-21		
63	Daemoniacus caecus et mutus..	XII, 22-50	III, 22-25	XI, 14-32	
64	Blasphemia in Spirit. Sanctum.	XII, 30			
65	Signa Jonae prophetae. . . . . , . . .	XII, 39-41			

		S. MATTH.	S. MARC.	S. LUCAS	S. JOANN.
66	Ninivitae et regina Saba.	XII, 42			
67	Ejicit spiritum immundum.	XII, 43			
68	*¡Beatus venter!*.	XII, 45-50		VIII 20-22	
69	Parabola seminantis.	XIII, 3-23	IV, 2-25	VIII, 4-18	
70	Lucerna sub modio.	V, 15	IV, 21	VIII, 16	
71	Zizania.	XIII, 24 43			
72	Semen quod germinat.		IV, 26-29		
73	Granum sinapis.	XIII, 31-32	IV, 30-34		
74	Fermentum.	XIII, 33			
75	Thesaurus absconditus.	XIII, 44			
76	Pretiosa margarita.	XIII, 45-46			
77	Sagena missa in mare.	XIII, 47-51			
78	Jesus pergit in Nazareth.	XIII, 53-58	VI, 1-6		
79	Oratio ad Apostolos.	IX, 35	VI, 7-13	IX, 1-6	
80	Mors S. Joannis Baptistae.	XIV, 1-12	VI, 14-29	IX, 7-9	
81	Multiplicatio quinque panum.	XIV, 13-21	VI, 30-44	IX, 10-17	VI, 1-15
82	Jesus graditur super aquas.	XIV, 22-36	VI, 45-58		VI, 16-21
83	Promissio Eucharistiae.				VI, 22 72
	TERTIA PASCHA (Joann. VI. 4)				
84	Vera sanctitas interior est.	XV, 1-20	VII, 1 28		
85	Mulier Chananea.	XV, 21-28	VII, 24-30		
86	Sordus-mutus sanatus.		VII, 32 37		
87	Multiplicatio septem panum.	XV, 31-39	VIII, 1-10		
88	Pharisaei signa petunt.	XVI, 1-4	VIII, 11-13		
89	Fermentum Pharisaeorum.	XVI, 5-12	VIII, 14-21		
90	Curatio caeci Bethsaidae.		VIII, 22-26		

		S. Matth.	S. Marc.	S. Lucas	S. Joann.
91	Petrus, fundamentum Ecclesiae..	XVI, 13-20	VIII, 27-30	IX, 18-21	
92	Praedictio passionis.	XVI, 21-28	VIII, 31-39	IX, 22-27	
93	Transfiguratio.	XVII, 1-3	IX, 1-12	IX, 28-36	
94	Curatio lunatici.	XVII, 14 30	IX, 13-28	IX, 37-43	
95	Denuo praedicitur Passio.	XVII, 21-22	IX, 29-31	IX, 44-45	
96	Didrachma..	XVII, 23-36			
97	Invidiae inter Apostolos..	XVIII, 1-5	IX, 32-40	IX, 46-50	
98	Scandalum..	XVIII. 6-11	IX, 41-50		
99	Ovis perdita: drachma: prodigus.	XVIII, 12-24		XV, 1-32	
100	Correctio fraterna.	XVIII, 15-30			
101	Dimittere injurias.	VIII, 21-35			
102	Festum Tabern. Jesus in Jerus.			IX, 51	VII, 2-10
103	Transit per Samariam.			IX, 52-56	
104	Decem leprosi			XVII, 12-19	
105	Praedicatio in templo.				VII, 11-53
106	Redit in templum, Mulier adultera.. . .				VIII, 1-11
107	Asserit J. C. suam divinitatem..				VIII, 12-59
108	Curatio caeci a nativitate..				IX, 1-41
109	Bonus Pastor..				X, 1 31
110	Missio 72 discipulorum.			X, 1-20	
111	Jesus gratias agit Patri.	XI, 25-30		X, 21-24	
112	Bonus samaritanus.			X, 25-37	
113	Jesus in domo Marthae et Mariae. . . .			X, 30-42	
114	Modus orandi: perseverantia.			XI, 1-13	
115	Jesus cum pharisaeo ¡Vae!.			XI, 37-54	
116	Modus orandi. Perseverantia..			XII, 1-59	
117	Poenitentia: Ficulnea sterilis..			XIII, 1-20	
118	Janua angusta: insidiae Herodis.	VII, 13		XIII, 23-35	

		S. MATTH.	S. MARC.	S. LUCAS.	S. JOANN.
119	J. C. cum pharisaeo in die sabbat. . . .	X, 37-42		XIV, 1-35	
120	Festum dedicationis.				X, 2-42
121	Villicus infidelis.			XVI, 1-18	
122	Dives avarus.			XVI, 19-31	
123	Adventus regni Dei.			XVII, 20-37	
124	Oratio: vidua: pharisaeus et public. . . .			XVIII, 1-14	
125	Matrimonium et caelibatus.	XIX, 1-12	X, 1-12	XVI, 18	
126	J. C. benedicit pueros.	XIX, 13-15	X, 13-16	XVIII, 15-17	
127	Juvenis bonus et dives.	XIX, 16-26	X, 17-27	XVIII, 18-27	
128	Merces promissa Apostolis.	XIX, 27-30	X, 28-31	XVIII, 28-30	
129	Operarii vineae.	XX, 1-16			XI, 11-45
130	Resurrectio Lazari.				
	PARS III				
	Postremi dies Salvatoris.				
	(Ann. 33, Mart et April.)				
	1.º PRAELUDIA.				
131	Perversae intentiones judaeorum.				XI, 46-56
132	Jesus praedicit suam passionem.	XX, 17-19	X, 32	XVIII, 31-34	
133	Petitio filiorum Zebedaei.	XX, 20-28	X, 35-45		
134	Caeci Jericho.	XX, 29-34	X, 46-53	XVIII, 35-43	
135	Zachaeus.			XIX, 1-10	
136	Parabola puerorum.			XIX, 11-27	
137	Jesus cum Lazaro in Bethania.		XIV, 3		XII, 1-2
138	Jesus cum Simone leproso.	XXVI, 6-13	XIV, 3-9		XII, 2-11
139	*Hebdom. maj. Domin.* Jesus ingreditur Jerusalem.	XXI, 1-11	XI, 1-11	XIX, 28-45	XII, 12-19

		S. Matth.	S. Marc.	S. Lucas	S Joann.
140	Redit Jesus in Bethaniam..	XXI, 17	XI, 11		
141	*Feria 2.ª* Jesus ingreditur Jerusalem Maledictio arboris ficulneae.	XXI, 17-19	XI, 12-14		
142	Ejicit vendentes e templo..	XXI, 12 16	XI, 15-18	XIX, 45 48	
143	Redit in Bethaniam		XI, 19		
144	*Feria 3.ª* Arbor ficulnea arida..	XXI, 20-22	XI, 20-26		
145	«¿In qua potestate?».	XXI, 23-27	XI, 27-33	XX, 1-8	
146	Duo filii..	XXI 28-32			
147	Coloni vineae..	XXI, 33-46	XII, 1-12	XX, 9-19	
148	Invitati ad nuptias..	XXI, 1-14			
149	Herodiani et tributum.	XXII, 15-22	XII, 13-17	XX, 20-26	
150	Saducaei et resurrectio..	XXII, 23-33	XII, 18-27	XX, 27-40	
151	Magnum Mandatum.	XXII, 34-40	XII, 28-34		
152	Christus, Filius et Dominus.	XXII, 41-46	XII, 35-37	XX, 41-44	
153	Scribae et Pharisaei.	XXIII, 1-39	XII, 38-40	XX, 45-47	
154	Vidua et duo denarii.		XII, 41-44	XXI, 1-4	
155	Prophetia circa Jerusalem.	XXIV, 1-51	XIII, 1-37	XXI, 5 28	
156	Parabola decem virginum.	XXV, 1-13			
157	Parabola talentorum.	XXV, 14-30			
158	Judicium universale.	XXV, 31-46			
159	Gentes videre cupiunt Jesum..				XII, 20-36
160	Reflexiones S. Joannis..				XII, 36-50
161	Jesus annuntiat proximam mortem.. . .	XXVI, 12			
162	*Feria 4.ª* Conjuratio contra Jesum. . .	XXVI, 3 5	XIV, 1-2	XXII, 1-2	
163	Judas paratus tradere Jesum..	XXVI, 14 16	XIV, 10 11	XXII, 3-6	
	QUARTA PASCHA				
164	*Feria 5.ª* Ultima coena.	XXVI, 17-20	XIV, 17-25	XXII, 14-18	

PALE - BIBLIOTECA PROVINCIALE I BASCHI

		S. MATTH.	S. MARC.	S. LUCAS	S. JOANN.
165	Jesus lavat pedes Apostolorum..				XIII, 120
166	Institutio Eucharistiae.	XXVI, 26 28	XIV, 22-24	XXII, 19-20	
167	¿Quis erit proditor?..	XXVI. 21-25	XIV, 18-21	XXII, 21-23	XIII, 21-22
168	Jesus dicit Petro, quis futurus sit proditor				XIII, 23-30
169	Quaestiones inter Apostolos.			XXII, 24-30	
170	Novum mandatum.				XIII, 31-35
171	Fuga Apostolorum et negatio Petri. . .	XXVI, 31 35	XIV, 27-31	XXII, 21-23	XIII, 36-38
172	Sermo post coenam..				XIV, 16
173	Oratio Salvatoris.				XVII.
	2°—PASSIO.				
174	Hortus olivarum.	XXVI, 36	XIV, 32	XXII, 39 40	XVIII, 1
175	Oratio et agonia Salvatoris..	XXVI, 37-46	XIV, 32 42	XXII, 41-46	
176	Apprehensio Salvatoris..	XXVI, 47-56	XIV, 43-52	XXII. 47 53	XVIII, 2-12
177	Ducunt Jesum coram Anna.				XVIII, 13-14
178	Et etiam coram Caipha.	XXVI, 57-58	XIV. 53-54	XXII 54	XVIII. 15-16
179	Est interrogatus et alapis caesus. . . .				XVIII, 19-23
180	Falsi testes..	XXVI, 60-62	XIV, 55 61		
181	Asserit Jesus se esse Filium Dei, et est damnatus.	XXVI 63 68	XIV. 61-65		
182	Negatio et poenitentia Petri.	XXVI, 69-75	XIV, 66-72	XXII, 55 56	XVIII, 25-27
183	Contumeliae Salvatoris in hac nocte. . .			XXII, 63 65	
184	*Feria 6.ª* Sanhedrin.	XXVII. 1	XV, 1	XXII, 66-71	
185	Jesus ducitur ante Pilatum..	XXVII. 2	XV, 1	XXIII, 1	XVIII, 28
186	Suicidium Judae.	XXVII, 3-10			
187	Jesus coram Pilato..	XXVII, 11-14	XV, 2-5	XXIII, 2-5	XVIII, 29-38
188	Jesus coram Herode.			XXIII. 6 12	
189	Barabbas praefertur Jesu.	XXVII, 15-26	XV, 6-15	XXIII, 13 25	XVIII, 39-40

		S. Matth.	S. Marc.	S. Lucas.	S. Joann.
190	Flagellatio et coronatio spinar.	XXVII, 26 31	XV, 15-20		XIX, 1-30
191	*Ecce homo*..				XIX, 4-8
192	Iterum Jesus coram Pilato..				XIX, 12
198	Damnatio Salvatoris.	XXVII, 26	XV, 15	XXIII, 23	XIX. 13-16
194	Simon Cyrenaeus..	XXVII, 32	XV, 21	XXIII, 25	
195	Sanctae mulieres.			XXIII. 27-31	
196	Crucifixio..	XXVII, 32-38	XV, 22-28	XXIII, 33	XIX, 17-24
197	Mater Jesu..				XIX, 25-27
198	Injuriae in Salvatorem.	XXVII, 39-44	XV, 29-32	XXIII, 25-39	
199	Bonus latro.			XXIII, 40-43	
100	Mors Salvatoris..	XXVII, 50	XV. 37	XXIII, 46	XIX, 28-30
201	Tenebrae et alia prodigia..	XXVII, 45-53	XV, 33 38	XXIII, 44-45	
202	Centurio et alii adstantes..	XXVII, 54 56	XV, 39 41	XXIII, 47-49	
203	Latus Jesu apertum.				XIX, 31 37
204	Sepultura..	XXVII, 56-61	XV, 42 47	XXIII, 50-55	XIX, 38-42
205	Custodes sepulchri.	XXVII, 62-66			
206	Sanctae mulieres emunt aromata.. . . .			XXIII. 56	
207	*Sabbat*. Requies. Aromata..		XVI. 1		
	3.º—GLORIFICATIO.				
208	*Domin*. Resurrectio. Sanctae Mulieres in sepulchro.	XXVIII, 1-2	XVI, 2-4	XXIV, 1-2	XX, 1
209	Aparitio angelorum.	XXVIII, 2-7	XVI, 5-7	XXIV. 4-8	
210	Petrus et Joannes in sepulchro.. . . .			XXIV, 12	XX, 3-10
211	Jesus apparet Magdalenae..		XVI, 9-10		XX, 11-18
212	Jesus apparet sanctis mulieribus.	XXVIII, 8-10			
213	Custodes et Principes Sacerdotum. . . .	XXVIII, 11-15			
214	Apparet Petro.			XXIV, 34	

		S. MATTH.	S. MARC.	S. LUCAS	S. JOANN.
215	Apparet Emmaus.		XVI, 12-13	XXIV, 13-35	
216	Apparet Apostolis.			XXIV, 36 43	XX, 19-32
217	Apparet Thomae et aliis Apostolis. . . .				XX, 24-29
218	Manifestat se Jesus discipulis ad mare Tiberiadis.				XXI, 1-24
219	Apparet in Galilaea.	XVIII, 16-20			
220	Apparet in Jerusalem: novissima verba Jesu.		XVI, 14-18	XXIV, 44-50	
221	Ascensio.		XVI, 19	XXIV, 51-53	
222	Labores Apostolorum.		XVI, 20		
223	Epilogus.				XX, 30-31 XXI, 24-25

(1)

(1) Ex Vigouroux, *Manual Bibl.*, Introd in N. T. *Cuestiones retrosp.*

Caput IV

De Evangelio secundum Matthaeum.

PARS CRITICA.

594. Vita S. Matthaei. = 595. Rejicitur opinio Grotii qui ostendere conatur Matthaeum et Levi duas esse personas. = 596. Errores quoad authentiam hujus Evangelii. Ostenditur argumentis externis et internis Matthaeum scripsisse hoc Evangelium. = 597. Adversarii integritatis hujus Evangelii. Ostenditur duo priora capita esse genuina. = 598. Probatur hoc Evangelium originaliter hebraice scriptum fuisse. Solvuntur objectiones. = 599. Quando et a quo versio graeca hujus Evangelii facta fuerit. = 600. Tempus, locus, scopus et occasio praedicti Evangelii. = 601. Generalis idea ipsius.—602. Alii libri Matthaeo adscripti.

594. Matthaeus (Ματθαιος, *donatum)* qui etiam vocabatur Levi, fuit Galilaeus et filius Alphei: officium exercebat *publicani* in Capharnaum. Juxta S. Lucam, Matthaeus fuit Princeps publicanorum et valde dives, quod videtur inferri ex his verbis (V, 29, Luc) «Et fecit ei convivium magnum Levi in domo sua: et erat turba multa Publicanorum et aliorum, qui cum illis erant discumbentes.» Similiter loquitur S. Marcus. Quadam die, cum sederet in telonio, pertransiit Jesus, qui dixit ei «sequere me», et Matthaeus statim relictis omnibus secutus est Jesum. Porphirius et Julianus accusant Matthaeum de levitate, eo quod omnia reliquerat ut sequeretur hominem sibi ignotum: sed S. Hieronymus animadvertit Matthaeum, absque dubio, habuisse notitiam miraculorum Christi, vel saltem in illo intuitu (mirada) Salvatoris, aliquid fuisse supernaturale.

Nihil aliud scimus de vita hujus Evangelistae, praeter illa quae in Evangelio leguntur. Juxta antiquam traditionem, praedicavit in Persia ibique martyrii palmam obtinuit: secundum alios, hoc contigit in Aethiopia. Probabilitate caret opinio illorum qui censent, S. Matthaeum obiisse morte naturali.

595. Quaeritur num Matthaeus et Levi sint una eademque persona: sententia communis affirmat hanc identitatem, solidumque habet in ipsis Evangeliis fundamentum: si enim conferamus Matthaeum (IX, 9) cum Marco (II, 13-17) et Luca (V, 27) videbimus circumstantias conversionis Matthaei et Levi easdem esse; nam in tribus evangelistis, praecedit curatio para-

lytici, et sequitur convivium paratum a publicano, et detrectationes pharisaeorum.

Duplicitas nominis nullam creat difficultatem, nam ille publicanus, potuit ante conversionem duo habere nomina, vel adoptare post conversionem nomen Matthaei, quod significat *Donum Dei*.

Qui primus hanc identitatem negavit, fuit Grotius, quem alii secuti sunt; en fundamenta hujus opinionis: 1.um Matthaeus numquam seipsum vocat Levi; alii vero evangelistae numquam vocant eum Matthaeum: 2.um quia distinguunt inter Matthaeum et Levi S. Clemens Alexandrinus, qui citat haec verba Heracleonis «non enim omnes qui salvi fiunt, illa confessione quae voce fit, usi mortem subierunt: ex quibus est Matthaeus, Philippus, Thomas, Levis et alii multi» (1) Et Origenes ait: «sit et Levis publicanus, qui Jesum secutus sit: at non fuit ille ex Apostolorum numero, nisi juxta quaedam Evangelii secundum Marcum exemplaria,» (2) 3.um quia non erat mos apud judaeos habere duo nomina, nisi cognomen fuerit patronymicum aut gentilicium vel ad aliquam qualitatem designandam impositum. Ex quibus infert Grotius, duos publicanos Dominum vocasse; alterum Levi, principem publicanorum, qui magnum illud fecit convivium et fuit discipulus Domini, sed non Apostolus; alterum Matthaeum, qui enumeratus est inter Apostolos.

Sed hujusmodi rationes non sufficiunt ad negandam identitatem Matthaei cum Levi: non 1.ª Quia neque Paulus umquam seipsum vocat Saulum, neque tamen aliquis dicit, Paulum et Saulum fuisse duas personas distinctas Ut dicit S. Hieronymus «caeteros Evangelistas propter verecundiam et honorem Matthaei noluisse eum nomine appellare vulgato, sed dixisse Levi... ipsum autem Matthaeum secundum illud quod a Salomone praecipiatur, *justus accusator est sui*, in principio sermonis Matthaeum se et publicanum nominasse, ut ostenderet legentibus, nullum debere salutem desperare, si ad meliora conversus sit.» (3) Non 2.ª Quia S. Clemens Alex. qui anceps erat in hac quaestione, citat textum Heracleonis, quin aliquid de seipso dicat: auctoritas autem Heracleonis, haeretici saec II, ex schola gnostica Alexandriae, non tanta est, ut praeferri debeat

(1) *Strom.* IV, 9.
(2) *Cont. Celsum*, I. 62, apud Cornely.
(3) *In Matth.* IX, 9.

unanimi fere consensu Patrum. Neque scimus num Heracleon nomine Levi designare voluisset Lebbeum, id est, Thaddaeum. Quoad textum citatum Origenis, dicendum est dubium esse, nam ipse Origenes ad ostendendum in Evangelio plures esse binomios, proponit ut exemplum, Matthaeum. 3.ª ratio, non est vera ratio, cum in V. T. et etiam aetate J. C. plures judaei, duo nomina hebraica habuerint, quin essent patronymica, nec gentilicia, nec qualitatem aliquam designantia; sic Gedeon vocabatur etiam Jerobaal; Ozias, Azarias; Thaddaeus, Lebbaeus etc.

596. Qui primus negavit *authentiam* hujus Evangelii, fuit Faust. Manichaeus; et ideo negavit, quia in hoc libro loquitur de Matthaeo, tertia persona.

2.° Anabaptistae negarunt Matthaeo compositionem Evangelii, quale nunc habemus, quodque primitus exaratus fuit graece. Matthaeus autem erat hebraeus et in gratiam hebraeorum suum scripserat Evangelium.

3.° Renan afirmat nostrum Evangelium omnino distingui ab authentico Matthaei Evangelio, quod juxta Papiam, nonnisi *oracula Domini* continebat. (1)

4.° Larroquè, qui ex Cap. XXVIII, 15, infert hoc Evangelium scriptum fuisse multo post Matthaeum.

Nos in primis ostendemus authentiam Evangelii Matthaei, et dein praedictas objectiones solvemus: sit itaque:

Thesis. Evangelium Matthaei est authenticum seu opus ipsius Matthaei.

Probatur 1.° *argumentis externis.* Testimonium omnium Patrum, hanc veritatem probat; Papias, teste Eusebio, ait; «Matthaeus igitur hebraica lingua sermones dominicos scripsit: eos autem interpretatus est unusquisque prout potuit.» Quod testimonium magnae auctoritatis est, cum Papias, juxta Irenaeum, probabiliter fuerit discipulus S. Joannis.

Praeterea quae de hoc testimonio diximus, agentes de evangeliis synopticis, quaedam adhuc addi posunt, ad demonstrandum, illa verba τα λογια significare integrum S. Matthaei Evangelium, non oracula Domini tantum.

Et quidem, verba τα λογια designant opus aliquod Matthaei notissimum: nunc autem, ¿quid opus Matthaei potuit esse no-

(1) *Vid. de Jes. Introd.*

tissimum saeculo primo et initio saeculi II. nisi ejus Evangelium? ¿Ubi, nec vestigium quidem invenitur alterius operis Matthaei quod nonnisi oracula Domini contineret? Eusebius diligentissimus in investigando quidquid veteres scriptores de Apostolis deque Domini discipulis, dixerunt, nullam talis operis habet notitiam. ¿Quomodo ergo explicatur quod opus habitum ut apostolicum initio II saeculi, fuisset omnino ignotum secunda medietate ipsius saeculi?

Juxta Eusebium, Pantaenus, unus ex celeberrimis rectoribus scholae Alexandrinae, evangelizavit Indos (in Arabiam Felicem) ibique invenit Evangelium Matthaei hebraicis litteris conscriptum», quodque ibi adsportatum fuerat ab Apostolo S. Bartholomaeo.

S. Irenaeus ait: «Matthaeus quidem hebraeis proprio eorum idiomate publicavit Evangelium.»

Sunt etiam et plures alii Patres saeculi II, qui quamvis non expresse asserant auctorem primi Evangelii esse Matthaeum, allegant tamen plura dicta et *facta* Salvatoris, ita ut fatendum sit, has citationes desumptas esse ex Evangelio Matthaei, quod idcirco jam illa aetate habebatur ut Sacra Scriptura.

Athenagoras, Theophilus Antiochenus, et Justinus martyr, in suis apologiis adhibent plura testimonia excerpta ex Matthaei Evangelio. (1)

Patres recentiores unanimiter primum Evangelium tribuunt Matthaeo.

Inter primos haereticos, Cerinthus, et Carpocrates, agnoverunt hoc Evangelium. Similiter Ebionitae, quamvis truncatum.

Demum ex libris quos Origenes scripsit contra Celsum, constat et hunc cognovisse Evangelium Matthaei.

Antiquisimae versiones latina et syriaca, veritatem nostrae propositionis confirmant.

Probatur 2.° *argumentis internis:* et 1.° *modestia auctoris,* qui seipsum vocat publicanum, cum de hac qualitate caeteri evangelistae, propter charitatem sileant. Insuper in numero Apostolorum se postponit Thomae, quamvis prior fuisset in Apostolatu.

2.° Inter omnes apostolos, quinque sunt, cujus vocatio fu-

(1) Conf. Cornely. op. saep. cit. *De lib. hist. N. T.* Dissert. I. Sect. I. Cap. I. Q. II.

sius narratur; scilicet, S S. Petrus, Andreas, Joannes et Jacobus Major, et postremo Matthaeus. ¿Unde haec praelatio S. Matthaei? fortasse ex eo quod magnam celebritatem acquisivisset cum suo Evangelio. Tamen haec ratio non est magni ponderis; quia fortasse hoc ita factum est, ut omnes cognovissent, Jesum Cristum venisse in mundum ad salvandos justos et peccatores, quod ostendit exemplo Matthaei qui erat publicanus.

3.° In hoc Evangelio quaedam apparent vestigia muneris quo functus est Matthaeus ante conversionem. Et quidem, cum Jesum interrogant pharisaei, dicentes, num licitum sit tributum solvere, Jesus respondit apud Matthaeum «Ostendite mihi *numisma* census»; ubi Marcus et Lucas loco numismatis ponunt *denarium*, quod erat nomen vulgare. S. Matthaeus etiam mentionem facit *didrachmatis*. (1)

4.° Demum simplex lectio hujus Evangelii, sufficit, ut quilibet clarissime videat, scriptum fuisse ab aliquo judaeo et pro judaeis, quae optime conveniunt Matthaeo maxime si consideremus, textum primigenium hujus libri fuisse hebraicum ut postea videbimus. (2)

Ad argumentum Fausti Manichaei, dico, non raro scriptores sacros et etiam profanos in suis libris, saepe de seipsis loqui tertia persona.

Ad 2.um Resp. argumentum hoc non esse omnino demonstrativum, quia non semper authentia librorum pendet a lingua qua exarati sunt; auctor enim gallus potest hispanice scribere. Sed in praesenti casu dicimus, Matthaeum scripsisse suum Evangelium hebraice, ut hoc eodem Capite probabimus; et ideo argumentum Anabaptistarum manet solutum. (3)

Ad 3.um Alibi ostendimus contra Renan, λογία, in ore Papiae non modo significare *dicta, seu oracula Domini*, sed etiam *facta* ipsius. (4)

Ad 4.um Larroque ex his verbis Matthaei, cap. XXVIII, 15, «Et divulgatum est verbum istud apud Judaeos usque in hodiernum diem» nempe quod discipuli, militibus dormientibus, furati sunt corpus Christi; infert Evangelium Matthaei scriptum fuisse

(1) Cornely, Op. et loc. sup. cit.
(2) Conf. Vigouroux. *Man. Bibl. N. T. Prelim.* 2.°
(3) Anabaptistae etiam genealogiam J. C. secundum Matth negarunt. Conf. Sixt. Senen· *Biblioth. sac.* VII, haer. 2.
(4) Conf. quae diximus Cap. II hujus Sect.

longe post mortem Christi: atque ideo ejus auctorem non fuisse Matthaeum.

Huic objectioni sic respondit P, Gatti: «Praealata verba indicant quidem, aliquod temporis spatium a morte Christi ad tempus, quo scripta sunt, elapsum esse: at necessario multos annos non indicant. Nam plerumque verba, quae emanant in vulgus, haud longo tempore vestigium sui relinquunt; sed ubi prolata et diffusa ut vanus rumor, evanescunt, praesertim in civitate populo et negotiis plena, ut erat Jerusalem. Communis opinio est, Matthaei Evangelium scriptum fuisse ad minus octo annos post mortem Christi. Unde poterat Matthaeus ea verba proferre: eo vel magis quod non omnibus illud factum seu conventio inter milites et sacerdotes forsan innotescebat. *Dein*, posset etiam dici, verba, *usque in hodiernum diem,* addita posterius fuisse; ut ex fama, quae adhuc perdurabat, ostenderetur sacerdotum deceptio et malitia: ac magis claresceret resurrectionis Christi veritas, quae tot contra conatus eam occultandi et denigrandi, fuit ubique terrarum praedicata et credita.» (1)

597. Quidam rationalistae negarunt integritatem hujus Evangelii; nam juxta ipsos duo priora capita non sunt authentica. Unicum praetextum propter quod hujusmodi authentiam negant, est quia in his capitibus facta mirabilia narrantur, ut ortus Christi ex Matre Virgine, adoratio magorum, apparitio stellae etc. Sed cum scientifice velint loqui, his rationibus nituntur:

1.ª In antiquissimo Ebionitarum Evangelio, quod est primitivum Matthaei deerant praedicta duo capita.

2.ª Marcus qui in compendium redegit Evangelium Matthaei, omittit omnia quae de historia infantis Christi in praedictis capitibus narrantur.

3.ª Supradicta capita similiter desunt in antiquissimis codicibus: nec de ipsis ullam facit mentionem Tatianus in suo Diatessaron, neque Celsus in suis operibus

4.ª Demum narratio horum capitum excludit narrationem Cap. I. Lucae et vice-versa.

Primo ostendemus genuinitatem duorum priorum Capitum Matthaei, et dein adversariorum argumenta solvemus.

Thesis. Duo priora capita Evangelii Mathaei sunt genuina.

---

(1) Leg. *Inst. Apolog., etc.* P. Fr. Vinc. M. Gatti, Lib. II, Trac. III, Cap. II.

Probatur 1.° Nam caput III incipit: «In diebus autem illis venit Joannes Baptista praedicans in deserto Judaeae» quae verba satis indicat in libro aliquid praecedere. Unde ebionitae, qui illa duo capita rejiciebant, initium ex tertio sic sumebant. «Factum est in diebus Herodis regis Judaeae, ut veniret Joannes baptizans etc.» Sed S. Epiphanius eos refellit ostendens, in hoc maximum esse anachronismum, cum Herodes Judaeae rex, de quo loquuntur, triginta ab hinc annis vita functus esset. Nam post Herodem Magnum, sub quo Christus natus est, regnavit Archelaus, qui decem annos regnavit: ac Herodes, Magni nepos, cum Joannes baptizabat, non erat rex Judaeae, sed Galilaeae.

2.° Controversiae Patrum circa modum conciliandi genealogias Christi secundum Matthaeum et Lucam, supponut primum caput Matthaei ut genuinum habitum fuisse; secus facile quaestionis nodum amputassent, dicendo genealogiam secundum Matthaeum non esse genuinam.

3.° Inter Patres, Tertulliamus, *cont. Marc.* lib. V. c. 9, et Justinus in *Dialogo cum Triphone*, num. 78, 103, commemorant duo priora capita Matthaei. S. Irenaeus scribit: «Iterum autem de Angelo dicens Matthaeus, ait, *Angelus Domini apparuit Joseph in somnis*. Cujus Domini, ipse interpretatur: *ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam: Ex Aegypto vocavi filium meum. Ecce virgo habebit*, etc.» Et paucis interpositis: «Matthaeus autem Magos ab Oriente venientes ait dixisse: *Vidimus enim* stellam ejus in Oriente; et venimus adorare eum.» (1) Et alibi idem S. Irenaeus scribit: Matthaeus vero eam, quae est secundum hominem, generationem ejus enarrat, dicens: «Liber generationis Jesu Christi, filii David, etc.» (2)

4.° In versionibus antiquissimis, ut Itala, utraque Syriaca, in Copticis, et in caeteris omnibus versionibus, duo priora capita Mathaei inveniuntur.

Deveniamus nunc ad objectiones: Resp. ad 1.um Ebionitas Evangelium Matthaei truncasse, ne cogerentur admittere Christi divinitatem, ejusque divinam originem etiam quoad corpus.

Ad 2.um Nullibi dicit Marcus, sibi proposuisse in compendium redigere omnia omnino quae narrantur a Matthaeo; sed propositum ejus fuit tantum breve compendium tradere, eorum quae

(1) *Advers. Haeres.* lib. III, cap. IX, 2.
(2) *Ibid* lib. III, cap. XI, 8.

Dominus gessit in vita sua publica et praedicatione, in quibus etiam non pauca omittit

Ad 3.um Argumentum deductum ex eo quod dicta capita in nonnullis codicibus non extant, nullius est momenti, contra testimonium Patrum, et contra antiquissimos codices qui ea exhibent, ut *Vaticanus, Sinaiticus, Rescriptus*, aliique unciales. Praeterea, codices, in quibus desunt, conspicitur lacunas habere, ac folia ex iis excidisse.

Tatianus tantum omisit genealogias; iis tamen saepissime usus est ejus magister S. Justinus. Celsus autem integrum admisit Evangelium Matthaei, uc constat ex libris quos contra ipsum scripsit Origenes. (1)

Ad 4.um Dico minime opponi duo priora capita Matthaei primo capiti Lucae, ut ostendemus in parte *exegetica* capitis quod scribimus.

598. S. Matthaeus scripsit suum Evangelium hebraice, in dialecto *aramaica*, dicta etiam *syro-chaldaica*, quae vulgaris erat in Palaestina aetate Christi.

Erasmus, Cajetanus et quidam ex protestantibus docuerunt, textum primigenium Matthaei fuisse graecum.

Sed haec opinio contradicit unanimi consensui Patrum, ex quibus plures jam citavimus, et iterum citaturi sumus: «Papias ait: «Matthaeus igitur *hebraica lingua* sermones dominicos scripsit.»

Juxta Eusebium, Pantaenus invenit in Arabia Evangelium Matthaei *hebraicis litteris conscriptum*, ibique adsportatum ab Apost. S. Bartholomaeo. S. Irenaeus: «Matthaeus quidem hebraeis proprio eorum idiomate publicavit Evangelium.»

Origenes: «Sicut ex traditione accepi de quatuor Evangeliis, quae sola in universa Ecclesia citra controversiam admittuntur, scilicet primum scriptum esse a Matthaeo, qui illud hebraico sermone conscriptum Judaeis ad fidem conversis publicavit.»

Eusebius: «Matthaeus, cum primum hebraeis fidem praedicaret. inde ad alias gentes profecturus Evangelium suum patrio sermone conscribens defectum praesentiae suae scripto compensavit.»

S. Cyrillus Hier.: «Matthaeus Evangelium scribens hebraica lingua illud composuit.»

---

(1) *Cont. Cels.*, lib. I, n. 38, 40, et lib. II, n. 3.

S. Epiphanius: «Vere illud affirmare possumus, unum ex omnibus N. T. scriptoribus Matthaeum, hebraice ac hebraicis litteris evangelicam historiam texuisse »

Haec est sententia S. Hieronymi, S. Augustini, et omnium Patrum latinorum, sicut etiam et Ecclesiae syriacae.

Objectiones: 1.ª Si S. Matthaeus scripsisset suum Evangelium hebraice, non fuisset necessaria versio syriaca, quae tamen, nempe *Peschito* facta fuit, ad summum, saeculo II.

Resp. Hanc versionem factam fuisse postquam textus primigenius Matthaei deperditus est, et juxta hujus textus versionem graecam.

2.ª Argumentum ex Patribus desumptum, nullius est roboris, cum omnes, in hac materia, suas acceperint notitias a Papia, viro imbecilli.

Resp. Papiam fere ignotum fuisse S. Irenaeo, S. Clementi Alex. et Origeni. Praeterea, Papias, non magno acumine ingenii eguit, ad cognoscendum num S. Matthaeus scriberet graece vel hebraice. Et quamvis Papias inciderit in errorem millenarismi, tamen multum laudatur a Patribus.

Demum, juxta rationalistas, in praesenti casu, Papias non est nisi vir imbecillis; cum vero ipsis favere videtur, est vir sapientissimus.

3.ª Nemo inter veteres asserit, se vidisse textum hebraicum Matthaei.

Resp. Neg. Nam illum vidit Pantaenus in Arabia, teste Eusebio. Praeterea S. Hieronymus invenit in biblioteca Caesareae, Evangelium *secundum hebreos* quo utebantur Nazaraei, quodque erat ipsum primitivum Evangelium Matthaei, quamvis truncatum.

4.ª Si textus primigenius Evangelii Matthaei fuisset hebraicus, non interpretarentur in ipso textu, quaedam verba hebraica, ut *Emmanuel, Eli, Eli,* etc.

Resp. cum Grotio: «Solemne enim est, omnibus scriptoribus, etiam interpretibus, vocabula peregrina notabiliora servare integra addito interpretamento, quod etiam aliquoties factum videmus a septuaginta senibus.» Et S. Hieronymus ait: «Addamus autem id in Evangelio nostro aptissime esse factum cum hebraica nomina omnino retinenda essent.»

Dici etiam potest, meo saltem judicio, hujusmodi interpretationes additas fuisse tantum in versione graeca.

5.ª Juxta Erasmum et Westein, stylus primi Evangelii si-

milis est stylo secundi: ergo si Marcus graece scripsit, etiam Matthaeus eadem lingua usus est.

Resp. Consequentiam esse absurdissimam, nisi admittatur auctorem utriusque Evangelii fuisse unum, eumdemque.

Itaque similitudo styli sic explicari potest ac debet: Evangelium Matthaei versum est graece, postquam Evangelium Marci jam scriptum erat; interpres autem Matthaei est imitatus stylum Marci.

599. Nunc quaeritur, quando et a quo facta sit versio graeca Evangelii Matthaei.

«Quis Evangelium Matthaei in graecum verterit non satis certum est», ait S. Hieronymus. Unde plures dantur opiniones. Quidam recentiores historici, ipsi Matthaeo tribuunt versionem graecam sui Evangelii. *Sypnosis Athanasiana* auctorem interpretationis facit Jacobum, fratrem Domini: Theophilactus interpretationem adscribit Joanni Apostolo.

Quod certum videtur est, hanc versionem factam fuisse aetate apostolica. Nam testimonia Matthaei a Patribus apostolicis citata, videntur desumpta ex versione graeca. Super cadaver S. Barnabae inventum est Evangelium Matthaei graece exaratum: ergo hujusmodi versio aetate Apostolorum facta est, et fortasse ab aliquo Apostolo. Hoc tamen non admittit P. Fernandez: ait enim; «Firmum tamen habeo non ab aliquo Apostolo factam esse versionem, quoniam vix fierit poterat antiquos scriptores non indicasse. Argumentum quod in contrarium promunt nonnulli ex auctoritate, quam nacta est inter Christianos, nullius est momenti: factum est propter propagationem Ecclesiae, ubi magis agnoscebatur lingua hellenica, ideoque sensim sine sensu hebraicum obliti originale deperdi permiserunt. Mihi videtur versionem ab aliquo Matthaei discipulo fuisse factam.» (1)

600. *Tempus, locus, scopus et occasio hujus Evangelii.*

Hoc Evangelium scriptum fuit juxta Nicephorum et plures alios, anno decimo quinto post Ascensionem Domini: sed juxta communem opinionem exaratum fuit anno septimo vel octavo post Ascensionem Domini. Saltem certissimum est Matthaeum ante caeteros scripsisse Evangelium.

(1) *Curs. Theol. Introd. in Sac. Script.* Tract. I. Sect. IV. Cap. I.

Quoad *locum*, omnes antiqui fatentur, Matthaeum cudisse Evangelium in Palaestina, seu in regione judaeorum, propter quod hebraicam linguam abhibuit.

Finis quem sibi proposuit Matthaeus, fuit ostendere Judaeis, Jesum Nazarenum esse verum Messiam. Ad hoc, demonstrat originem Jesu a Davide, mirabilem ejus conceptionem, nativitatem in Bethlehem, apparitionem stellae, fugam in Aegyptum etc.; quae omnia praedicta fuerant a prophetis in Veteri Testamento. Unde hoc Evangelium potius est dogmaticum quam historicum. (1)

Occasionem dederunt huic Evangelio, desiderium judaeorum ad fidem conversorum, possidendi narrationem scriptam principalium dictorum et factorum Jesuchristi: et ex alia parte timor quem Matthaeus habebat, ne in sua absentia judaei verae doctrinae obliviscerentur, vel eam adulterasent. (2)

601. *Generalis idea Evangelii.* Continet 28 capita, et dividi potest in tres partes: 1.ª a cap. I ad IV, 13, narrat Genealogiam, conceptionem et nativitatem Jesu-Christi: adventum Magorum, caedem innocentium, fugam et reditum ab Aegypto, baptismum, jejunium et tentationem in deserto: uno verbo, infantiam et vitam privatam Salvatoris. 2.ª A v. 13. cap. IV usque ad finem cap. XXIV, describit vitam publicam Domini, quamvis non semper ordine chronologico; nempe vocationem et missionem Apostolorum; plura miracula, praesertim transfigurationis; primatum Petri, et triumphalem ingressum in Jerusalem 3.ª pars. Tribus postremis capitibus mentio fit passionis, mortis et resurrectionis Christi, et demum missionis Apostolorum in universum mundum.

602 Alii etiam libri adscribuntur Matthaeo, nempe 1.° *Liber infantiae Jesuchristi*, qui liber est apocryphus. 2.° *Liturgia Aethiopum* quae ab aliquibus habetur ut opus genuinum Matthaei, sed non probatur. 3.° *Evangelium secundum he-*

(1) Sic Patrizi: «Matthaei itaque opus non ἱστορικόν est, sed ἐλεγκτικόν, eoque tendit, ut Judaeis probet, Jesum esse Messiam.» *De Evang.* I. p. 7.

(2) Ad rem Maldonatus: «Cur Evangelistae scripserint? Tertia causa videtur fuisse, ut auditores quibus Evangelium praedicaverant, scripto haberent, quae viva voce loquentes Apostolos audierant, ne aut obliviscerentur, aut secus interpretarentur, quam dicta fuerunt... Quarta, ut quod praesentibus praedicarant, absentibus quoque per scripturam praedicarent.» *Comment. Praef.* 6.

braeos, quod quidam habent ut fontem Evangeliorum Matthaei et Marci. Hoc sensu accepto *Evangelio secundum hebraeos*, esset illud *proto-evangelium*, quod sibi fingunt rationalistae, quodque numquam extitisse jam demonstravimus. Itaque *Evangelium secundum hebraeos*, unum primitus fuit cum Evangelio Matthaei, eoque utebantur Nazaraei: ait enim S. Hieronymus: «Mihi quoque a Nazaraeis qui... hoc volumine (Matthaei) utuntur, describendi facultas fuit.» (1) Et S. Epiphanius loquens de Nazaraeis, scribit: «Est vero penes illos Evangelium secundum Matthaeum et quidem absolutissimum. Hoc enim certissime prout hebraicis litteris initio scriptum est, in hodiernum tempus usque conservant.» (2) Sed postea Nazaraei ebionismum amplexi sunt, et ideo, duo priora capita abraserunt, ne cogerentur conceptionem et nativitatem supernaturalem Chisti admittere.

PARS EXEGETICA

603. Matthaeus in genealogia Christi (1, 8) dicit: «Joram autem genuit Oziam,» et tamen ex II Paral. constat Joram genuisse Ochoziam, Joas, Amasiam, et hunc demum Oziam.=604. Juxta fidem catholicam B. Virgo non nisi unum filium habuit, nempe D. N. Jesum Christum; et tamen Matthaeus XIII, 55, loquitur de fratribus Christi.=605. Quomodo conciliari queant ea quae Matthaeus narrat de adoratione Magorum, de fuga in Aegyptum etc, cum his quae Lucas scribit de Circumcisione, Purificatione, etc.=606. Narrationes curationis servi Centurionis apud Math. et Luc. videntur contradictoriae sicut etiam et sanationis caeci prope Jericho, historiae resurrectionis Domini, et itineris mulierum ad sepulchrum, secundum Matth., Marc. et Luc.=607. De conceptione supernaturali Jesu adversus rationalistas.

603. Frequenter in Sacris Scripturis quaedam generationes omittuntur modo necessariae non sint ad descendentiam bene determinandam. Neque verbum *genuit*, in Scripturis significat semper generationem immediatam (3) Sed in praesenti casu

(1) *De vir. illust*, 4; et *In XII, 13 Matth.*

(2) *Haer. XXIX, n. 9.*

(3) Ad rem Vigouroux: «No hay inconveniente alguno en admitir que en esas genealogías se han omitido algunas generaciones. Con efecto: 1.º Eso ocurre en muchos pasajes del Antiguo Testamento. Como el objeto de esas genealogías consistía en fijar la descendencia, en probar que se era de tal raza, que se tenía por antepasado á tal ó cual personaje, no era necesario enumerar todas las generaciones, bastaba con que la línea de sucesión se fijara de una manera segura y cierta. Así es que con frecuencia

aliqua omissionis explicatio dari potest. Propheta Elias nuntiaverat Achab regi Israel exterminium posteritatis suae. Unde Evangelista, sententiam ad rem deducere voluit, morte quadam civili, ad minus usque ad quartam generationem, in Christi genealogia: nam Joram in matrimonium duxerat Athaliam filiam Achab, ex qua natus est Ochozias, qui genuit Joas, et hic Amasiam.

604. Juxta fidem catholicam B. V. Maria, non nisi unicum filium habuit, nempe Jesum Christum, et tamen Matthaeus (XIII, 55) loquitur de fratribus et sororibus Christi.

Cap. XIII, 55-56, Matthaei legimus: «Nonne hic est fabri filius? Nonne mater ejus dicitur Maria, et fratres ejus, Jacobus, et Joseph, et Simon et Judas? Et sorores ejus, nonne omnes apud nos sunt?» Simillima verba leguntur apud Marcum, VI, 3, et Joannem VI, 42. Ex quibus verbis rationalistae inferunt, Jesum veros fratres habuisse, et ideo Beatam Mariam, non semper fuisse virginem.

Ad cujus rei intelligentiam animadvertere oportet, in Sacra Scriptura hoc nomen *frater* quadruplici sensu accipi: 1.° pro eo qui est frater secundum naturam, eo quod communes geni-

---

esas genealogías pasan del abuelo al nieto ó al biznieto. 2.° No se obraría cuerdamente atribuyendo á la palabra *genuit* el sentido preciso de generación inmediata ó de relación de padre á hijo. Vemos que S. Mateo une por medio de dicho término á Joram con Ozías, por más que nadie ignorase entre los judíos que entre esos dos personajes habían mediado tres generaciones: Ochozías, Joas y Amasias. También hace nacer á Jechonías de Josías, aunque solo era su nieto por Joachim. La misma observación se puede hacer con relación á otras genealogías, por ejemplo las del capítulo segundo de Esdras, del capítulo séptimo de Nehemías, y la del mismo Esdras que hace que éste se remonte á Aarón por quince generaciones solamente. En una genealogía *genuit* puede por lo tanto significar sencillamente: *Tuvo por descendiente*; de la misma manera que *pater* significa con frecuencia antepasado, é hijo significa descendiente. Los tres descendientes de Joram que S. Mateo omite, no estaban sin duda en la lista oficial que el evangelista reproduce. ¿Pero porqué habían sido quitados de ella? Esto obedece probablemente, dice S. Jerónimo, al horror que inspiraban Achab y Jezabel, cuya hija, la impía Atolia, había tomado Joram por mujer y al deseo de conformarse con la sentencia lanzada por el Señor contra su posteridad. De igual manera á Caín no se le nombra entre los hijos de Adam. De todas maneras, nada prueba mejor la autenticidad de la genealogía que cita S. Mateo, que la fidelidad con que ha conservado un vacío tan manifiesto y que hubiera sido tan facil llenar.» Op. saep. cit. Introd. al N. T. P. I. Cap. II. Art. II.

tores habeant; sic Jacob dicitur frater Esau: 2.° pro eo qui est ejusdem patriae et religionis: hac de causa hebraei ad invicem vocabantur *fratres* (Deut. XV, 12) et etiam christiani (Rom. IX, 3, et I, Cor. V, 11.) 3.° pro his qui se mutuo diligebant: hoc sensu Dominus vocat Apostolos, *fratres*: et 4.° pro his qui erant ejusdem familiae, quo sensu Abraham et Lot dicuntur *fratres* (Gen. XIII, 8.) Et hoc ultimo sensu, loquuntur Evangelistae de fratribus Domini.

Ratio est, quia lingua hebraica caret vocabulis ad designandos diversos gradus propinquitatis. Sic vox hebraica *Ahh*, *frater*, fere aequivalet apud latinos voci *germanus*, et apud hispanos voci *parientes*.

Innumera sunt Sacrae Scripturae loca in quibus vox *frater*, tum patrueles, tum consobrinos, tum alios propinquos significat: unde S. Hieronymus ait: «Fratres consobrinos dici omnis Scriptura demonstrat.» (1)

Omnes Patres uno ore fatentur, B. Mariam non nisi unicum filium habuisse, nempe Jesum Christum, semperque Virginem mansisse: nimis molestum esset Patrum catalogum texere.

Sed ex ipsa Scriptura infertur, Jacobum, Josephum, Judam et Simonem, non fuisse veros fratres Jesu, sed ad summum patrueles (primos): hoc significant illa verba prolata a Jesu e cruce· «Ecce mater tua: ecce filius tuus»: quae verba Jesus non dixisset si alios fratres habuisset.

Praeterea Jacobus, saepe dicitur filius Alphaei ejusque frater fuit S. Judas: (2) juxta Eusebium, Simon fuit frater Jacobi minoris, et uterque filius Alphaei seu Cleophae, qui fuit frater Joseph. Ergo quatuor illi qui fratres Domini dicuntur in Scripturis, sunt ad summum patrueles, et probabiliter non ex parte matris.

Renan fatetur Jacobum, Josephum, Judam et Simonem non fuisse veros fratres Jesu; sed ex verbis Joannis VII, 3 et seqq. infert Jesum habuisse alios veros fratres, qui in eum non credebant, (3) quique ei omnibus modis contradicebant.

---

(1) *In Matth.* XII.

(2) Luc. V, 16; Act. I, 13.

(3) Audiatur Renan: «Jesús tenia hermanos y hermanas de los cuales parecía ser el primogénito. Pero todos permanecieron obscuros, porque los cuatro personajes que se citan como hermanos suyos, y uno de los cuales Santiago, llegó á adquirir gran importancia en los primeros años del cris-

Respondendum est, fratres illos de quibus fit mentio loco citato Joannis, esse alios propinquos et cognatos Domini: hos vero contrarios fuisse Domino falsum est; nam verba illa: «Transi hinc, et vade in Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua quae facis» non sunt tantum reprehendentis, sed etiam hortantis. Igitur propinqui Jesu volebant, ut in Jesusalem coram magistratibus et turbis patraret miracula, ut ita sibi conciliare possint aliquid gloriae ex miraculis Jesu. (1)

---

tianismo, eran, según parece, primos carnales. En efecto, María tenía una hermana, que también se llamaba María, la cual casó con un tal Alfeo ó Cleofás (estos dos nombres parecen designar una misma persona) y tuvo varios hijos que desempeñaron un papel considerable entre los primeros discípulos de Jesús. Mientras que sus verdaderos hermanos le hacían la oposición, estos primos carnales se adhirieron al joven maestro y tomaron el título de «hermanos del Señor.» Los verdaderos hermanos de Jesús, así como su madre, no tuvieron importancia sino después de la muerte del Salvador. Y aún entonces mismo no alcanzaron, á lo que parece, la misma consideración que sus primos, cuya conversión había sido más expontánea y en cuyo caracter hubo sin duda más originalidad. Tan conocidos eras sus nombres, que cuando el Evangelista pone en boca de la gentes de Nazareth la enumeración de los hermanos, según la naturaleza, son los hijos de Cleofas los primeros que se presentan á su memoria.» *Vid. de Jesus* Cap. II -Cons. *Conferen. XLIII.* P. Jacob. M. Monsabré. 1880.

(1) Ad rem sapient. Maldonatus: «*Dixerunt autem ad eum fratres ejus.* Cavendus hic Graecorum error interpretum, qui fratres Christi filios Joseph vocari putant, Leontii, Cyrilli et Euthymii. Nihilo probabilior Chrysostomi et Euthymii, et ut videtur Cyrilli sententia qui Jacobum et Judam, ejus fratrem, Apostolos, eos fuisse existimant, qui hic Domini fratres appellantur. Dicit enim Evangelista v. 5, eos fratres Christi, qui hoc illi dixerunt, nondum tunc in illum credidisse; et credendum non est, nondum Apostolos credidisse. Iis igitur assentior, qui existimant fratres hoc loco caeteros ejus cognatos appellari, ut divus etiam Augustinus putat, sive ex matre, qui vere secundum carnem cognati erant, sive ex patre, qui etsi vere cognati non erant, tamen esse putabantur; et loqni Evangelistam non sua, sed aliorum opinione.—«*Transi hinc, et vade in Judaeam, ut et discipuli tui videant opera tua quae facis.* Reprehendentium verba sunt, simul et hortantium. Nam et illius nimiam timiditatem notant, quod, cum tam clarus miraculis sit, in obscuro loco delitescat, nec satis habeat animi, ut debitam sibi ab hominibus gloriam consectetur, et ut id faciat, reprehensione ipsa cohortantur. Hanc vim illa habent verba: «Transi hinc, et vade», quasi dicant: Quid hic obscurus delitescis? excede domo, et te, quis sis, omnibus hominibus ostende, maximeque Jerosolymae, quo omnium Judaeorum concursus fit, hoc potissimum tempore.—*Ut et discipuli tui videant opera tua quae facis.* Haec altera videtur esse ratio, qua persuadere illi volunt, ut in Judaema

605. Quomodo conciliari queant ea quae Matthaeus narrat de adoratione Magorum, de fuga in Aegyptum etc. cum his quae Lucas scribit de circumcisione, purificatione etc.

Certum est aliquam difficultatem dari, ad conciliationem duorum Evangeliorum: sed conciliatio non est impossibilis. Triplex inventa est hypotesis.

Hiphotesis 1.ª hunc ordinem ponit in factis: Christus nascitur: octavo die circumciditur: adoratur a Magis; et Joseph ab Angelo in somnis admonitus fugit in Aegyptum: post reditum ex Aegypto fit purificatio et praesentatio in templo. Praecipuum caput in hac hypothesi est, *Purificationem locum habuisse post reditum ex Aegypto.*

Prob. ex Matth. II, 13: «Qui cum recessissent (nempe Magi) ecce Angelus Domini apparuit in somnis Joseph dicens: Surge, et accipe puerum et matrem ejus, et fuge in Aegyptum;» ubi vox *ecce* designat, immediate post discessum Magorum, Angelum apparuisse, et Joseph cum Maria et puero statim fugisse in Aegyptum; ergo ante reditum ex Aegypto non fuit locus nec tempus Purificationi.

Sed inverosimile est, Mariam et Jesum, qui legibus Purificationis et Praesentationis non tenebantur, voluisse ipsis se subjicere post plurium annorum spatio. Praeterea, ex his verbis Lucae, v. 22: «Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysi,» inferri videtur caeremoniam illam impletam fuisse, tempore a lege statuto, scilicet die quadragesimo.

Demum, nec despicienda est mos Ecclesiae celebrandi festum Purificationis die quadragesimo post Nativitatem Domini.

Hyphotesis 2.ª, juxta quam Purificatio collocatur post adventum Magorum et ante fugam in Aegyptum.

---

eat, ut discipulos, quos illid habebat miraculis confirmaret. Sed praetextus hic potius, quam vera erat ratio. Nec enim illi de discipulorum confirmatione, sed de sua ipsorum gloria videntur fuisse solliciti. Volebant ex Christi miraculis, Jerosolymae in maxima frequentia hominum factis, conciliare sibi aliquid gloriae, demonstrari digito: illi sunt cognati Christi ejus, qui tanta tamque multa miracula facit. Quod enim paulo post dicit Evangelista, fratres ejus nondum in eum credidisse, non sic intelligendum, quasi nullo prorsus modo, sed quasi non omnino credidissent. Volebant igitur experiri in loco celebri, an ea posset facere miracula, quae facta ab eo alibi narrabantur, ut aliquid ad se gloriae redundaret. Exprimitur nobis in illis cognatorum ingenium: nihil solent ex nobis nisi honorem aut utilitatem suam quaerere». *In Joann. VII, 3.*

Nam si Magi venissent post Purificationem, non invenissent Christum in Bethlehem; quia sacra Familia, post Purificationem non redit in Bethlehem sed in Nazareth, ut ait Luc. II, 39: «Et ut perfecerunt omnia secundum legem Domini, reversi sunt in Galilaeam, in civitatem suam Nazareth: et tamen Magi invenerunt Christum in Bethelehem, juxta Evangelium.

Neque dicas non statim post Purificationem, reversos fuisse in Nazareth. ¿Qua enim causa redivissent in Bethelhem pauperes homines, in diversorium vel in stabulum, cum in Nazareth haberent domum propriam vel saltem fixam habitationem et etiam laborem quo necessaria ad vitam sibi procurarent? Itaque reversi sunt in Nazareth, ibique commorati sunt, sed brevissimo tempore, nam admoniti ab Angelo fugerunt in Aegyptum.

Hyphotesis 3.ª, Purificationem ponit ante adventum Magorum die quadragesimo; post hunc diem veniunt Magi; et postea, fuga in Aegytum.

Sed in hac hypothesi, Magi adorassent Jesum non in Bethlehem sed in Nazareth, quod videtur opponi Mathaeo, et communi persuasioni fidelium, qui credunt Magos adorasse Jesum in Bethlehem.

Respondeo hanc hypothesim non opponi Matthaeo: nam hic Evangelista utique dicit Herodem misisse Magos in Bethlehem, et stellam quae eos duxit, stetisse *supra ubi erat Puer*. Sed Evangelista non dicit, ubi esset Puer; ergo adoratio Magorum in Nazareth minime contradicit narrationi Matthaei.

Nunc quaeritur, quoandonam advenerint Magi.

S. Epiphanius docet, advenissse biennio post Nativitatem: secus enim Herodes non jussisset occidi infantes *ab bimatu et infra, secundum tempus quod exquisierat a Magis*.

Praeterea, ut ait S. Epiphanius, loquens de Magis: «Non invenerunt Mariam in spelunca, ubi peperit, sed ut Evangelium habet: Deducebat, inquit, ipsos stella usque ad locum, ubi erat puer, et ingressi in domum invenerunt puerum cum Maria, non amplius in praesepi, non amplius in spelunca, sed in domo, ut cognosceretur veritatis certitudo, et temporis duorum annorum spatium, ex quo natus est, donec acceserunt Magi.» (1)

Sed contra primam rationem ait Chrysot.: «Quod si a biennio et infra Herodes pueros interfecit, non mireris: siquidem con-

(1) *Haer.*, 55.

veniens in eumdem tyranum pavor et furor, pro abundantia cautionis et licentia persecutionis, majus etiam tempus inclusit, ne quis profecto ejus aetatis, et forte is potissimum, propter quem alii interimuntur, effugiat.» (1)

Contra testimonium S. Epiphanii, sunt alia Patrum, in quibus docent Christrum adoratum fuisse a Magis in loco ubi natus est: sic S. Augustinus: «Puer abscondebatur in stabulo et agnoscebatur in coelo, ut agnitus in coelo manifestaretur in stabulo. (2)

Demum Herodes non vixit biennio post Nativitatem J. C.; Magi autem venerunt vivente Herode.

606. Narrationes: 1.ª curationis servi Centurionis apud Matth. et Luc. videntur contradictoriae, sicut etiam 2.ª sanationis caeci prope Jericho, et 3.ª historiae resurrectionis Domini, et 4.ª itineris mulierum ad sepulchrum secundum Matth., Marc. et Luc.

1.ª Matthaeus VIII, 5, scribit: «Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum.»: Lucas vero, VII, 3 de Centurione dicit: «Misit ad eum seniores, rogans eum ut veniret, et salvaret servum ejus.»

Nulla est hic contradictio, quia Centurio accesit ad Jesum non per se, sed per alios. Unde S. Augustinus ait: «Non solum dicere solemus, accessisse aliquem etiam antequam perveniat illuc quod dicitur accessisse: unde etiam dicimus parum accessit, vel multum accesit eo quo appetit pervenire, verum etiam ipsam perventionem cujus adipiscendi causa accedit, dicimus plerumque factam etsi eum, ad quem pervenit, non videat ille, qui pervenit, cum per amicum pervenit ad aliquem, cujus ei favor est necessarius... Non ergo absurde Matthaeus, etiam quod vulgo possit intelligi per alios facto accessu Centurionis ad Dominum, compendio dicere voluit: Accessit ad eum Centurio.» (3)

2.ª Circa sanationem caeci vel caecorum in Jericho, dicit Lucas, XVII, 35, Dominum sanasse caecum prope Jericho in

---

(1) *Hom. 7 in cap. 2 Matth.*

(2) *Serm. 2 de Epiphania.*=In hac materia cons. *Summ. S. Thom.*, 3. P. Quaes. 36, art. I et seqq.=P. Wouters, *Dilucid. In Concord. Evang.*, Cap. V, q. I et seqq.=Ubaldi, *Introd. in Sac. Scrip. Introd. Crit.* P. I., Sect. I, Cap. III, Thes, XVII.=Vigouroux, *Man. Bibli.*, Introd. al N. T., P. I, Cap. II, Art. III.

(3) Lib. II. *De Cons. Evang.* cap. 20.

accessu ad oppidum: Marcus, X, 46, asserit etiam prope Jericho sanatum fuisse caecum, sed in exitu; et demum Matthaeus dicit, XX, 30, ibi, in exitu, sanatos fuisse duos caecos: ¿quomodo Evangelistae concilientur?

Disputant interpretes, utrum de una vel de diversis sanationibus sermo sit.

Probalior opinio tenet duplicem fuisse sanationem, alteram in accessu, alteram in exitu; Matthaeum vero, propter rei similitudinem, utramque sine loci distinctione in unam contraxisse: non tamen affirmat, utrumque sanatum fuisse eodem in loco, sed ait; Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa. Et ecce duo caeci, sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret et clamaverunt... Et confestim viderunt, et secuti sunt eum.»

3.ª Matthaeus, XXVII, 62-66 dicit milites custodivisse sepulchrum; sed de hoc nihil omnino dicunt caeteri Evangelistae.

Sed ex hoc silentio, nihil infertur adversus narrationem Matthaei: nam nullus Evangelistarum sibi proposuit narrare omnia facta Christi, cum omnibus circumstantiis: unde quae unus narrat, alius saepe omittit. Dictum est enim, nullum ex Evangeliis esse biographiam Christi integram.

4.ª Quidam contradictionem invenire contendunt inter Matth, XXVIII, 1; Marc. XVI, 2 et Joann. XX, 1.: nam Matthaeus asserit, mulieres venisse ad sepulchrum *vespere sabbati, quae lucescit in prima sabbati;* Marcus dicit eas venisse *orto jam sole* et secundum Joannem venerunt *cum adhuc tenebrae essent.*»

Sed facillime conciliantur hae narrationes. Nam ut ait Billuart, «per vesperam sabbati intelligi ipsam noctem quae sequitur sabbatum: apud Hebraeos enim saepe tota nox vocatur vespera, et totus dies manes, ut Gen. I, «Factus est vespere et mane dies primus.» Sensus ergo Matthaei, qui alludit ad duplex sabbatum de quo supra, est; Vespera seu nocte sequente sabbatum, quae lucescit in prima sabbati seu prima die hebdomadae, conformiter ad textum Graecum, in quo sic legitur: «Tarde post sabbatum, ea die quae lucescit in primum sabbati.»

Ergo narratio Matthaei convenit cum Marco dicente mulieres venisse, *valde mane, orto jam sole;* sed cum adhuc tenebrae aliquae essent, ut dicit Joannes, et sic conciliantur tres Evangelistae.

607. *De conceptione supernaturali Jesu.* Juxta dogma catholicum, Jesus Christus *conceptus est de Spiritu Sancto, et natus de Maria Virgine.* Duae veritates in hoc dogmate distingui possunt; nempe, Christum conceptum esse non naturaliter, et ex virili semine, sed supernaturaliter ex virtute Spiritus Sancti. 2.ª Mariam virginem fuisse ante partum et in partu. Insuper, probabimus, Mariam semper virginem mansisse post partum.

Errores. 1.° veram Christi conceptionem supernaturalem negant, qui omnem realitatem conceptionis Christi rejiciunt, ut Marcionitae et Manichaei, qui negant Dei filium assumpsisse veram carnem, sed tantum phantasticam et apparentem, ita ut omnia quae dicuntur de conceptione, nativitate etc., Verbi non realiter sed apparenter contigerint. Valentinus, licet verum corpus Christum habuisse confiteretur, negabat tamen eum corpus illud assumpsisse ex B. Virgine, sed fuisse de coelo allatum. 2.° Cerinthus, teste S. Augustino. (1) docuit, Christum purum hominem fuisse. 3.° Ebion, haeresi Cerinthi addebat «Christum hominem esse, non ex Virgine, sed ex viro et foemina natum.

Contra 2.am veritatem, id est virginitatem Mariae, Jovinianus, quamvis agnoscat B. Mariam fuisse virginem in conceptu, dicebat tamen in partu fuisse corruptam. (2) Helvidius asseruit Matrem Christi post partum a Joseph fuisse carnaliter cognitam et alios genuisse filios. Rationalistae omnes, qui realem Christi existentiam admittunt, inter quos eminent Renan, Holtzman, Jacolliot etc., affirmant, Christum, modo communi et naturali sicut et caeteros homines, conceptum et natum fuisse ex Joseph et Maria: hanc vero postea alios filios habuisse. Fides vero inter christianos primorum saeculorum originem duxit ex enthusiasmo religioso et admiratione erga Christum, cujus naturalem conceptionem paulatim, ita extraordinariis circumstantiis adornarunt, ut efformarent *legendam* de conceptione supernaturali.

Supposita igitur contra Cerinthianos, Marcionitas et Manichaeos et Valentinianos, veritate et realitate humanitatis corporis Christi ejusque conceptionis, contra alios omnes ostendemus, 1.° Christum conceptum et natum fuisse ex Spiritu Sancto, ex Maria Virgine: 2.° Mariam semper virginem mansisse.

---

(1) *Lib. de Haeres.* Cap. 8 et S. Thom. *In cap. I. Matth.*
(2) Id. cap. 82.

Thesis 1.ª *Christus conceptus et natus est ex Spiritu Sancto ex Maria Virgine.*

Prob. Christus conceptus et natus est, vel ex adulterio Mariae, vel ex ejus concubitu cum Joseph, vel supernaturaliter ex Spiritu Sancto; atqui; 1.° *non ex adulterio Mariae.* Adulterium revera fuisse inferunt quidam rationalistae ex his verbis Matth. I, 19: «Joseph autem vir ejus cum esset justus, et nollet eam traducere: voluit occulte dimittere eam.» Sed si rationalistae fidem adhibent his verbis Evangelii, eam denegare non debent sequentibus verbis ipsius Evangelistae, v. 20: «Haec autem eo cogitante, ecce Angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Joseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu Sancto est.»

Praeterea, Mater Christi, ante matrimonium cum Joseph votum virginitatis emiserat; Angelo enim respondit: «Quomodo fiet istud quoniam virum non cognosco?» Ex quibus verbis infert S. Augustinus:» Hoc profecto non diceret, nisi Deo virginem se ante vovisset.» (1) Billuart cum S. Thoma, haec verba «quoniam virum non cognosco» sic interpretatur: Quoniam virum cognoscere non possum; sicut dum abstemius dicit: Non bibo vinum, id est, bibere non possum; vel caecus; lumen caeli non video, id est videre non possum. (2)

2.° *Non ex concubitu carnali cum Joseph,* ut patet ex textu allato Mathaei I, 20.

Probatur ex vaticinio Isaiae, Cap. VII: «Ecce virgo concipiet, et pariet filium.»

Quod non est intelligendum de virgine, quae cum conceperit virginitatem amittat, sed de illa quae virgo permaneat. Et quidem, cum Isaias predixisset Achaz, Jerusalem liberandam esse ab obsidione Regum Syriae et Israel, in confirmationem hujus praedictionis, proponit hoc signum seu prodigium: «Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum. Ecce virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel,» (3) Neque dicas cum quibusdam Judaeis et rationalistis, vocem hebraicam *haalma* non designare *virginem*, sed *puellam adolescentulam*, sive virginem, sive non: nam juxta peritos in lingua hebraica, vox haec *Haalma* cum articulo emphatico *ha*,

(1) *Lib. de Sanct. Virginit.*, cap. IV.
(2) Billuart. *Tract. de Myst. Christi.* Dissert. I. Art. IV.
(3) Isa. VII, 14.

numquam usurpatur in Sacris Scripturis, nisi pro puella virgine. Praeterea Isaias annuntiat aliquid novum et singulare, seu portentum ingens et inauditum: si vero hic non agitur, nisi de puella quae amissa virginitate concipit et parit, ¿quid in eo novum et insolitum? Ergo Isaias loquitur de puella manente virgine. Unde Matthaeus, cap. II, ut ostendat Christum esse conceptum ex Spiritu Sancto, ait: «Hoc totum factum est ut adimpleretur quod dictum est a Domino per prophetam dicentem: Ecce virgo in utero habebit et pariet filium.»

Haec veritas constat ex Symbolis Apostolico et Constantinopolitano, et ex perpetua Ecclesiae traditione. (1)

Ergo Christus conceptus et natus est de Maria Virgine, modo quodam super naturali, nempe ex Spiritu Sacnto.

Thesis II. B. Virgo Maria, post partum semper virgo permansit.

Est contra Helvidium, qui impie asseruit B. Virginem post nativitatem Christi, a Joseph carnaliter cognitam fuisse, aliosque filios genuisse.

Prob. ex Ezech., XLIV, 2: «Porta haec clausa erit et non aperietur, et vir non transibit per eam, quia Dominus Deus Israel ingressus est per eam.» Quae verba sic interpretatur S. Augustinus: «Quid est porta in domo Domini clausa, nisi quod Maria semper erit intacta? Et quid est, homo non transibit per eam, nisi quod Joseph non cognoscet eam? Et quid est, Dominus solus intrat et egreditur per eam, nisi quod Spiritus Sanctus impraegnavit eam et angelorum Dominus nascetur per eam? Et quid est, clausa erit in aeternum, nisi quod Maria virgo est ante partum, est virgo in partu, et virgo post partum?» (2)

Et S. Hieronymus scribit: «Numquid Joseph, qui miracula tanta cognoverat, Dei templum, Spiritus Sancti sedem, Domini sui matrem audebat attingere?» (3) Demum S. Chrysost. scribit: «Quod consequens erat ac manifestum, tuo intellectui Evangelista reliquit, quoniam nec postea quidem eam, quae tali modo mater effecta est, ille justus ausus fuit attingere.» (4)

---

(1) Conf. *Summ. S. Thom.* 3. P. Quaest. 28 Art. 1 et 2.
(2) *Serm. 18 de Temp.*
(3) *Adv. Helvidium.* cap. 6.
(4) *In Cap. I. Matth.*

In synodo V generali dicitur: «Mariae virginitas ante partum, in partu et post partum interminabilis.»

Demum haec est universalis Ecclesiae catholicae traditio et fides.

Objectiones: 1.ª Vaticinium Isaiae non est ad rem; quia refertur non ad Mariam et Christtum, sed ad Achaz ejusque filium Ezechiam, vel ad ipsum Isaiam filiumque ejus.

Respondeo: Praedictum vaticinium non convenit Ezechiae; quia editum est jam regnante Achaz: nunc vero supponamus, Isaiam suum vaticinium edidisse primo anno regni Achaz, et manifeste apparet convenire non posse Ezechiae qui tunc novem annos aetatis habebat, ut constat ex 4 Reg. cap. 18.

Neque intelligi potest de uxore et filio Isaiae; nam filius primogenitus Isaiae jam natus erat: filius vero posterior qui paulo post in lucem editus est, non vocatur *Emmanuel*, sed *Accelera spolia detrahere*: *Festina praedari*, ut patet ex cap. VIII, 3.

Nullam aliam rationem addunt adversarii, nisi quod conceptio supernaturalis sit impossibilis, et non factum historicum sed legendarium.

Ad primum quod attinet incumbit obligatio probandi impossibilitatem ordinis supernaturalis, rationalistis.

Quoad secundum dicimus juxta regulas sanae criticae, aetate Christi, et magis adhuc posterioribus saeculis formationem *legendarum* fuisse omnino impossibilem, ut plures ex ipsis rationalistis fatentur.

2.ª Saltem Maria non fuit Virgo post partum. Nam ex S. Scriptura scimus Jesum habuisse alios fratres, ipsumque Jesum vocari primogenitum; ergo Maria alios filios genuit post Jesum, et idcirco non fuit virgo post partum.

Resp. in Sacra Scriptura vocari fratres Christi, ejus consaguineos, ut alibi dictum est. Ex eo vero quod Christus dicatur *primogenitus*, non infertur alios fratres habuisse: nam primogenitus, praesertim in Sacra Scriptura dicitur, qui primus natus est, quamvis post eum nullus alius nascatur. Unde secundum legem primogenitus debebat redimi, antequam alius nasceretur. (1)

(1) Cons. S. Hieronym. *adv. Helvidium*. cap. 5.=P. Wouters op. saep. cit. ait: «Item ad Heb. 1, 6, Christus vocatur primogenitus Dei Patris, et tamen non habuit Deus Pater plures filios.» *In Concor Evang.*, Cap. IV, Quaest. V.

3.ª Matth. I, 18, dicitur: «Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto»: et eodem cap. v. 25: «Et non cognovit eam donec peperit filium suum primogenitum.» Ergo post partum convenerunt, et Joseph Mariam carnaliter cognovit.

Juxta S. Hieronymum, vox *antequam*, non est ad designandum quid postea factum sit, sed quid factum non sit ostendit. Ut cum dicitur: Hic infirmus sanitatem accepit antequam eam peteret; non ex hoc infertur postea infirmum hanc sanitatem petiisse.

Quoad alium textum sic scribit S. Hieronymus: «*Donec*, in Scriptura dupliciter potest intelligi; quandoque enim designat, certum tempus, secundum illud Galat, 3: «*Propter transgressionem lex posita est, donec veniret semen cui promiserat.* Quandoque vero signat infinitus tempus, secundum illud Psalmi 122: *Oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.* Ex quo non est intelligendum, quod post impetratam misericordiam oculi avertantur a Deo... et secundum hoc Evangelista dicit matrem Dei non esse cognitam a viro usque ad partum: ut multo magis intelligamus cognitam non fuisse post partum.» (1)

Caput V

De Evangelio secundum Marcum.

PARS CRITICA.

608. Vita S. Marci. = 609. Probatur argumentis tum externis tum internis authentia hujus Evangelii. = 610. Ostenditur etiam omne caput ultimum esse authenticum, et rejiciuntur fundamenta adversariorum. = 611. Quo loco et tempore scriptum fuerit hoc Evangelium. = 612. Qua lingua et stylo. = Num codex Venetus sit autographus S. Marci. = 613. Brevis descriptio hujus Evangelii. = 614. Objectiones: 1.ª Hoc Evangelium aliis contradicit: nam juxta Marcum (VI, 8) Christus permisit discipulis portare virgam; sed teste Matthaeo (X, 10) Christus hoc prohibuit: 2.ª Marcus dicit (XVI, 2) mulieres venisse ad monumentum orto jam sole: Joannes autem ait (XX, 11) eas venisse cum adhuc tenebrae essent.

608. Marcus erat judaeus, et juxta aliquos, unus ex sep-

(1) *In Cap. I, Matth.*---Conf. etiam Card. Zigliara, *Propaedeut. ad Sac Theol.*, Lib. III, praesertim cap. XVI et XVII.--Utiliter etiam leges «*La conception surnaturelle de Jesus*» *Revue Biblique*, 1899, Avril.

tuaginta discipulis Domini: alii vero putant, Marcum conversum fuisse ad fidem ab Apostolis post Ascensionem. Nonnulli crediderunt, Marcum fuisse illum juvenem qui sequebatur Christum postquam eum apprehenderunt, quique relicta sindone nudus profugit a judaeis apprehensoribus. Juxta Card. Baronium, hic juvenis fuit S. Joannes Evangelista. Patres vocant Marcum *interpretem* Petri, vel quia hujus praedicationes scriptis consignabat, vel ex eo quod quae graece exponebantur a S. Petro, in latinum a Marco vertebantur. (1) Vocabatur Joannes Marcus, juxta S. Lucam, et erat consobrinus S. Barnabae et filius cujusdam mulieris Hierosolymitanae, nominis Mariae, in cujus domo tum discipuli Jesu, tum etiam Petrus saepe refugium invenerunt.

Circa epocham martyrii S. Jacobi minoris, exiit e Jerusalem, cum Paulo et Barnaba, eosque comitatus est usque ad Antiochiam et Cyprum: sed fortasse cum sentiret sibi vires deficere, ad omnia incommoda vitae apostolicae superanda, rediit in Jerusalem. Hac de causa noluit Paulos denuo secum afferre Marcum, non obstantibus hortationibus S. Barnabae. Ex hoc tempore Marcus apparet ut comes Petri et cum eo transiit Romam, et vocatur, non jam Joannes Marcus, sed tantum Marcus, quia latinizavit nomen sicut et fecit Paulus. Communiter supponunt scriptores exiisse e Roma simul cum Petro, ob decretum Claudii expulsionis omnium judaeorum, circa annum 49 J. C. Missus in Aegyptum, fundavit ecclesiam Alexandriae, quae sedes ob honorem principis Apostolorum, cujus Marcus fuit discipulus, Patriarchatu aucta fuit. Dum iterum Petrus Romae esset in vinculis, vocatus a Paulo redit Romam anno 66 J. C., et praesens adstitit martyrio Petri. Alexandriam reversus, attente vigilavit pro fide suae Ecclesiae, scripsit Liturgiam

(1) «Dubio procul dicitur a Patribus, ait P. Fernández, Petri *interpres*. cujus nominis vel officii non una est expositio. Videtur aliquibus significare quasi qui scripto excepit a *Petro* verbis prolata: aut *a secretis* vel etiam quia latine reddebat a Petro graece dicta. Verum haec postrema expositio, ni fallor, adversatur ipsi Scripturae, affirmanti Apostolos linguarum munere superne fuisse donatos. Si meam promere licet opinionem nomine «interpres» significatur negotiorum executor (encargado de negocios) et mandatorum. Ceterum nostra expositio nequaquam abhorret a lingua latina: quinino prima ejusdem significatio nostro sensu est accipienda, ut videre est apud Forcellini.» *Curs. Theol. Introd. in Sac. Script.*, Tract, I, Sect. IV, Cap. I.

suo nomine insignitam, et martyrio coronatus est probabiliter die 25 Aprilis anni 68 J. C.

Disputant interpretes num Joannes Marcus, socius Pauli, et Marcus discipulus Petri et auctor Evangelii, sint vel non una eademque persona. Veteres generatim identitatem personarum admittunt: inter illos ait S. Hieronymus: «Ceterum (Paulus) cooperatores Evangelii et vinculorum suorum, cum ad Philemonem epistolam scriberet, Marcum ponit, quem puto Evangelii conditorem.» (1)

Sed Baronius, Grotius, et inter recentiores Patrizi, Danko, Lamy et alii censent, Joannem Marcum socium Pauli, distinguendum esse a Marco discipulo Petri. Nam 1.° juxta Eusebium, Marcus Evangelista, Aegypto et Alexandriae fidem Christi annuntiavit primis Claudii annis, nempe anno 42 vel 43: et tamen his annis Joannes Marcus erat cum Paulo et Barnaba 2.° S. Hieronymus asserit Marcum anno 8 Neronis mortuum esse, id est, anno 61: et tamen 2.ª Epist. ad Tim., qua Paulus Marcum ad se vocat, scripta non est adhuc.

Quoad 1.um dicam innumeras esse opiniones de epocha missionis Marci in Aegyptum; nam juxta Chronicum Paschale, missus est anno 40: juxta S. Hieronymum, anno 42; juxta Chronicum Orientale anno 60. Ergo ex tam incertis notitiis chronologicis, nihil certo affirmari potest.

Quoad 2.um certum est juxta S. Hieronymum, Marcum mortuum esse anno 8 Neronis: sed Eusebius, qui ei praeluxerat non dicit Marcum mortuum esse anno 8 Neronis, sed tantum, Anianum successorem habuisse in Alexandrina Ecclesia regenda; potuit namque Marcus, post fundatam a se praedictam ecclesiam, administrationem ejus tradere Aniano, ut ipse ad alias apostolicas expeditiones proficisceretur.

609. Hoc evangelium esse Marci, probatur 1.ª *argumentis extrinsecis*. Papias scribit: «Ajebat enim presbyter ille (Joannes) Marcum, Petri interpretem, Christi dicta et facta, quorumcumque meminit, accurate quidem prescripsisse, non tamen ordine. Neque enim ipse Dominum audiverat, neque secutus erat illum, sed postea, ut dixi, Petrum qui pro (audientium) necessitate doctrinam tradidit, minime vero, ut sermonum Domini seriem completam contexeret. Quare nullo modo peccavit Marcus, qui

(1) *Ad Philem.* 24.

nonnulla ita scripsit prout eorum recordatus est. Ad id unum attente invigilavit, ne quid eorum, quae audierat, praetermitteret neve in his falleret.» (1)

Renan, Strauss et ali putant hic Papiam loqui de alio opere Marci; nam Papias asserit Marcum scripsisse *sine ordine;* actuale vero Evangelium Marci ordinate scriptum est.

Dicendum est, Papiam non dicere Marcum scripsisse *omne* opus suum *sine ullo ordine*, sed tantum *nonnulla*. Et haec descriptio optime convenit Marci Evangelio, quod etiamsi generatim ordinem chronologicum servet, tamen in quibusdam ab hoc ordine discedit.

Pro authentia Evangelii S. Marci, militant etiam alia Patrum testimonia.

S. Irenaeus ait: «Post vero horum excessum, discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro audierat, per scripta nobis tradidit.» (2)

Origenes: «Secundum fuisse accepimus Evangelium Marci, qui prout Petrus ipsi exposuerat in litteras retulit.» (3)

Tertulianus: «Evangelium quod Marcus edidit, Petri affirmatur, cujus interpres Marcus.» (4)

S. Clemens Alex: «Cum Petrus in urbe Roma verbum Dei publice praedicasset et Spiritu S. afflatus Evangelium promulgasset, multi, qui aderant, Marcum, utpote qui Petrum jam dudum sectatus esset et dicta ejus memoria teneret, exhortati sunt, ut quae ab Apostolo praedicata erant, conscriberet. Marcus igitur Evangelium composuit illisque, qui illud ab ipso petierant, impertiit. Quod cum Petrus comperisset, nec prohibuit omnino rem fieri, nec ut fieret incitavit.» Idem testimonium Eusebius suis verbis refert: sed ad finem dicit: «Quod cum Petrus per revelationem Spiritus S. comperisset, delectatus ardenti hominum studio, librum illum auctoritate sua approbasse dicitur, ut deinceps in ecclesiis legeretur » Sed juxta De Wette hic contradictio datur: hoc tamen est falsum; nam Petrus, in principio, Evangelium Marci, saltem *palam* nec vetuit nec laudavit; sed postea cognita Dei voluntate illud approbavit.

S. Justinus mentionem facit quatuor Evangeliorum quae

(1) Apud Cornely, *De Evang S. Marc.*, Quaest. II.
(2) *C. haer.* III. 1.
(3) Origenes. *in Matth. apud Eus.*
(4) *Cont. Marc.* IV, 5.

commentaria vocat, et affirmat J. C. imposuisse filiis Zebedaei nomen Boanerges; quod quidem tantum narratur in Evangelio Marci, seu ut dicit ipse S. Justinus «*in commentariis Petri.*»

Authentia hujus Evangelii, probatur etiam *argumentis intrinsecis.*

Auctorem fuisse judaeum, probant plures hebraismi, et allegationes syrochaldaicae, et notitia quam habet de moribus judaicis. Fuisse coaevum apostolis patefaciunt ipsius narrationes cum minutis etiam circumstantiis temporis, loci, personarum; ut cum dicit (X, 46) caecum Jericho fuisse Bartimaeum filium Timaei; et (XV, 21) Simonem Cyrenaeum patrem fuisse Alexandri et Rufi, etc.

Auctor adictissimus fuit Petro; nam plura refert de Petro quae ab aliis Evangelistis omissa vel quasi per transenam dicta fuerant: et ut observat S. Joann, Chrysost. non omittit illa facta quae ad exercendam humilitatem a Principe Apostolorum optima erant; ut cum ei Dominus dicit: «Vade retro Satana»; cum somno correptus est in horto Olivarum; cum ter Dominum negavit: de privilegiis vero a Domino Petro concessis, Marcus fere omnino silet. Unde S. Joann. Chrysost. ait: «Non solum magistri delictum non occultavit sed exquisitius etiam quam caeteri conscripsit. Hoc ab ipso magistro Petro didicerat; discipulus enim Petri fuit.» (1)

Demum auctor scribit pro gentilibus: et idcirco, numquam loquitur de Lege: neque de prophetiis Veteris Testamenti: omittit genealogias; Salvatorem proponit non ut Messiam, sed ut regem universalem mundi; neque eum vocat Filium David, sed Filium Hominis, vel Dei.

Hi omnes characteres intrinseci optime conveniunt auctori hujus Evangelii, nempe Marco.

610. *Integritas.* Quidam negant authentiam cap, XVI, hujus Evangelii a vers. 9 ad 20, his rationibus fulti: 1.ª praedicti versus non inveniuntur in codicibus Vaticano et Sinaitico: 2.ª etiam desunt juxta Eusebium «in cunctis fere exemplaribus»; et S. Hieronymus asserit «omnibus Graecis libris paene deesse.» 3.ª quia stylus est distinctus a reliquo libri.

In primis, haec opinio damnata est a Concilio Trid. juxta quod, suscipere tenemur libros omnes ut divinitus inspiratos «cum omnibus suis partibus.»

(1) *In Matth. Hom. 85.*

Ad 1.um dicendum est, codices Vaticanum et Sinaiticum non esse nisi saeculi IV: jam vero, versiones multo antiquiores, ut Itala, Peschito, coptica, gotica, armenica, et aethiopica, praedictos versus continent. Praeterea in Codice Vaticano, ad finem nostri Evangelii, invenitur quoddam vacuum, quod in nullo alio observatur: id ipsum contingit in codice Sinaitico, eo quod, juxta Tischendorf, unus idemque fuerit qui in utroque codice finem Evangelii Marci scripsit. Neque improbabile est, quod hujusmodi codices deriventur ex exemplaribus, quae Eusebius conscripsit jussu Constantini. Eusebius vero, praedictos versus non admittebat. Quidam moderni, sic hanc rem explicant: Ecclesia Alexandrina, festum Paschatis celebrare incepit media nocte; reliquae autem ecclesiae, circa auroram: primae consuetudini favere videtur Matthaeus (XXVIII, 1); alteri vero Marcus (XVI, 9): quare ad aditum scrupulis praecludendum, Alexandrini praedictam Marci pericopen in coetibus paschalibus non legebant, et in lectionariis suis eam omiserunt; quae omissio postea in quosdam codices transiit.

Ad 2.um Plures antiquissimi Patres, autentiam praedictorum versorum agnoverunt. Papias, teste Eusebio, dicit Justum Barsabam venenum bibisse et ei non nocuisse, alludens ad vers. 18. cap. XVI. Tatianus, S. Irenaeus, S. Hippolytus, citant in suis operibus aliquem ex praedictis versibus. Inter Patres posteriores, solus S. Hieronymus excipitur, qui putavit narrationes Matthaei et Marci resurrectionis Christi esse contradictorias: sed tunc, ut ait Maldonatus, etiam rejicere deberemus ultimum caput Lucae et penultimum Joannis: major enim inter illos et Matthaeum, quam inter Matthaeum et Marcum apparet repugnantia. (1)

Ad 3.um dicimus cum peritis in lingua graeca, stylum totius Evangelii esse identicum.

611. Juxta omnes Patres, hoc Evangelium exaratum fuit Romae, rogantibus Romanis. Solus S. Joannes Chrysostomus, supposuit scriptum fuisse in Aegypto: sed ipse hanc quaestionem leviter tantum attingit, et fatetur non multum interesse scire ubi Evangelistae sua opera ediderint. Patres sequuntur moderni scriptores, adeo ut, quidam eorum dixerint Marcum suum Evangelium scripsisse latine. Quaedam indicia satis ostendunt,

(1) *In cap. XVI. Marc.*



BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA

Evangelium hoc scriptum fuisse pro Romanis, vel pro gentilibus: nam cap. XII, 42 aestimatur valor monetae hebraicae λεπτον (lepton) per comparationem ad *quadrantem* romanorum, non ad monetam *atticam* ut facit Josephus. Cap. XV, 30, dux centum militum dicitur more romanorum *centurio:* alio in loco, qui amputavit caput Joannis Baptistae vocatur *spiculator*. Explicat quaedam verba et mores hebraeorum, quia supponit ea ignota esse suis lectoribus; verba vero latina non explicat. Fere numquam allegat testimonia Veteris Testamenti; neque loquitur de Lege, neque de genealogiis, Christumque proponit, non ut filium David, sed ut filium Hominis vel Dei.

Quoad tempus, quidam rationalistae ut Renan, Wille et Wolkmar, docent Evangelium Marci scriptum fuisse multo ante Evangelium Matthaei.

Sed hoc falsum est: 1.° Quia Evangelica praedicatio incepit in Judaea; ibi fundatae sunt primae ecclesiae: ergo in Judaea, melius quam in quolibet alio loco, necessarium fuit Evangelium scribi. Ergo primum Evangelium scriptum non fuit Romae et pro Romanis, sed in Judaea et pro Judaeis.

2.° Quia si, ut ait Renan, Evangelium Matthaei compositum fuit anno 85, ¿quomodo intelligitur quod post destructionem templi et dispersionem judaeorum, scriberetur speciale Evangelium pro judaeis lingua hebraica: quod in illo agatur de *civitate sancta*, quod annuntietur futura destructio Jesusalem, quod reprehendantur vitia pharisaeorum?

3.° Quia omnes omnino Patres, nullo excepto, asserunt, primum Evangelium esse Evangelium Matthaei. Contra hanc universalem Ecclesiae traditionem nullum est argumentum quod praevalere possit.

Inter ipsos rationalistas, Baur nostram sententiam tuetur. Caeteri autem rationalistae, eatenus ita posterius et recens faciunt Evangelium Matthaei, ut facilius suos mytos et legendas explicare queant. (1)

Itaque Evangelium Marci scriptum fuit, anno 49 vel 50 in prima praedicatione S. Petri ad Romanos. Nam S. Paulus in sua Epistola ad Romanos, exarata anno 58, supponit hanc Eccclesiam magno vigore pollentem: unde quod S. Clemens Alex. dicit de enthusiasmo religioso Romanorum, cujus causa

(1) Vigouroux Man. Biblic. Introd. al N. T. Prelimin.

Marcus scripsit Evangelium, intelligi debet de prima Petri praedicatione. Aliquam difficultatem offert illud S. Irenaei: «Post autem horum (Petri et Pauli) exitum, Marcus discipulus et interpres Petri, et ipse quae a Petro aununtiata erant, per scripta nobis tradidit.» Nam vox *exitum*, potest significare vel *exitum e Roma*, vel *exitum e vita*; quare praedictum testimonium est dubiae significationis. Praeterea, cum paulo ante S. Irenaeus locutus fuerit de promulgatione Evangelii Matthaei, quidam praedicta verba S. Irenaei sic interpretantur:: «*Post autem hujus Evangelii exitum seu promulgationem.*

612. Justa omnes Patres, Evangelium Marci exaratum fuit graece: sufficiat testimonium S. Hieronymi: «De novo nunc loquar Testamento, quod graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthaeo, qui primus in judaea Evangelium Christi hebraicis litteris edidit.» (1)

Nonnulli putant, textum primigenium Evangelii Marci esse latinum: 1.° quia scriptum est pro Romanis, quorum communis lingua erat latina: 2.° quia Codex Venetus latine conscriptus, est autographus S. Marci.

Ad 1.um dico, linguam graecam, illa aetate, notissimam fuisse Romanis, saltem aliquamtulum eruditis, ut sine dubio erant Episcopi et sacerdotes quibus onus incumbebat Evangelium explicandi his qui graecum ignorarent.

Paulus suam Epistolam ad Romanos graece scripsit: hac eadem lingua josephus Flavius suum opus *De Bello Judaico* composuit, illudque Imperatori Vespasiano dicavit.

Ad 2.um Codex Venetus non est autographus S. Marci. Ex septem fasciculis quibus constabat, imperator Carolus IV, duos, nempe sextum et septimum donavit Cathedrali Pragensi anno 1354, et efformant Codicem Pragensem. Reliqui fasciculi servantur apud S. Marcum Venetiae, sed ita sunt multorum manibus attrectati, ut distingui nequeat, num characteres quibus exarati sunt, graeci sin an lattini. Ubaldi in hac re scribit: «Codex hujusmodi ita detritus est ut diu eruditi disputaverint graecene an latine conscriptus esset; verum post diligens examen a Montfanconio institutum latinum esse codicem omnes tenent. Eum autem cum codice Pragensi cujus pars est, nequaquam authographum esse Marci, sed exemplar latinae versionis ex

(1) Praef. in Evang.

eo potissimum apparet quod uterque codex extractus fuerit ex ampliori codice quatuor Evangeliorum Forojulii conservato ubi Evangelium Marci totum deest: id enim ex manu scriptoris, qualitate membranae aliisque criticis argumentis eruditi ostendunt. Cum autem hic codex latinam Evangeliorum versionem, et quidem ex Hieronymi recensione, complectatur (habet enim praefixam epistolam Hieronymi ad Damasum, et Hieronymianas correctiones exhibet) sequitur etiam Marci Evangelium ex eadem versione constare, ne dicamus ipsum beati Evangelistae autographum cum vulgaribus latinae editionis exemplaribus in unum volumen compactum et consutum fuisse. Ex quibus aliisque argumentis concludendum est codicem Venetum ad saeculum V pertinere.» (1)

Cornelius a Lapide censet, characteres hujus codicis esse graecos: nihil ergo certi, ex Codice Veneto, erui potest adversus nostram sententiam. Stylus nimis simplex est.

613. Hoc Evangelium continet XVI capita, et dividi potest in tres partes: 1.ª a cap. I, v. 1-13. Praedicatio et baptismum Joannis: Christus baptizatur et tentatur in deserto: 2.ª a cap. I, v. 14 ad cap. XIII, 37, vita publica Christi: a cap. XIV ad finem libri, passio, mors, resurrectio et apparitiones Christi; missio Apostolorum, et gloriosa Ascensio Domini in coelum.

614. Objectiones. 1.ª Hoc Evangelium aliis contradicit: nam juxta Marcum (VI, 8) Christus permisit discipulis portare virgam; sed juxta Matthaeum (X. 10) Christus hoc prohibuit.

Juxta quosdam interpretes, Matthaeus loquitur de virga *defensionis*, quae loco gladii gestabatur: Marcus autem de virga *viatoria*; hanc Dominus discipulus permisit, non vero illam. Sed melius Maldonatus dicit, Dominum discipulis unicam virgam, sicut unicam permisisse tunicam, non plures; praecipiens ita ne quid haberent praeter ea in praesentem usum necessaria. (2)

2.ª Marcus dicit (XVI, 2) mulieres venisse ad monumentum orto jam sole; Joannes ait (XX, 1) eas venisse cum adhuc tenebrae essent. ¿Nonne datur contradictio?

Resp. negative. Nam aoristus graecus ἀνατείλαντος, non significat tempus omnino perfectum; et ideo intelligi potest de

(1) *Introd. in Sac. Script. Introd. crit.* P. I. Sec. I, cap. II, Art. I.
(2) *In cap. X Matth.*

radiis solis, cum sol ex omni parte non est ortus, ita ut adhuc tenebrae sint: et ita conciliantur supra dicta Evangelii loca.

PARS EXEGETICA

615. Quis fuerit spiritus qui Jesum expulit in desertum. = 616. Exponatur hic locus, (III, 29): «Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in aeternum.» = 617. Expositio parabolae seminantis (IV, 3 et seqq.) = 618. Quomodo haec duo loca concilientur: (Marc. XV, 25) «Erat autem hora tertia et crucifixerunt eum»; et (Joann, XXIV, 14) «Erat autem Parasceve Paschae, hora quasi sexta, et dicit Judaeis: Ecce Rex vester.»

615. Spiritus qui Jesum expulit in desertum fuit Spiritus Sanctus, ut patet praesertim ex Luca (IV, 1): «Jesus autem plenus Spiritu Sancto, regressus est a Jordane, et agebatur a Spiritu (*nempe ab eodem Spiritu Sancto*) in desertum.» Haec est sententia, S. Joannis Chrys. (1), S. Hieronymi (2), Origenis, S. Gregorii etc.

Neque ulla est necessitas admittendi diabolum duxisse Jesum in desertum, ut ibi eum tentaret, nam poterat eum ubicumque tentare.

Cum dicitur Jesum ductum fuisse in desertum ut tentaretur a diabolo, non sic est intelligendum quasi Spiritus S. directe hoc intendisset, cum hoc sit illicitum; sed tantum intendit permittere tentationem; ut Christus triumpharet et ita discipulos suos contra omnes diabolicas tentationes suo exemplo muniret. (3)

616. Exponatur hic locus, (III, 29): «Qui autem blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in aeternum.»

Sensus non est, quod hujusmodi peccatum sit omnino irremissibile, sed quod fere numquam remittatur, ob perversam dispositionem peccatoris.

Hic sermo Domini est contra pharisaeos, qui viderant miracula a Christo facta in utilitatem hominum; agnoverant etiam vim harum gratiarum Spiritus Sancti, et tamen eam daemonibus tribuebant; ipsa lux veritatis excaecabat eos et indurabat cor eorum;

(1) *Hom. 13 in Matth.*
(2) *In cap. IV, Matth.*
(3) Wouters. *In. Concord. Evang.* Cap. VIII. Quaest. I.

et ita contumaces et blasphemi, videbatur nullum esse eis medium poenitendi: quare Dominus dixit, hoc peccatum nullam habituram esse remissionem in aeternum. Unde S. Augustinus per peccatum in Spiritum Sanctum, intelligebat impoenitentiam finalem, absque ulla spe misericordiam Dei obtinendi: sic interpretantur hunc locum, praeter S. Augustinum, (1) S. Athanasius et S. Thomas. (2)

617. Parabola seminantis sic se habet, (IV, 3 et seqq.) «Ecce exiit seminans ad seminandum. Et dum seminat, aliud cecidit circa viam, et venerunt volucres coeli, et comederunt illud. Aliud vero cecidit super petrosa, ubi non habuit terram multam: et statim exortum est, quoniam non habebat altitudinem terrae: et quando exortus est sol, exaestuavit: et eo quod non habebat radicem, exaruit. Et aliud cecidit in spinas, et ascenderunt spinae, et suffocaverunt illud, et fructum non dedit. Et aliud cecidit in terram bonam et dabat fructum ascendentem, et crescentem: et afferebat unum triginta, unum sexaginta et unum centum.»

En parabola seminantis, quam Dominus ipse exponere dignatus est hoc modo: «Qui seminat, verbum seminat» *id est verbum Dei.* «Hi autem sunt qui circa viam, ubi seminatur verbum *Dei*, et cum audierint venit Satanas, et aufert verbum, quod seminatum est in cordibus eorum.» *Id est Satanas vel Satan, vox hebraica, quae significat hostem, inimicum per antonomasiam, aufert verbum Dei ab iis qui illud intelligere noluerunt* (de los que no pararon su atención en la palabra de Dios.)

«Et hi sunt similiter, qui super petrosa seminantur: qui cum audierint verbum, statim cum gaudio accipiunt illud: et non habent radicem in se, et temporales sunt» *id est, parvae durationis:* deinde orta tribulatione et persecutione propter verbum *(Dei)* confestim scandalizantur.» *Tales sunt non modo christiani qui timore martyrii Christum negant sed hi etiam qui propter aliquod leve incommodum praecepta Dei et Ecclesiae servare non curant. ¡Quot sunt nostris temporibus christiani hujusmodi!*

«Et alii sunt, qui in spinis seminantur: hi sunt, qui verbum audiunt, et aerumnae saeculi, et deceptio divitiarum, et circa reliqua concupiscentiae introeuntes suffocant verbum, et sine fructu efficitur.» *Hi sunt omnes illi quibus divitiae, honores et alia bona hujus mundi non sunt vanitas vanitatum, sed potius unica et finalis felicitas.*

(1) *De Verb. Dom. Serm.*, 11.
(2) *Summ. Theol.*. 2 2. Quest., XIII.

«Et hi sunt, qui super terram bonam seminati sunt, qui audiunt verbum, et suscipiunt, et fructificant, unum triginta, unum sexaginta, et unum centum.»

S. Hieronymus hos tres fructus comparat statibus matrimonii, virginitatis et viduitatis. S. Augustinus tribuit fructum *quasi triginta* his qui matrimonio conjuncti sunt: *quasi sexaginta,* sanctis Virginibus: et *quasi centum* sanctis Martyribus.

618. Quomodo haec duo loca concilientur, (Marc. XV, 25) «Erat autem hora tertia et crucifixerunt eum;» et (Joann. XIX, 14): «Erat autem Parasceve Paschae, hora quasi sexta, et dicit Judaeis: Ecce Rex vester.» Si Christus *hora sexta,* erat adhuc in domo Pilati, ¿quomodo crucifigi potuit *hora tertia*?

A quibusdam sic conciliantur haec loca: Marcus numerat horas more Romanorum: Joannes autem more judaeorum: et ideo juxta Marcum Jesus crucifixus est hora tertia vespertina (á las tres de la tarde); et juxta Joannem, Pilatus adduxit foras Jesum, quasi hora sexta, nempe hora undecima vel duodecima matutina. (1) Juxta alios e contra Marcus numerat horas more Judaeorum: nam dicit Jesum expirasse *hora nona:* Joannes autem horas numerat, sicut et nos, nempe more Romanorum: ita juxta Joannem Pilatus exposuit Jesum populo hora sexta matutina; et juxta Marcum Jesus expiravit hora tertia vespertina: et sic, jam dici non potest Jesum prius crucifixum fuisse quam damnatum. Tamen no videtur verosimile quod Pilatus sederet pro tribuaali *hora sexta matutina:* et talis suppositio adversatur contextui utriusque Evangelii.

(1) Ilmus. P. Phil. Scio, in versione hispanica Bibliae, sic scribit: «*Erat autem hora tertia*; esto es, *hora tertia desinens, et incipiens sexta*. S. Juan escribe que Jesucristo fué condenado cerca de la hora de sexta del dia; y aquí S. Marcos dice que le crucificaron en la hora de tercia. Los hebreos dividian el dia, y lo mismo la noche, en cuatro partes, de tres horas cada una, y ordinariamente daban el nombre de hora prima á la primera de estas cuatro partes: porque esta comenzaba á la primera hora, y la de tercia á la segunda de dichas cuatro partes, por cuanto comenzaba después de la tercera hora, etc. Y según este modo de contar, la hora de tercia de S. Marcos es la misma que la de sexta de S. Juan» Sed sapientissimus auctor non solvit difficultatem: semper enim apparebit Jesum prius crucifixum esse quam populo praesentatum a Pilato.

Caput VI

De Evangelio secundum Lucam.

PARS CRITICA

619. Biographia hujus Evangelistae. = 620. Quid dicendum de imaginibus Salvatoris et B. M. Virginis a S. Luca depictis. = 621. Ostenditur argumentis tum internis tum externis authentia hujus Evangelii. = 622. Probatur speciatim authentia duorum priorum capitum, et rejiciuntur fundamenta adversariorum. = 623. Num authentica sit etiam pars deuterocanonica hujus libri. = 624. Fontes ex quibus S. Lucas hausit notitiam plurium de quibus in ejus Evangelio fit mentio. = 625. Occasio et scopus hujus Evangelii. Contradictio Renan. = 626. Quo loco et tempore fuerit scriptum. Falsa opinio Renan rejicitur. = 627. Materia contenta. = 628. Lingua et stylus. = 629. Quid dicendum de sententia quorumdam rationalistarum asserentium S. Lucam fuisse ebionitam. = 630. Alii libri Lucae adscripti.

619. S. Lucas dictus etiam primis temporibus Lucanus, Lucius et Lucas, natus est Antiochiae Syriae: arte medicus fuit. Conversus ad fidem Christi ab Apostolo Paulo (non enim fuit ex 72 discipulis, neque Dominum vidit in carne ut constat ex S. Hieronymo et Can. Muratorii), ei se socium adjunxit Troade et cum eo peragravit Macedoniam aliasque regiones, et demum in Roman comitatus est, ibique commoratus est usque ad mortem sui magistri: hic Lucam in suis scriptis vocabat *charissimum*. Post mortem Pauli, praedicavit, teste S. Epiphanio in Italia, Gallia, Dalmatia et Macedonia, ex juxta Metaphrastum, transiens in Aegyptum annuntiavit etiam Evangelium in Lybia et Thebaida. Dicitur etiam consecrasse Anilium vel Alippium tertium Alexandriae episcopum. Cum esset octogenarius, ex oliva silvestri suspensus martyrium subiit, in Achaja juxta S. Hieronymum, (1) in Bithynia juxta S. Isidorum. (2)

620. Nicephorus et Metaphrasta affirmant, S. Lucam fuisse pictorem, aliquasque imagines Salvatoris et B. M. Virginis pinxisse: hanc opinionem sequuntur Baronius, Toletus, Belarminus, et alii contra Calmet, Tillemont et plures alios. Primi fortasse aequivocatione laborant ex eo quod saeculo XI exstiterit quidam pictor florentinus, dictus Lucas tam sanctitate quam

(1) *De viris illusl.* 18.
(2) *De vir. et obitu Patr.* 82.

arte clarissimus: numquam enim suo labori operam dabat, nisi prius Sacra Communione reficeretur, neque ullum stipendium pro suo labore accipiebat.

Praeterea apostolus nullam de hac qualitate mentionem facit, sicut de alia fecerat dicens Lucam fuisse medicum. Etiam Patres Nicephoro et Metaphrasti anteriores omnino silent. Sed potissimum argumentum suppeditat Concilium II Nicaenum ubi damnati sunt adversarii imaginum. Ibi enim Patres et Theologi, omnia possibilia argumenta adduxerunt in favorem cultus imaginum, nemo autem ullum verbum dixit de imaginibus Salvatoris et B. M. Virginis a Luca depictis, non excepto ipso Antiochiae Patriarcha qui aderat: et tamen, juxta Nicephorum in Ecclesia Antiochiae servabatur quaedam imago SSmae. Virginis a Luca daepicta, quae postea in Constantinopolim translata est. (1)

Quod certo potest affirmari est, Lucam fuisse medicum et hominem eruditum: loquitur magis accurate, majorique proprietate de infirmitatibus quas Christus curavit, adhibendo terminologiam propriam scientiae medicae in illa epocha. In historia scribenda servat formam historicorum graecorum et Romanorum, praefixa nuncupatione libri Theophilo. Iste Theophilus vel fuit aliquis homo illustris sed christianus Romae aut ex Achaja, vel est persona ficticia quae omnes christianos repraesentat ut dicit S. Ambrosius.

621 *Authentia* hujus Evangelii probatur 1.° argumentis *externis*. Patres Apostolici citant in suis operibus diversa loca Lucae: sic S. Clemens Rom. scribit (2): «Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est.»; quae verba desumpta sunt ad litteram ex Luc. XVI, 10. Sequentia verba S. Ignatii Mart. Apprehendite et palpate me et videte, quod non sum spiritus incorporeus» fere eadem sunt ac ea quae leguntur Luc. XXIV, 39.

S. Justinus Mart. agens de institutione Eucharistiae, allegat illa verba: «Hoc facite in meam commemorationem» quae non nisi apud Lucam et Paulum leguntur.

Inter haereticos 1, et 2, saeculi Basilides, Valentinus, Theodotus, Heracleon et Marcion, Evangelium Lucae admiserunt,

(1) Perujo. *Diccion. de Cienc. Eclesiast.* Tom. 6. pag. 507.

(2) *Epis. 2 ad Cor.*

quamvis Marcion ipsum truncaverit, ut testantur S. Irenaeus, Tertullianus et S. Epiphanius.

Celsus, teste Origene (1) asseruit «nimis insolenter egisse eos qui Jesu genealogiam texuerunt, cum illum a primo homine Judaeorumque regibus oriundum dicerent.» Jam vero solus Lucas Christi genealogiam ad Adamum usque perduxit.

Posterioribus saeculis, omnes omnino Patres authentiam hujus Evangelii agnoverunt: ne longius quam par est procedam, adducam aliquod testimonium pro diversis ecclesiis. In Ecclesia Romana, legimus in fragmento Muratorii, saeculi II: «Tertium Evangelii librum secundo (secundum) Lucam. Lucas iste medicus, post ascensum Christi, cum eo (eum) Paulus quasi juris studiosum secundum (secum) adsumsisset numine (nomine) suo ex opinione concriset (conscripsit); Dominum tamen nec ipse vidit in carne, et idem prout assequi potuit. Ita et a nativitate Joannis incipet (incipit) dicere.»

Ecclesiae Africanae testis est Tertullianus qui Marcionem arguit eo quod truncaverit Evangelium Lucae. Demum ex Ecclesia Alexandrina habemus testimonium Origenis asserentis «tertium Evangelium esse Lucae, quod a Paulo commendatum sit, in gratiam gentilium conscriptum.» (2)

Hanc eamdem veritatem confirmant versiones vestutissimae ut Itala, Syriaca et reliquae omnes.

Adversarii dicunt, Papiam, qui de aliis Evangeliis loquitur, de nostro Evangelio nihil dixisse: sed ex silentio Papiae nihil infertur, cum tale argumentum sit mere negativum. Praeterea, pauca admodum fragmenta operum Papiae ad nos usque pervenerunt; unde nescimus utrum in fragmentis deperditis ageretur de Evangelio Lucae.

Probatur 2.° authentia hujus Evangelii argumentis *internis*. Nam characteres interni libri, optime conveniunt Lucae: et quidem, ex ipsa forma qua haec historia scripta est, ex modo quo de infirmitatibus corporalibus, terminis scientificis loquitur, sponte fluit, auctorem hujus libri fuisse hominem eruditum, et insuper medicum, qualis fuit Lucas. (3)

Ex libro ipso apparet, auctorem nostri libri fuisse discipulum S. Pauli. Nam Lucas sicut et Apostolus saepissime comme-

(1 *Contr. Celsum* II. 32.
(2) *In Matth.*tom. I.
(3) Conf. Vigouroux. *Man. Biblic. Introd. al N. T.* Prelim.

morat necessitatem et efficaciam fidei, universalitatem redemptionis, et meritum eleemosynae et paupertatis Evangelicae. Narratio de institutione Eucharistiae fere eadem est ac illa Pauli in I ad Corinthios. Illa verba: «Hoc facite in meam commemorationem», tantum apud Paulum et Lucam inveniuntur. Demum ita ejus modus narrandi assimilatur scriptis Pauli, sicut modus narrandi Marci similis est scriptis Petri. Nunc vero scimus, Lucam fuisse discipulum Pauli.

Demum quaedam sunt in hoc Evangelio, quae satis ostendunt, ipsum scriptum fuisse pro gentilibus, ad eis communicandam spem aeternae salvationis, et sic vocandum eos ad fidem Christi. Hac de causa, Christum proponit non ut Messiam aut regem temporalem Judaeorum, sed ul Salvatorem generis humani. Pluribus in locis loquitur de misericordia Christi erga gentiles et peccatores; ex. gr.; cum aeternam salutem promittit Zachaeo et bono latroni; cum veniam concedit filio prodigo, et mulieri peccatrici: cum praefert publicanum pharisaeo, samaritanum sacerdoti et levitae; cum proponit parabolas ovis perditae, drachmatis, arboris ficulneae; conversionem latronis crucifixi, et centurionis in morte Salvatoris. Mentionem facit de imperio et magistratuum cum debito honore. Curat gentibus non tribuere mortem Salvatoris etc. etc.; quae omnia optime conveniunt Lucae qui pro gentibus, id est, pro graecis scripsit.

622. Joannes Bodinus Calvinista docuit duo priora capita hujus Evangelii non esse S. Lucae: Baur et schola Tubingensis affirmant, verum tertium Evangelium esse Evangelium Marcionis, cui desunt duo priora capita. Eorum argumenta postea adducemus et refutabimus, ut prius ostendamus positive authentiam horum capitum.

Et quidem, in omnibus antiquissimis versionibus et codicibus, haec duo capita inveniuntur. Etiam in Fragm. Muratorii legitur: «ideo a nativitate Joannis incipit dicere.»

S. Irenaeus scribit: «Lucas... de Zacharia et Elisabeth, ex quibus secundum repromissionem Dei Joannes natus est, referens ait etc.» (1) Hoc vero testimonium sicut et praecedens respiciunt cap. I, Lucae.

S. Justinus, Tertullianus et S. Epiphanius arguunt Marcionem eo quod truncaverit Evangelium Lucae. Et demum, ut su-

(1) *C. haer. III, 10.*

pra diximus, etiam Celsus haec duo capita ut authentica habuit.

Nunc breviter proponam ac rejiciam adversariorum argumenta.

1.um Duobus primis capitibus plura miracula narrantur: ergo rejicienda sunt.

Nego conseq, et consequentiam, donec rationalistae probent miracula esse impossibilia.

2.um Duo priora capita hebraismis scatent quod non contingit in caeteris capitibus Evangelii.

Resp. mirum non esse quod duo priora capita hebraismis scateant, quia ibi quaedam cantica, ut «*Magnificat*» et *Benedictus* continentur, quae hebraice dicta seu pronuntiata sunt, et ideo suam specialem physiognomiam seu saporem hebraicum retinuerunt etiam in versione graeca facta a S. Luca. Haec difficultas ex eorum tantum ignorantia procedit, qui nesciunt quam difficilis sit fidelis translatio seu versio, praesertim cum agitur de linguis ad diversam familiam pertinentibus, ut sunt hebraica et graeca.

3.um Quia ex his verbis Act. Apost. I, 1; «Primum quidem sermonem feci de omnibus o Theophile, quae coepit Jesus facere et docere» infertur Lucam incepisse suum Evangelium a vita publica Jesu, seu a capite tertio.

Resp. Eodem Jure ac Bodinus infert praedictam consequentiam ex primo vers. Cap. I. Act. Apost, nos quoque, ex vers. 2 et 3 cap. I. Evangelii «Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis, Visum est et mihi, *assecuto omnia a principio diligenter*, tibi scribere» deducimus Lucam sibi proposuisse historiam Salvatoris conscribere *ab initio* suae mortalis vitae.

4.um Quia haec duo capita non inveniuntur in Evangelio Marcionis.

Resp. haec mirum non esse, cum Marcion abraserit haec duo capita, cum conciliari non possint cum suis erroribus de Christo innascibili, impassibili et immortali. (1)

(1) Ad rem Vigouroux: «Verdad es que Marcion rechazaba del Evangelio de S. Lucas esos primeros capítulos, como se lo echan en cara S. Justino, Tertuliano y S. Epifanio: pero; cómo era posible que los admitiera, quien negaba la Encarnación, no quería por Cristo más que un puro Eón, incapaz de sufrir, de morir y de nacer por consiguiente; sin parientes, sin precursor, y no teniendo de humano más que una apariencia fantástica?» Op. et loc. sup. cit.

623. A quibusdam etiam dubitatur de authentia illius loci ubi agitur de sudore sanguineo Christi in horto, et apparitione Angeli qui venerat ad Christum confortandum. (XXII, 43-47)

Nam hic locus deest in codicibus Alexandrino et Vaticano: S. Hilarius et S. Ambrosius omnino silent in suis Commentariis in Evangelium Lucae: et S. Hieronymus ait, praedictos versus legi «in *quibusdam* exemplaribus tam graecis quam latinis.»

Tamen contraria sententia nunc est de fide, cum ex Conc. Trid. teneamur admittere ut divinitus inspiratos et canonicos libros omnes Sacrae Scripturae *cum omnibus suis partibus*. Praeterea in codice Sinaitico aliisque fere omnibus, sicut et in vetustissimis versionibus praedicti versus reperiuntur. Haec est etiam communis sententia Patrum; inter alios enim S. Augustinus ait: «Dixit sane (Lucas) quod isti tacuerunt, et orantem ab Angelo confortatum, et prolixius orantis sudorem fuisse sanguinem, et guttas decurrentes in terram.» (1)

Et S. Hieronymus scribit. «Tam vehementer Salvator orabat, ut guttae sanguinis prorumperent.» (2) Et demum S. Joann. Chrysot. dicit Christum emisisse sudorem sanguineum, ne haeretici dicerent quod tristitiam simulaverit. (3)

Quidam dicunt, hujusmodi sudorem sanguineum esse naturaliter impossibilem.

In primis, nullum est inconveniens in hoc quod admittamus illum sudorem fuisse miraculosum: sed nulla est necessitas ad hoc extremum confugiendi; nam Calmet testimoniis plurium medicorum ostendit, talem sudorem esse naturaliter possibilem (4); demum refert Maldonatus, quod Parisiis homo bene valens et robustus, audita contra se mortis sententia, sudore sanguineo fuerit perfusus. (5)

Causa ergo, qua in pluribus codicibus et exemplaribus antiquis, praedicti versus omitterentur, fuit, ut dicit S. Epiphanius, ne fideles, adhuc non bene in fidem radicati, Christum ita turbatum videntes, de ejus divinitate dubitarent.

624. Fontes ex quibus S. Lucas hausit notitiam plurium de quibus in ejus Evangelio fit mentio, sunt in primis Evangelia

(1) *De Cons. Evang.* Lib. III, cap. 4.
(2) *Lib. 2 adv. Pelagianos.*
(3) *Hom. 64 in Matth.*
(4) *Comment. in Luc.*
(5) *In cap. 26 Matth.*

Matthaei et Marci quae jam scripta et divulgata erant: dein conversatio cum Apostolis Petro, Joanne et Barnaba, quibuscum non semel locutus est juxta librum Actuum: societas intima cum S Paulo quem secutus est fere in omnibus suis peregrinationibus. Praeterea S. Barnabas magnam semper habuit amicitiam cum Apostolis Petro, Joanne et Jacobo minori, unus ex fratribus seu cognatis Christi; cum autem S. Barnabas, longo spatio temporis fuerit comes S. Pauli, huic retulit ea omnia quae a praedictis Apostolis audierat: Paulus vero haec Lucae communicavit ut scriptis consignaret. Hinc quod S. Lucas narret Annuntiationem Incarnationis ab Angelo factam, cantica Zachariae et B. M. Virginis etc. Hinc etiam quod Tertullianus Evangelium Lucae tribuat Paulo; et quod ipse Paulus hac locutione utatur «secundum Evangelium meum» quamvis juxta Origenem, haec locutio tantum respiciat Epistolas Pauli.

625. Juxta illos omnes qui inter primos christianos supponunt existentiam duarum fractionum, nempe Petrinistarum seu judaizantium, et Paulinistarum seu universalistarum, Lucas scripsit suum Evangelium pro defendendis doctrinis Pauli, et contra Matthaeum qui judaizantium patrocinium susceperat.

Sed falsissimum est, talem divisionem inter Apostolos extitisse, nam omnes uno ore docebant Christum venisse pro omnibus hominibus et non pro judaeis tantum; unde apud Matth XXVIII, 19, legitur: «Euntes ergo, docete *omnes gentes:* et apud Marc. XVI, 15, «Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae.» Caeremoniae vero quaedam legales, ut circumcisio, servatae sunt ad tempus, non modo a Petro sed etiam a Paulo, ut ex Act. Apost. constat. Nulla ergo fuit divisio essentialis et dogmatica inter ipsos Apostolos.

Tantum neophyti ex judaismo, putabant Christum pro ipsis tantum venisse, caeremoniasque legales retinendas esse: et contra hos, Paulus et Lucas praedicabant universalitatem redemptionis et abrogationem caeremoniarum legalium: tamen debita prudentia usi sunt.

Inter ipsos rationalistas non datur concordia in hac re: nam juxta Renan, cum Lucas suum Evangelium scribebat, adhuc ignorabat existentiam Evangelii Matthaei: (1) tamen scriptor rationalista sibi ipsi contradicit; nam paulo ante dixerat Lucam magno

(1) *Evang.*, pág. 215, 217.

ingenio applicasse judaeis vocem ανομοι qua Matthaeus designat reprobos: ¿quomodo hoc Lucas perficere potuit, si adhuc ignorabat existentiam Evangelii Matthaei?

626. Nunc quaeritur, *quo loco et tempore* fuerit scriptum hoc Evangelium. Quoad locum diversae sunt opiniones: quidam enim putant hoc Evangelium exaratum Caesareae; alii in Bithynia: S. Hieronymus ait: «Lucas in Achajae Beaotiaeque partibus volumen condidit.» (1) «Forsitam, ait Caminero, scripsit primo Evangelium et magnam partem Actuum Apost., deinde postquam Romam venit alteram partem. Cum vero ibi non usque ad finem mansisset, sed annis 63-65 in Graecia esset; tum ecclesiis illis duo volumina tradidit, paucissimis adjectis circa statum rei christianae Romae biennio quo Paulus ibi detentus est.» (2)

Qui Romae scriptum censent hoc Evangelium, dicunt Theophilum cui liber dicatur, fuisse hominem illustrem Romanum, et incolam Urbis, cui Lucas videtur recordari praedicationem Pauli in primo biennio.

Videtur hunc librum scriptum fuisse inter gentes: dicit enim Lucas Herodem esse regem Palaestinae, quod non diceret si inter judaeos scripsisset; describit positionem geographicam Capharnaum, Nazareth, et civitatum etiam notabiliorum etc quae omnia inter gentiles scripta videntur.

Tamen contrarium probare videntur, quod loquatur de *itinere sabbati* quasi de re a suis lectoribus cognita; quod etiam loquatur de civitatibus parvis et oppidulis, extra Italiam positis, quin nihil dicat de eorum geographica positione. Igitur, ubi hoc Evangelium scriptum fuerit est res valde incerta.

Quoad *tempus*, certo scimus ex Act. Apost. I, 1, hunc librum Actuum, post Evangelium a Luca conscriptum fuisse. Cum autem liber Actuum, illo biennio quo Paulus Romae in vinculis fuit, abrupte terminetur, nihilque de ultimis annis Pauli referat, videtur scriptum fuisse illo ipso tempore: unde S. Hieronymus ait: «(Apostolorum) historia, usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est usque ad 4.um Neronis annum. Ex quo intelligitur in eodem urbe librum esse compositum.» (3) Si enim hoc tempore scriptum non fuit, sed post liberationem Pauli ex primis vinculis, vel post ejus mortem, qua ratione Lucas, sic abrupte

(1) *Prol. in Matth.*
(2) *Man. Isag.*, Sect. III, Cap. XLIII.
(3) *De vir. illus* 7.

terminat historiam quin nihil dicat de reliqua vita Apostoli, neque de ejus gloriosa morte? Nunc vero, biennium illud ann. 63 vel 64 terminatur: ergo magna cum probabilitate dici potest, Evangelium Lucae non fuisse scriptum post ann. 64: etiam fatendum est, non fuisse exaratum ante anno 52, cum Lucas hoc anno Paulo se socium adjunxerit; ergo tertium Evangelium inter annos 59 et 63 compositum fuisse valde probabile est

Renan asserit, hoc Evangelium scriptum fuisse, paulo post annum 70: nam cap. XXI, describitur excidium Hierosolymae cum minutis etiam circumstantiis: cum ergo prophetia admitti nequeat, fatendum est, praedictam descriptionem scriptam fuisse post eventum. (1)

Sed Caminero, sic respondit assertioni Renan, hoc argumento *ad hominem*. «Sicut ex vivida excissionis Jerusalem et sequentium calamitatum populi pictura a Luca facta (cap. XXI) colligit Renan *paulo post* has calamitates scriptum fuisse evangelium (licet hic nil probet, cum Dominus Jesus optime ea praeviderit et praedixerit); ita ex vivida et minutis circumstantiis ornata pictura navigationis Pauli, naufragii circa Melitam insulam, miraculorum quae ibi patravit Paulus, honoris et sollicitudinis incolarum pro Paulo et sociis, adventus Syracusas, Rhegiom, Puteolos, *ubi inventis fratribus rogati sunt manere apud eos septem diebus*, adventus deinde Romam, *ubi cum audissent fratres, occurrerunt illis usque ad Apii forum et Tres tabernas;* optime colligitur *non multo post* scripta fuisse omnia haec, forte in ipso itinere ac demum Romae. Cum igitur Actorum liber jam evangelium supponat, ipsum ante Pauli mortem, ideoque a fortiori ante 70.^{um} annum *certo* conscriptum est.» (2)

627. Argumentum generale hujus Evangelii sic proponit S. Augustinus: «Lucas circa sacerdotalem Domini stirpem atque personam magis occupatus apparet. Nam et ad ipsum David non regium stemma secutus ascendit, sed per eos qui reges non fuerunt, exit ad Nathan filium David, qui nec ipse rex fuit.» (3) Sed ad particularia descendentes, Evangelium Lucae dividi potest in tres partes: 1.ª a I ad II, ubi agitur de nativitate Joannis, Annuntiatione B. M. Virginis, nativitate Christi, ejus infantia atque genealogia; 2.ª a cap. III ad XXI, ubi de vita

(1) *Vid de Jes. Introd.*
(2) *Op. et loc. sup. cit.*
(3) *De Cons. Evang.*, 1, 2.

publica Christi, ejus praedicatione, miraculis etc; et 3.ª a cap. XXI ad XXIV, de passione, morte, resurrectione et ascensione Salvatoris.

628. Hoc Evangelium scriptum fuit juxta omnes lingua graeca. Stylus elegantior est quam caeterorum scriptorum N. Testamenti. Quandoque inveniuntur hebraismi, et etiam modus loquendi, linguam latinam sapiens.

629. Quidam adversarii hujus Evangelii affirmarunt, Lucam fuisse ebionitam. En signa ebionismi Lucae:

1.um Lucas, sicut et ebionitae, caeremoniarum legalium patrocinium suscepit; hinc quod loquatur de Circumcisione Jesu, de Purificatione Mariae, de annua peregrinatione in Jesusalem de requie servata a mulieribus quae ungere pergebant corpus Jesu etc.

Resp. aliquas ex his caeremoniis, servatas fuisse a S. Petro, S. Jacobo, et ab ipso S. Paulo qui circumcidit Timotheum, etiam post Ascensionem Domini, non quia hujusmodi caeremoniae putabantur necesariae, sed quia ea radicitus evellere adhuc prudentia non sinebat.

Praeterea rationalistae qui Lucam ut patronum caeremoniarum legalium habent, respondeant his rationalisti qui Paulum cum Luca, ut acerrimos hostes talium caeremoniarum tenent.

2.um S. Lucas ita favet pauperibus, ut eos *beatos* appellet. (VI, 20).

Resp. S. Lucam in compendium redegisse beatitudines Matthaei: ibi autem (V, 3) agitur de pauperibus *spiritu*.

3.um Approbat actionem administratoris infidelis, ut eruitur ex illis verbis «Et laudavit Dominus villicum iniquitatis.» (XVI, 8).

Resp. in primis, Dominum qui laudavit villicum, non esse Deum, sed Dominum ipsius villici. Praeterea non laudatur villicus propter iniquitatem, sed «quia prudenter fecisset», ut habet sacer textus. Scopus Christi in hac parabola fuit fideles hortari ut eleemosynis facerent sibi amicos inter pauperes, qui pro ipsis oraturi essent Deum.

4.um Iterum Lucas suum odium in divites ostendit, proponens parabolam de divite epulone (XVI, 19-36).

Resp. Nullum esse hominem sanae mentis, qui hujusmodi divites odio non prosequatur.



Resp. Quod ex praedictis verbis infertur est, Deum specialem habere providentiam Apostolorum et ministrorum suorum, et in his necessariam esse abnegationem et abdicationem bonorum hujus mundi, ut facilius et liberius vacare possint praedicationi Evangelicae.

630. Praeter libros Evangelii et Actuum, qui revera sunt S. Lucae tribuerunt ipsi aliqui auctores, versionem epistolae ad Hebraeos, et disputationem Jasonis et Papisci, de qua loquitur S. Hieronymus in lib. *de vir. illust.*

PARS EXEGETICA

631. S. Lucas recitatis his Christi verbis (XVIII, 32-33) «Tradetur enim Gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget», subjungit, «Et ipsi nihil horum intellexerunt»: ¿qua ratione fieri potuit, ut Apostoli verba adeo clarissima non intelligerent? = 632. Exponitur parabola filii prodigi. = 633. Quomodo intelligantur haec verba (XVIII, 12) «Jejuno bis in sabbato.» = 634. Num verba consecrationis calicis (XXII, 20) substantialiter differant a forma qua utuntur alii Evangelistae. = 635. An una eademque fuerit Maria, soror Lazari, et Magdalena, famosa peccatrix.

631. Super illa verba «Et ipsi nihil horum intellexerunt scribit Maldonatus: «Quod non ita intelligendum est, quasi Christi verba non intellexerint, quibus significaverat, se ad mortem progredi; sed ita, ut mortis ejus mysterium non comprehenderint, neque cognoverint, morte sua Christum salutem universo hominum generi allaturum, quaemadmodum prudenter D. Chrysostomus animadvertit. Si enim verba non intellexissent, neque mirati fuissent Christum euntem, neque mortis periculum timuissent, ut Marcus scribit.» (1)

632. Exponitur parabola filii prodigi. Cap. XV a v. 1 ad 9, Christus ut ostenderet pharisaeis quare peccatores reciperet, proponit parabolas ovis perditae, et drachmatis, et concludit dicens «quod ita gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis qui non indigent poenitentia.» Ad hoc vero melius confirmandum proposuit sequentem parabolam.

«*Homo quidam habuit duos filios.*» Omnes fatentur, hominem illum qui duos filios habuit, Deum significare, vel juxta S. Ambrosium, Christum ipsum.

Duo filii repraesentant, juxta S. Hieronymum et S. Augus-

(1) In Math. Cap. XX, 19.

tinum, duos populos judaicum et gentilem: sed ita ut populus judaicus repraesentetur a fllio primogenito, et gentilis a filio juniore. Sed haec interpretatio videtur non posse admitti; nam ¿quomodo populus judaicus dicere potuit «Ecce quot annis tibi servio, et praeceptum tuum numquam praeterivi?»

Juxta communiorem opinionem, per filium primogenitum intelliguntur omnes justi; per minorem vero, omnes peccatores sive judaei sive gentiles sint.

«*Et dixit adolescentior ex illis patri: Pater, da mihi portionem subtantiae, quae me contingit. Et divisit illis subtantiam.*» Pater divisit filiis haereditatem, vel potius soli juniori divisit. Aliquo modo videtur inverisimile, quod pater adhuc vivens, dividat bona sua filiis, maxime adolescentulis.

Tamen pater id facere poterat, quia nulla lege vetabatur; et praeterea parabola id postulabat. Haec haereditas repraesentat omnis generis bona a Deo homini concessa ad Dei servitium animaeque sanctificationem.

«*Et non post multos dies: congregatis omnibus, adolescentior filius peregre profectus est in regionem longinquam, et ibi disipavit substantiam suam vivendo luxuriose.*» Congregatis omnibus bonis, id est, in pecuniam redactis, profectus est in regionem ubi longe esset a parentibus, cognatis et amicis, ut sic cum omnimoda libertate, ad vitam perditionis animum applicasset. Quidam per regionem longinquam intelligunt idololatriam, idque aplicant Gentilibus; alii quidquid extra Ecclesiam est, ita ut paterna domus sit Ecclesia; alii oblivionem Dei, et separationem a Christo.

Substantia, quam disipavit, est Juxta S. Augustinum, liberum arbitrium et caeterae facultates naturales: ego adderem, *simul cum gratia sanctificante.*

Sed opponitur Maldonatus juxta quem, filius ille disipavit quod a patre petivit; jam vero liberum arbitrium non petivit, quia illud jam habebat; neque illud perdidit vivendo luxuriose; nam vera cum deliberatione dixit: «Surgam et ibo ad patrem meum» Meo tamen pauperrimo judicio sapientissimus Maldonatus, confundit humanum patrem, cum Patre Deo, et filium prodigum cum illo quem repraesentat. Itaque homo, accepit a Deo liberum arbitrium, omnes facultates naturales et gratiam sanctificantem, cum omnibus donis quae ipsam comitantur; sed abiit in regionem longinquam, id est peccavit, et peccando, disi-

pavit, seu amisit gratiam santificantem et dona supernaturalia, simulque amisit liberum arbitrium et facultates naturales ad recte agendum in ordine supernaturali.

«*Et postquam omnia consummasset, facta est fames valida in regione illa, et ipse coepit egere.*» Hujusmodi fames repraesentat, juxta S. Augustinum indigentiam verbi veritatis; et juxta S. Ambrosium sacramentorum privationem; juxta alios vacuitatem virtutum, quas vivendo luxuriose perdiderat.

Cum ergo filius prodigus omnia bona disipasset et esset pauper, nudus, longe a patre, ab amicis in aliena regione ignotus et peregrinus, necessitate et fame coactus «*Adhaesit uni civium regionis illius. Et misit illum in villam suam ut pasceret porcos. Et cupiebat implere ventrem suum de siliquis, quas porci manducabant; et nemo illi dabat.*» Quidam, ut Ambrosius putant, villam significare mundum, cum omnibus suis occasionibus peccandi: S. Augustinus censet villam repraesentare *modum potestatis diabolicae.*

Per porcos, juxta diversas opiniones intelliguntur daemones, vel carnales cupiditates vel etiam sensus. Illa verba «*Et cupiebat implere ventrem*» optime depingunt hominem miserum et famelicum, qui ventrem implere cupit de qualibet re. Quae hoc loco siliquae vocantur, sunt quas hispanice appellamus *algarrobas;* vel juxta alios, *bellotas, cáscaras,* ó *vainas de legumbres.* Diversi interpretes per siliquas intelligunt vel humanas et inanes scientias, vel voluptates, aut peccata ipsa, quibus peccator quo magis peccat magis exsatiari cupit, vel juxta Maldonatum, naturalia dona quibus satiari non poterat, amissis gratia Dei et omnibus donis spiritualibus et supernaturalibus.

«*In se autem reversus, dixit: Quanti mercenarii in domo patris mei abundant panibus, ego autem hic fame pereo.* Per mercenarios intelliguntur qui infimum gradum tenent in Domo Dei; unde sensus est, quot homines humilis conditionis, quot pauperes, quot mulierculae, qui in gratia Dei sunt, donis coelestibus abundant, et ego *filius,* ego sacerdos, ego Episcopus, ego homo doctus, per peccatum omnia similia dono amisi, et fame pereo.

Surgam. et ibo ad patrem meum, et dicam ei. Pater, peccavi in coelum et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus: fac me sicut unum de mercenariis tuis.» Hic habemus tres gradus poenitentiae quae nempe sunt detestatio et dolor de pe-

ccato commisso, oralis confessio peccatorum, et satisfactio pro peccato. *Surgam el ibo ad patrem meum*, surgam a misero statu peccati, et convertar ad Deum a quo per peccatum recessi; en detestatio et dolor de peccato. *Et dicam ei: Pater peccavi in coelum et coram te*, en oralis confessio peccati. *Jam non sum dignus vocari filius; tuus fac me sicut unum ex mercenarii tuis:* en acceptatio satisfactionis.

Et surgens venit ad patrem suum, quia ut ait Theophilactus: «Oportet non solum velle, quae Deo grata sunt, verum etiam facere.» Hoc exemplum etiam justis est utile, ut statim ac ipsis Deus aliquid bonum faciendum inspiret, re ipsa fiat. Ex praedictis verbis non licet inferre cum Pelagianis peccatorem posse suis viribus surgere, et ad Deum converti; contrarium enim eruitur ex verbis filii prodigi: «Fac me sicut unum de mercenariis tuis» quibus verbis fatetur se non solum in pristinam apud Deum gratiam, sed nec in mercenarii quidem locum redire posse, nisi Deus ipse id faciat.

Cum autem adhuc longe esset, vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est: et accurrens cecidit super collum ejus, et osculatus est eum.» His verbis declaratur larguissima et promptissima Dei misericordia erga peccatores, justa illud Psal. XXXI, 5 «Antequam clament, ego exaudiam: adhuc illis loquentibus ego audiam:» et sicut Christus dixerat Nathanaeli, (Joann. I, 48) «Priusquam te Philippus vocaret, cum esses sub ficu, vidi te.»

Dixit autem Pater ad servos suos: cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manum ejus, et calceamenta in pedes ejus: et adducite vitulum saginatum, et occidite, et manducemus et epulemur. Servi ad quos loquitur Pater, sunt ministri reconciliationis, id est ministri Sacramenti Poenitentiae; *stola prima* significat gratiam quae vi Sacramenti Poenitentiae obtinetur; caetera vero, ut annulum et calceamenta, sunt illa dona quae gratiam sanctificantem comitantur. Demum convivium illud repraesentat quod Christus sibi proposuerat in hac parabola, nempe, quod «majus gaudium erit in coelo super uno peccatore poenitentiam agente, quam super nonaginta novem justis, qui non indigent poenitentia.»

«*Quia hic filius meus mortuus erat, et revixit: perierat, et inventus est.*» Filius mortuus erat per peccatum ad vitam spiritualem gratiae, et perierat in viis iniquitatis; sed per poeniten-

tiam revixit et inventus est. Filius senior aegre tulit, quod Pater fecerat cum filio suo juniore, qui disipaverat omnia bona vivendo luxuriose. Juxta aliquos, frater senior repraesentat pharisaeos, qui publicanis invidebant, eo quod Christus eos specialibus signis amoris distingueret. ¿Sed pharisaei dicere potuerunt Christo: «Ecce tot annis servio tibi, et numquam mandatum tuum praeterivi?» Ergo haec interpretatio est rejicienda.

Si vero ille filius senior repraesentat justos, ¿quomodo peccatoribus poenitentibus possunt invidere? Ergo dicendum hanc partem ad parabolam non pertinere, nisi ut complementum narrationis, non vero ut pars necessaria ad rem per parabolam significatam. (1)

633. Quomodo intelligantur haec verba (XVIII, 12) «Jejuno bis in sabbato.»; videtur enim impossibile quod quis uno eodemque die bis jejunet.

Nomine *sabbati* intelligitur non modo unus ex diebus hebdomadae, sed etiam tota hebdomada, ut pluribus ex locis Sacrae Scripturae probatur, et sic nulla est difficultas.

634. Num verba consecrationis calicis (XXII, 20) substantialiter differant a forma qua utuntur alii Evangelistae.

Certum est praedicta verba materialiter differre ab his quibus utuntur Matth. XXVI, 28 et Marc. XIV, 24; sed non differunt quoad substantiam: nam in formula Lucae sícut et in aliis asseritur transubstantiatio, seu conversio substantiae vini in substantiam sanguinis D. N. J. Christi: nam Christus affirmat illum calicem esse, novum Testamentum, seu novum Foedus sua sanguine firmatum, sicut et vetus Testamentum firmatum fuerat sanguine ut dicit Apostolus (Hebr. IX, 18); ergo calix ille continebat sanguinem Christi qui pro hominibus fundendum erat et idcirco verba Lucae, vel potius Christi apud Lucam veram transubstantiationem significant.

635. An una eademque fuerit Maria, soror Lazari, et Magdalena famosa peccatrix.

De unctione Christi a muliere loquuntur quatuor Evangelistae: unde quidam putant, quatuor distinctas fuisse mulieres quae Christum unxerunt. Animadvertendum est, apud Lucam (VII, 37) mulierem ungentem vocari peccatricem.

Hoc supposito, quidam distinguunt inter mulierem peccatri-

(1) *Maldonatus, in cap. XV, Luc.*

cem et sororem Lazari, ut Eusebius Caes. qui tres asserit fuisse mulieres ungentes: duas nempe peccatrices, tertiam sororem Lazari non peccatricem. (1)

S. Chrysostomus ait: «Intelligendum est, non fuisse sororem Lazari meretricem illam, de qua apud Matthaeum et Lucam scribitur, sed aliam.... Illae meretrices infames erant, haec honesta et studiosa.» (2)

S. Hieronymus: «Nemo putet eamdem esse feminam, quae super caput effudit unguentum, et quae super pedes. Illa enim et lacrymis lavat, et crine tergit, manifeste meretrix appellatur: de hac autem nihil tale scriptum est.» (3)

S. Clemens. Rom.: «Quamquam non deerant (piae mulieres) inter nos; erat enim nobiscum Mater Domini, et sorores ejus; praeterea Maria Magdalena, et Maria Jacobi, et Martha et Maria sorores Lazari, et Salome, et quaedam aliae.» (4) Hic optime distinguitur Maria Magdalena a Maria sorore Lazari.

Praeterea, Maria soror Lazari erat ex Bethania, in Judaea; ergo non ex oppido Magdalel quod erat in Galilaea.

Demum, inter recentiores hanc tuentur sententiam, Calmet, Tillemont, Bergier et alli.

Fnndamenta opinionis asserentis Mariam Magdalenam et sororem Lazari non distingui haec sunt: S. Augustinus ait: «Ecce ipsa soror Lazari... melius suscitata est, quam frater ejus.» (5)

Orígenes loquens de Magdalena scribit: «Fortasse nescis an diligat te? Olim te diligebat, et a Pharisaeo te defendebat, a sorore tua diligenter te excusabat. Olim laudabat te, quando unguento pedes ejus ungebas, lacrymis rigabat, capillis tergebas, dolorem tuum mulcebat, peccata dimittebat... Ploret unusquisque ad Jesum, quaerat fideliter Jesum, quia non celavit se quaerenti peccatrici.» Ubi non distinguit inter mulierem peccatricem et sororem Lazari.

Id ipsum infertur ex his verbis S. Gregorii: «Dimissa sunt ei peccata multa. Quomodo autem fuerint dimissa, in hoc etiam monstratum est, quod postea est secutum, quia ad pedes Domini sedebat, et verbum ex ore illius audiebat; in contemplativa enim

(1) *Epist. ad Marinum.*
(2) *Hom. 61 in Joann.*
(3) *In cap. 26 Matth.*
(4) *Lib. III, Const. Apost.*, cap. 6.
(5) *Trac. 49 in Joann.*

vita suspensa, jam activam transcenderat, quam adhuc Martha illius soror tenebat.»

Hoc ipsum Ecclesiam sentire videtur: nam in festo B. M. Magdalenae, canit ad Magnificat: «Mulier quae erat in civitate peccatrix etc.» et in oratione ejusdem, precibus ejus quatriduanum fratrem Lazarum resuscitatum fatetur. (1)

Caput VII

De Evangelio secundum Joannem.

PARS CRITICA.

636. Biographia S. Joannis.=637. Quid dicendum de opinione illa juxta quam S. Joannes nusquam in Asia Minore sedem habuit.=638. Errores quoad authentiam hujus Evangelii. Haec authentia probatur argumentis tum externis tum internis.=639. Solvuntur objectiones.=640. De integritate hujus libri, ubi de historia mulieris adulterae, et de duobus versibus postremis Evangelii.=641. Quo loco, tempore, et qua occasione scriptum fuerit hoc Evangelium.=642. Scopus Evangelii et brevis adumbratio ipsius.=643. Num Evangelium Joannis in aliquo opponatur Evangeliis synopticis.=644. Alii libri Joanni attributi.

636. Joannes, filius Zebedaei et Salome, et frater Jacobi Majoris erat Galilaeus ex Bethsaida vel Capharnaum oriundus. Videtur fuisse non ex paupere familia, *quia notus erat Pontifici*, et praeterea mater ejus fuit una ex illis mulieribus quae Jesu et Apostolis necessaria ad victum procurabant. Ex Act. IV, 13, constat fuisse hominem sine litteris. Prius audivit praedicationem Joannis Baptistae; sed postea, cum quadam die piscationi vacaret, a Christo Domino vocatus est in numerum Apostolorum. Erat Salvatori maxime dilectus, et meruit a Domino honorifice distingui: nam fuit unus ex testibus Transfigurationis et resurrectionis filiae Archisynagogi; comitatus est Jesum in hortum Gethsemani: vocatus est a Domino, *Boanerges*, id est, *filius tonitrui*; supra pectus Domini in coena recubuit: et demum Christus ex cruce ei suam Matrem commendavit, eamque usque ad mortem comitatus est, ut plures affirmant.

Post acceptum Spiritum Sanctum, praedicavit in Palaestina una cum Petro aliisque Apostolis: deinde transiit Romam, ubi

(1) Conf. Wouters. *In Concor. Evang.*, Cap. XV, Quaes. I.

in ferventis olei dolium immissus, Deo sic disponente, incolumis evasit; sed exilio multatus est apud insulam Pathmos, ubi illas revelationes habuit quae Apocalypsi continentur. Libertatem consecutus, anno 68 vel 70, petiit Ephesum, ubi cumulatus meritis migravit ad Dominum anno 100 aerae nostrae; aetatis vero 90, 96, 97 vel etiam 106 juxta diversas opiniones.

637. Quidam rationalistae affirmant, Joannem numquam in Asia Minore sedem habuisse. Sed contrarium clarissime probatur: nam S. Irenaeus ait: «Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, edidit Evangelium Ephesi Asiae commorans.» (1)

Cornely adducit quaedam pulcherrima facta a Patribus nobis tradita: scribit enim: «Magistri sui Polycarpi auctoritate nixus Irenaeus refert Apostolum, cum Ephesi, ut lavaretur, in balneum intrasset ibique Cerinthum invenisset, ex eo non lotum statim exsiliisse, quia timeret ne balneum concideret, in quo Cerinthus esset, inimicus veritatis.

Alteram «fabulam, quae non est fabula, sed vera de Joanne Apostolo tradita narratio» nobis conservavit Clemens Alex.: Apostolus ex Pathmo insula Ephesum reversus, cum vicinas ecclesias visitaret atque in una juvenem optimae spei invenisset, illum coram tota Ecclesia et Christo teste loci illius episcopo diligentissime commendavit. Qui adolescentem sibi traditum in domum recepit, ejus educationi sollicitus invigilavit, ad baptismum demum admisit; deinde vero, ac si nihil amplius esset timendum, de pristina cura atque sollicitudine paullatim remisit. Qua praematura libertate usus juvenis lascivire coepit, atque tandem latro, latronumque dux factus est. Interea Apostolus ad ecclesiam illam denuo adscitus, postquam cuncta, quorum gratia venerat, ordinavit, ab episcopo depositum, quod ei commiserat, repetiit, juvenem scilicet ejus curae commendatum. Gemebundus autem et lacrymans confessus est episcopus, illum Deo esse mortuum atque cum latronum satellitio montes occupare. Quibus auditis Apostolus scissa veste equum sibi postulat itinerisque ductorem indeque ab ecclesia, ut erat, concito equo iter properat ad montem. A latronibus illis, qui excubias agebant, captus, ut ad ducem eorum adduceretur postulavit: qui ubi accedentem Apostolum agnovit prae pudore in

(1) *C, Haeres.* III, 1.

fugam versus est. At Joannes totis viribus concito cursu, aetatis oblitus, hominem persecutus est identidem clamans: «Quid me »patrem tuum, fili, fugis inermem, seniculum? Miserere mei, »fili, noli timere; adhuc tibi superest vitae ac salutis spes... »Ego pro te Christo rationem reddam. Si sit opus, tuam ipse »libens mortem sustinebo...» Quibus verbis permotus juvenis a fuga destitit, projectis armis ad senem accessit, gemitu ac lamentis crimen confessus, lacrymis velut altero Baptismo illud abluit: Apostolus autem illum in ecclesiam reduxit... Atque Hieronymus demum, qui frequenter in Joanne virginatis privilegium celebrat, de sene decrepito haec nobis tradidit: «Beatus Joannes Evangelista, cum Ephesi moraretur usque ad ultimam senectutem et vix inter discipulorum manus ad ecclesiam deferretur nec posset in plura verba vocem contexere, nihil aliud solebat per singulas proferre collectas, nisi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem discipuli et fratres qui aderant, taedio affecti, quod eadem semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Joanne sententiam: Quia praeceptum Domini est, et si solum fiat, sufficit.» (1)

638. Quidam antiqui haeretici, qui dicti sunt *Alogi* respuerunt hoc Evangelium eo quod negarent Verbum. Exeunte saeculo XVIII, Ed. Evanson, anglicanus, hoc Evangelium attribuit alicui philosopho platonico. Juxta Renan hoc Evangelium contradicit Evangeliis synopticis, et Christum proponit prorsus distinctum a Christo Evangeliorum synopticorum. (2) Demum Baur supponit, quartum Evangelium scriptum fuisse circa ann. 170, ut Petrinistae et Paulinistae ad unionem adducerentur.

Contra hos omnes probabimus authentiam hujus Evangelii.

1.° *Argumentis externis.* S. Irenaeus discipulus Polycarpi, cujus Magister fuit Apostolus Joannes, scribit quod supra dictum est: «Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, edidit Evangelium Ephesi Asiae commorans.»

S. Justinus, his verbis: «Et Christus dixit: si non renascatis, non intrabitis in regnum coelorum. Omnibus autem patet, impossibile esse eos qui semel nati sunt, in uterum matrum suarum rursus ingredi.» (3), alludit ad Cap. III, 3 et 4 Joannis. Praete-

(1) Cornely. *Curs. Scrip. Sac. Introd. special. in N. T.* Dissert, I. Sect, I. Cap. III. Quaest. I.

(2) *Vid. de Jes. Introd.*

(3) *In I Apolog.*

rea ipse Justinus tribuit Evangelia *apostolis* et discipulis, quod verum non est nisi admittatur Evangelium Joannis.

Tatianus Justini discipulus, scripsit suum Diatessaron cujus priora verba haec sunt: «In principio erat Verbum.»

S. Ignatius Martyr, ait: «Panem Dei volo, panem coelestem, panem vitae, qui est caro Jesu Christi Filii Dei... cupio potum divinum, ejus sanguinem etc.» (1); quae verba ad cap. VI, 41-48, 51-54 alludere indubium est.

In fragmento Muratorii legitur: «Quarti Evangelii auctor est Joannes ex discipulis. Cohortantibus condiscipulis et episcopis suis dixit: conjejunate mihi hodie triduum, et quid cuique fuerit revelatum alterutrum nobis enarremus. Eadem nocte revelatum Andreae ex Apostolis, ut recognoscentibus cunctio Joannes suo nomine cuncta describeret.» Quamvis tota haec narratio non fuisset certa, tamen demonstraret traditionem Ecclesiae Romanae circa ann. 170.

Tertullianus scribit: «Auctoritas ecclesiarum apostolicarum caeteris quoque patrocinabitur Evangeliis, Joannis dico et Matthaei etc. Et Paulo post subjungit: Nobis fidem ex Apostolis Joannes et Matthaeus insinuant; ex Apostolicis Lucas et Marcus restaurant.» (2)

Eamdem veritatem confirmat S. Clem. Alex. dicens: «Joannes omnium postremus, cum videret in aliorum Evangeliis ea, quae ad corpus Christi pertinent, tradita esse, divino Spiritu afflatus, spirituale Evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit.» (3)

Demum S. Theophilus, ait:» Haec nos docent Scripturae Sanctae et quotquot Spiritu S. afflati erant, inter quos Joannes dicit: In principio erat Verbum etc, (4)

Denique Celsus, Basilides, Valentinus, Heracleon aliique antiquissimi haeretici, agnoverunt quartum Evangelium, eoque abusi sunt ad suos errores cohonestandos.

Eadem veritas evincitur 2.° *argumentis internis*. Nam cap. XXI, 20, Legitur: «Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus ejus» et statim, v. 24, dicitur: «Hic est discipulus ille,

(1) *Ad Rom.*
(2) *Contr. Marc.* IV. 5.
(3) *Apud Eus.* 14.
(4) *Ad Antolyc,* II. 22.

qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec.»; sed iste discipulus non alius esse potest nisi Joannes; discipuli enim quos Jesus prae caeteris diligebat, erant Petrus, Jacobus Major et Joannes.

Nunc autem Petrus non scripsit hoc Evangelium, quia in narratione evangelica se ipsum distinguit a discipulo quem Jesus diligebat; et insuper Petrus in coena non recubuit super pectus Jesu. Neque fuit auctor hujus Evangelii, Jacobus, quia hic mortuus fuerat anno 15 post Ascensionem, quando adhuc quartum Evangelium non erat scriptum: ergo ex ipsa narratione evangelica infertur, auctorem quarti Evangelii fuisse Joannem.

Auctor fuit ex numero Apostolorum, quia in diversis locis Evangelii (I, 14, XIX, 35, XXI, 20, 24) seipsum dicit testem occularem eorum quae narrat. Designat loca, ubi Christus vel Apostoli aliquid dixerunt vel fecerunt. Refert etiam illa quae aliquo modo in secreto dicta sunt; ut verba Christi ad Andream, ad Nathanael, ad Samaritanam, ad Judam; ejus orationes ad Patrem, omnia quae locum habuerant in ultima coena, et alia similia quae non nisi testis occularis describere potuit.

Auctor erat Judaeus ut ex hebraismis libri satis apparet, sicut etiam ex figuris desumptis ex Lege et oraculis prophetarum; loquitur enim de serpente aeneo, de manna, de aqua quae exiit ex rupe, de columna ignea, de agno paschali etc. Praeterea optime noverat topographiam et mores Judaeae Galilaeae et Samariae: minutim describit omnes partes templi: loquitur etiam de moribus a Romanis introductis etc; quae omnia auctorem judaeum exigunt.

Auctor scribebat inter Gentiles et pro Gentilibus: hinc quod saepe in graecum vertat nomina quaedam hebraica: ex. gr. I, 38. Rabbi, quod dicitur interpretatum Magister: V, 2, «... probatica piscina, quae cognominatur hebraice Bethsaida: IX, 7,» Vade, lava in natatoria Silve (quod interpretatur Missus); XIX, 17, «... qui dicitur Calvariae, locum, hebraice autem Golgotha»; XXI, 2. «Erant simul Simon Petrus, et Thomas qui dicitur Didymus» etc. Quandoque etiam notitias geographicas adducit, ut cum dicit, XI, 18, «Erat autem Bethania juxta Jerusalem quasi stadiis quindecim.» Quae omnia superflua fuissent si inter judaeos et pro judaeis auctor Evangelii scripsisset.

Hodie indubium est auctorem unum eumdemque Apocalypsim et primam Epistolam quae Joanni tribuitur scripsisse:

huncque auctorem fuisse Joannem: jam vero in his libris et quarto Evangelio, stylus identicus est, dogmata eadem, et demum, similis spiritus suavitatis et charitatis, qui personae Joannis et scriptorum ipsius notam characteristicam constituit. (1)

639. *Objectiones.* 1.ª Dicunt rationalistae, auctorem hujus Evangelii non fuisse Judaeum; quia de Judaeis loquitur quasi auctor non esset ex eis: ex. gr. «Positae erant hydriae secundum purificationem judaeorum»; Nicodemus erat «princeps judaeorum» «Prope erat Pascha judaeorum» etc,

Resp. Nego. Nam nomen *judaeus*, non modo adhibebatur ad distinguendos veros judaeos a Samaritanis, sed etiam ad secernendos judaeos qui habitabant in Judaea, ab his qui sedem habebant in Galilaea: Joannes autem erat Galilaeus. Praeterea, cum hoc Evangelium scriptum est, Jerusalem jam destructa fuerat, et judaei inveniebantur dispersi; hi fide rejecta, conservabant veteres ritus, et retinebant nomen judaeorum, ut distinguerentur ab his qui fidem Christi amplexati fuerant: hac de causa, Joannes se distinguit a Judaeis. Demum, noverat Joannes, suum Evangelium legendum fore ab incolis totius orbis; unde potuit sic loqui, quin dici possit ipsum non fuisse judaeum.

2.ª Auctorem non fuisse judaeum ex eo infertur, quod dicat Caipham fuisse Pontificem *illius anni*: sed Joannes, ut *notus Pontifici* optime sciebat quod Pontifex non eligeretur quolibet anno. Praeterea Evangelista dicit Praecursorem baptizasse «Bethaniae trans Jordanem» cum tamen Bethania esse prope Jerusalem.

Ad primum dicendum est, ex verbis Joannis minime inferri quod Pontifex eligeretur quolibet anno, sed tantum quod in illo anno Pontifex esset Caiphas.

Ad secundum dico, duas esse civitates vel loca, nominae Bethaniae; altera trans Jordanem, alteram vero, ut dicit auctor hujus Evangelii «juxta Jerusalem, quasi stadiis quindecim.»

3.ª Juxta Renan, Papias nec verbum dicit de Evangelio vel de aliqua *Vita Jesu* a Joanne conscripta; secus aliquid nobis dixisset Eusebius. (2)

Fatemur quidem, nullum ad nos pervenisse testimonium directum Papiae circa Evangelium Joannis; tamen aliquod testi-

(1) Conf. Vigouroux *Man. Bibl.* Introd. al N. T. Prelim.

(2) Conf. Renan. *Vid de Jes. Introd.*

monium indirectum habemus: nam juxta Eusebium, Papias usus est 1.ª Epistola Joannis: jam vero, juxta ipsos rationalistas, praedicta Epistola et quartum Evangelium sunt unius ejusdemque auctoris. Praeterea Eusebius nobis non conservavit omnia scripta Papiae; nam plura fragmenta deperdita sunt.

4.ª Dicunt adversarii, doctrinam Verbi (seu Logos) desumptam esse, ex Trinitate aegyptiaca (1) vel platonica.

Nego utrumque membrum: nam Trinitas aegyptiaca omnino differt in primis a Trinitate Christianorum; et quidem, Trinitas aegyptiaca pantheismo nititur, ut notat C. Lanormant. Duo principia fundamentalia Trinitatis aegyptiacae sunt *Ammon-Ra* et *Mouth*, *magna Mater*: haec duo principia repraesentant spiritum et materiam. *Ammon* est maritus matris suae, et idcirco spiritus est emanatio ex materia praexistente. Ex unione *Ammon* et *Mouth* provenit *Schous*, nempe *Verbum*. Haec Trinitas corporaliter manifestatur in tribus personis; nempe, *Osiris*, *Isis* et *Horo*.

Hujusmodi Trinitas nihil commune habet cum Trinitate Christianorum: hujus enim fundamentum est existentia unius Dei qui materiae praeexistit, eamque ex nihilo condidit. Praeterea in nostra Trinitate nullum est principium femeninum ex quo procedat Verbum seu Logos.

Quoad secundum membrum, bene dicit cl. Hettinger in sua Apol. Christ. doctrinam Verbi seu Logos, esse originalem, non vero ex philosophia judaeo-alexandrina derivatam. Nam *Logos* Philonis omnino differt a Logos seu Verbo Joannis Et quidem, Logos Philonis non est nisi *semi-Deus*; Logos autem Joannis est Deus verus (Et Deus erat Verbum). Logos Philonis non est Creator, sed idea juxta quam Deus creavit et ordinavit mundum; Logos Joannis non est idea sed persona, non typus creationis, sed ipse Creator omnium (Omnia per ipsum facta sunt). Logos Philonis, ut mera abstractio, erat incapax incarnationis; sed Logos Joannis «caro factum est.»

Idem dicendum de *Logos* et de Trinitate platonica. (2)

---

(1) Sic J. G. Draper. *Hist. de los Conflict. entre la Relig. y la Ciencia*. Cap. III.

(2) Ad rem Card. Gonzalez: «Esa trinidad platónica, que tanto preconizan y de que tanto nos hablan los que no quieren oir hablar de la Trinidad cristiana, preséntase unas veces como compuesta del *unum*, del *logos* ó razón, y del *anima mundi*: aparece otras bajo la forma de

640. *Integritas.* Pars deuterocanonica hujus Evangelii est historia mulieris adulterae (Joann. VII, 53-VIII, 1-11.)

Authentiam hujus pericopes seu partis quarti Evangelii, negarunt Erasmus et Grotius; dein Semler, Wegscheider alii-

---

bonum, de mundo inteligible ó arquetipo, y de mente ó forma del universo; alguna vez el primer término de la trinidad platónica es la idea del bien, el segundo el conjunto de las demás ideas inteligibles que proceden de la del bien, y el tercero las ideas incorporadas en la materia, ó en cuanto forman y distinguen las esencias materiales, ó, mejor dicho, el mundo visible como impresión múltiple ó encarnación de las ideas inteligibles. La idea de bien aparece unas veces como identificada con la esencia divina, al paso que otras aparece como primer efecto ó emanación de esta. Ora se nos dice que Dios es el principio único, la causa universal de todas las cosas, así de las inteligibles y eternas, como de las sensibles y temporales, desde la primera hasta la última; ora se nos dice que Dios produce solo la inteligencia primera y el alma universal, las cuales á su vez, producen las demás cosas inferiores.—De aquí las contradicciones, reyertas y diversidad de sentidos y pareceres que reinaron en todo tiempo entre los discípulos de Platón y entre los admiradores más entusiastas de su concepción trinitaria. En todo caso, esta concepción poco ó nada puede tener de común con la concepción precisa, concreta y definida de la Trinidad cristiana. La cual, aun prescindiendo de la confusión y multiplicidad de significaciones ó sentidos que caracterizan á la primera, se encuentra y se encontrará siempre colocada á distancia inmensa de la trinidad platónica, en la cual nada hay que se parezca á la distinción real é hipostática de las tres personas divinas, y mucho menos nada que se parezca á la igualdad absoluta, consubstancial y esencial de las mismas. Por otra parte ¿qué comparación cabe entre la naturaleza, atributos y efectos del Espíritu Santo de la Trinidad cristiana, y la naturaleza, atributos y efectos del alma universal del mundo? Aun suponiendo que Platón concediera divinidad y personalidad á esta alma universal, suposición que carece de certeza y hasta de probabilidad, no sería posible establecer términos de comparación entre esa alma universal del mundo que envuelve una concepción panteista del cosmos, y el Espíritu Santo, cuya noción propia y cuyas funciones son incompatibles con toda concepción panteista de la realidad.—Si á lo dicho se añade que los dos términos secundarios de la trinidad platónica proceden del primero, ó por emanación, ó á lo más por creación, pero en ningún caso por medio de la procesión purísima *sui generis* que entraña la Trinidad cristiana; si se tiene en cuenta que Platón, lo mismo que Filón y los neoplatónicos alejandrinos, aplican nombres mitológicos y alegóricos á los términos de su respectiva trinidad, los cuales vienen á ser como ciertas personificaciones de ciertas ideas abstractas, preciso será reconocer que se trata aquí de concepciones trinitarias que ofrecen apenas lejanas é imperfectas analogías con la concepción Trinitaria del Cristianismo» *Hist. de la Filos.* Tom. I. pág. 226 et seqq.=Conf. etiam C. de Harlez. *Diccion Apolog* Jaugey, *Verbo divino.*

que, et novissime Tischendorf. En fundamenta eorum: 1.um Hunc locum omittunt praecipui *codices*, ut Sinaiticus, Vaticanus, Alexandrinus, C. Ephremi, aliique bene multi. 2.um Similiter praedictum locum omittunt antiquissimae versiones, ut Itala in pluribus manuscriptis, versio Peschito, versiones Copticae, et versio Gothica. 3.um Omnes Patres Graeci, et ex Latinis Tertulianus et S. Cyprianus illum locum praetereunt. 4.um Quia VIII, 5, pharisaei dicunt: «In Lege autem Moyses mandavit nobis hujusmodi (adulteras) lapidare.» Quod pharisaei numquam dixissent, cum, ut in Lege periti, scirent hanc poenam minime determinari a Moyse, Deut. XXII, 22; Lev. XX, 11.

Probatur authentia praedicti loci Joannis.

Quoad *Codices* fatemur nostram pericopem in multis desiderari, sed non in omnibus: nam fatente ipso Tischendorf, undecim Codices graeci unciales, scilicet, Cantabrigensis, E, F, G, H, K, M, S, U, Γ, Λ exhibent disputatum locum Joannis. His addendi sunt plures alii antiquiores saeculi V, qui narrationem Joannis continebant, ut ex his verbis S. Hieronymi eruitur; «In Evangelio secundum Joannem in multis et Graecis et Latinis codicibus invenitur de adultera muliere quae accusata est apud Dominum.» (1) Codices vero minusculi plusquam 300 pericopem nostram continent absque ullo signo diacritico.

Etiam fatemur in quibusdam antiquis *versionibus* citatum locum Joannis non inveniri; sed nobis favent versiones Aethiopica, Anglo Saxonica, Persica, Syriaca Palaestinensis et Armenica. Etiam versio Itala historiam adulterae habebat, ut ex ejus exemplaribus adhuc extantibus apparet, quales sunt Codices Colbertinus, Corbejensis, Sangermanensis et alii (2) de Vulgata vero S. Hieronymi testes sunt codex Amiatinus, Toletanus, Fuldensis et Vallicellianus.

Silentio quorumdam Patrum Graecorum, opponimus unanimem P.P. et Ecclesiarum latinarum consensum. Nam inter plures alios Patres, locum Joannis allegant S. Leo M. (3), S. Gregorius M. (4), S. Isidorus Hisp. (5), S. Prosper (6), S. Augustinus S. Fulgentius, etc.

(1) *Lib. II adv. Pelag.*, c. 17.
(2) Sabatier, *Biblior. sacror. antiquae versiones latinae.*
(3) *Serm. 62.*
(4) *L. I. Moralium, c. 6.*
(5) *Alleg. S. Scrip. p. 149, ed Arevali. tom. V.*
(6) *Lib. IV de Cons. Evang., c. 17.*

Praeterea in ipsa Ecclesia Graeca, nostram historiam allegant Tatianus in *Diatessaron,* Ammonius in *Monotcssaron*, Eusebius in *canonibus Evangelicis,* et S. Joannes Chrysostomus. (1) quamvis aliqui negent.

Demum adversariorum argumentum ex silentio P. P. Graecorum, in primis, mere negativum est, et insuper non est universale: nam es operibus Origenis decet tomus 18, in Joannem, in quo fortasse continebatur historia adulterae; nam tomus 19 immediate post hanc historiam incipit. Alii Patres non omne S. Joannis Evangelium exposuerunt, et nonnulli vel usi sunt exemplaribus illam historiam non habentibus, vel prudenter ab ea referenda abstinuerunt.

Rationem vero omissionis hujus pericopes in pluribus codicibus tradit S. Augustinus his verbis: «Hoc infidelium sensus exhorret ita ut nonnulli modicae fidei, vel potius inimici verae fidei metuentes peccandi impunitatem dari mulieribus suis, illud quod de adulterae indulgentia Jesus fecit, auferrent de codicibus suis.» Et subjungit: «Quasi permissionem peccandi tribuerit, qui dixit: *jam amplius noli peccare:* aut ideo non debuerit mulier a medico Deo illius peccati remissione sanari ne offenderentur sani.» (2) Ad 4.um fundamentum adversariorum, dico, pharisaeos affirmare potuisse, mulierem illam lapidandam esse juxta Legem Moysis; nam quamvis in locis Scripturae citatis ab adversariis, sermo non sit nisi de poena mortis, tamen ex consuetudine, poena lapidationis in specie determinata fuerat.

Grotius, Clericus et inter recentiores De Wette et alia negant authentiam v. 24, cap. XXI. «Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec: et scimus quia verum est testimonium ejus.» Nam stylus diversus est, cum Joannes in caeteris locis de se ipso loquatur in tertia persona. Vel ex illo verbo *scimus* deducendum est ab alio scriptore distincto a Joanne posterius additum fuisse.

Resp. neminem negare posse Joannem quandoque in Evangelio loqui de se ipso in prima persona, qui legerit cap. I, 14 «Et *vidimus* gloriam ejus etc.

Nonnulli, etiam inter catholicos, putant, v. 24 additum fui-

(1) *Homil. 61 in Joann.*

(2) Conf. Ubaldi, *Introd. in Sac. Scrip. Introd. Crit.* P. I., Sect. I, Cap. II, Art. I, Thes. XII

sse, ab auctore divinitus inspirato, ad modum quo in Deuteronomio addita sunt ea quae referuntur ad mortem Moysis.

Sed hoc improbabile est: secus Evangelium hanc terminationem impropriam haberet; «Sic eum volo manere donee veniam ¿quid ad te?»

Itaque Joannes ut veritatem suae narrationis confirmaret testimonio omnium, qui facta quae narrat viderunt, utitur verbo *scimus*.

641. Quoad *locum*, quo scriptus est hoc Evangelium, clarissimus habemus Irenaei testimonium jam supra citatum: «Joannes discipulus Domini, qui et supra pectus ejus recumbebat, edidit Evangelium Ephesi Asiae commorans.» *Synopsis Athanasii* ait: «Evangelium secundum Joannem et dictatum est a Joanne Apostolo, cum exul esset in Pathmo insula, et postea ab eo Ephesi editum.» Hanc sententiam sequitur etiam S. Hippolytus: tamen prima est communior.

Circa *tempus*, merito rejicitur opinio eorum qui putant, Joannem scripsisse vel ante caeteros Evangelistas, vel statim post Mathaeum. Sententia omnium Patrum, versionibus et codicibus omnibus confirmata, Joannem omnium postremum scripsisse tenet.

Communiter creditur, hoc Evangelium scriptum fuisse cum Joannes ab insula Pathmos transiit in Ephesum ad finem persecutionis Domitiani ann. 95 vel 98.

Tamen juxta fragmentum Muratorii, Joannes scripsit Evangelium exhortantibus Andrea et condiscipulis, et idcirco inter ann. 70 et 80: hinc quod non raro utatur pronomine *nos*.

S. Hieronymus putat incertum esse tempus quod quaeritur.

Librum hunc post mortem S. Petri fuisse scriptum, non parvo fundamento deducitur ex eo quod Joannes verba Christi ad Petrum (XXI, 18) interpretatur de genere mortis qua Petrus clasificaturus erat Deum: nam animadvertit Patrizi «numquam alias Joannem sive Prophetarum sive Christi praedictiones interpretari, nisi cum res praedictae jam evenissent; imo unicum istud fore, non in Novo Testamento solummodo, sed in integris Bibliis oraculum, quod historicus ipse, qui illud refert, ante eventum esset interpretatus.»

Videtur etiam hunc librum conscriptum post destructionem Jerusalem: nam de hac civitate loquitur quasi de re non exis-

tente, his et similibus locis: «*erat* autem hortus» «*erat* Bethania juxta Jerusalem.» (1)

Occasionem dederunt huic Evangelio: 1.° convenientia proponendi Evangelium, ut ait S. Clemens Alex., spirituale, quod notam faceret nobis non generationem temporalem Salvatoris, ut fecerunt caeteri Evangelistae, sed generationem aeternam Verbi. 2.° Referre aliqua ab aliis Evangelistis omissa: 3.° Impugnare quosdam errores: ut eorum qui ajebant Joannem Baptistam fuisse Messiam, et contra hos dicit: «Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes: *non erat ille lux*, sed ut testimonium perhiberet de lumine» (cap. I): et postea addit confessiones ipsius Praecursoris «Quia non sum ego Christus». Cerinthiani negabant divinitatem Verbi, et contra eos scribit Joannes «In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et *Deus erat Verbum.*» Docetas qui incarnationem Verbi rejiciebant, his verbis impugnat. «Et Verbum caro factum est.» Demum contra Hymenaeum, Philetum et alios qui veram mortem Jesu negabant, scribit: «Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus.» (XX, 33-35).

642. Duplex fuit *scopus* Joannis in conscribendo hoc Evangelio: 1.um divinitatem Christi demonstrare ut ipsemet ait, XX, 31: «Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei; et ut credentes, vitam habeatis in nomine ejus.» Et hanc veritatem probat contra judaeos, prophetiis Veteris Testamenti, et contra gentiles miraculis Christi. 2.us Inculcare mentibus fidelium, *Mandatum novum*, seu praeceptum mutuae dilectionis.

(1) De Evang. I. p. 103.=Cornely hanc addit rationem: «Quibus argumentis et testimoniis magis minusve incertis majoris ponderis esse censemus illud, quod Evangelii ipsius finis et indoles nobis exhibent. Etsi enim jam ante SS. Petri et Pauli mortem gnostici errores ecclesiam asiaticam perturbassent, illa tamen earum forma, quam quartum Evangelium destruit exeunte dumtaxat saeculo 1, ibi propagari coepta est. Illo enim tempore Cerinthum ex Aegypto Ephesum venisse tradunt Patres: atque circa idem fere tempus Ebionitae, quorum origo palaestinensis ante 7. vel 8. decadem saec. 1. quaerenda non est, alias Ecclesiae partes invaserunt... Quare omnia conspirant, ut ultimis Domitiani annis aut Nervae tempore quartum Evangelium editum dicamus,» Op. saep. cit. De Lib. Hist. N. T. Sect. I. Cap. III. Quaest. V.

Hoc Evangelium continet 21 capita: incipit a generatione aeterna Verbi; statim loquitur de praedicatione Baptistae; nihil dicit de vita Christi privata: describit ipsius vitam publicam, passionem, mortem, resurrectiones et apparitiones post resurrectionem.

643. Juxta Renan, Evangelium Joannis contradicit Evangelicis synopticis, quia Christus Joannis omnino differt a Christo caeterorum Evangelistarum. (1)

In primis, negamus, Christum Joannis essentialiter differre a Christum caterorum Evangelistarum: nam attenta lectio quatuor Evangeliorum suficit, ut quis videat Christum in quatuor Evangeliis esse semper identicum, in sermonibus ordinariis et parabolicis, in doctrinis exponendis et probandis, in mansuetudine, in charitate erga adversarios, in miraculis patrandis, in sua passione, morte et resurrectione; certe, Joannes quaedam Cristi facta omittit ab aliis Evangelistis narrata, et quaedam etiam narrat ab illis omissa; sed absurdum esset, ex hoc cum Renan inferre, Christum Joannis aessentialiter differre a Christo caeterorum Evangelistarum.

Fatemur quidem modum narrationis Joannis, et characterem dogmaticum Evangelii ipsius, ipsum distinguere a caeteris Evangeliis et aliquo modo influere in ipsam physiognomiam Salvatoris.

(1) Audiatur Renan: «En efecto, en el Evangelio de Juan debe hacerse una distinción capital. Este evangelio presenta por un lado una trama de la vida de Jesús que difiere esencialmente de la de los sinópticos. Por otro, pone en boca de Jesús discursos cuyas doctrinas, tono, corte y estilo no tienen nada de común con las *Logia* de los sinopticos. La diferencia es tal, bajo este punto de vista, que no hay término medio y es preciso elegir de una manera absoluta. Si Jesús habla como dice Mateo, no pudo hablar como pretende Juan. Ningún critico ha vacilado ni vacilará entre las dos autoridades. El evangelio de Juan, á mil leguas del tono sencillo, desinteresado, impersonal de los sinópticos, manifiesta sin cesar las preocupaciones del apologista, la segunda intención del sectario, el propósito de probar una tésis y de convencer á sus contradictores. No fué por cierto con tiradas pretenciosas, pesadas, mal escritas con lo que Jesús fundó su obra divina. Aunque Papias no nos dijere que Mateo escribió en su lenguaje original las sentencias de Jesús, la naturalidad, la inefable verdad, el encanto sin igual de los discursos sinopticos, el corte profundamente hebraico de esos discursos, las analogías que ofrecen con las sentencias de los doctores judios de la misma época, su perfecta armonía con la naturaleza de Galilea, todos estos caracteres comparados con la gnósis obscura y con la perfidia metafisica en que abundan los discursos de Juan, hablarían muy alto en favor de esta creencia.» *Vid. de Jesus. Introd.*

Sed hoc ex circumstantiis pendet in quibus Joannes suum Evangelium conscripsit. Nam reliquis Evangelistis qui potius ad plebem scribebant, sufficiens erat, sive prophetiis, sive factis miraculosis divinam Christi missionem ostendere; sed aetate Joannis, ortis jam haeresibus gnosticorum, polemica, seu disceptatio erat dogmatica, et ideo etiam stylum scientificum, et quandoque probationes metaphysicas postulabat, ut haeresis vinceretur iisdem armis quibus utebatur.

Praeterea, ut ait Vigouroux, physiognomia hominis non est invariabilis ut statuae physiognomia: et ideo unus idemque homo, juxta diversas circumstantias, potest esse festivus, tristis, dulcis, iracundus etc.; et quaelibet physiognomia quae ipsi tribuatur erit vera, si opportune et secundum circumstantias ei tribuatur.

Et haec tantum accidentalis differentia intercedit inter Evangelium Joannis et caetera Evangelia. «Neque oblivioni dandum est characterem personalem Joannis et ejus intimam familiaritatem cum Jesu, non parum influere in modum narrationis Evangelicae, et in ipsam Physiognomiam Salvatoris. (1)

644. Joannes praeter Evangelium, scripsit etiam tres Epistolas quae canonicae sunt. Sed etiam quidam libri apocryphi ipsi tribuuntur: nempe *Acta Joannis*, quibus utebantur Encratitae, teste S. Epiphanio. *Itinerarium Joannis* juxta *Synopsim Athan.; De Virginis morte et Assumptione.*

PARS EXEGETICA

645. Exponantur quatuor primi versus cap. I.=646. Exponatur etiam cap. VI a vers. 48 ad 59.=647. Num cultui externo deroget hic locus (IV, 24) «Spiritus est Deus: et eos, qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.=648. Utrum resurrectio Lazari et Jesu Christi ut fraudes haberi possint.=649. An Christus Judae in ultima coena S. Eucharistiam dederit.

645. Joannes, ut errorem Ebionis et Cerinthi, qui Christum ante Mariam non fuisse asserebant, ideoque et ipsum purum hominem faciebant, impugnaret, generationem aeternam Verbi, divinitatemque ipsius, his verbis proponit. «In principio erat Verbum» *In principio;* id est antequam Deus ullam creaturam

(1) *Cons. Revue Biblique.* 1900. Janvier.

produceret, ante omne tempus a tota aeternitate erat Verbum, vel etiam Verbum erat in Principio, id est, in Deo, in Patre qui est Verbi principium, et unum cum eo in essentia. Sic Clem. Alex. Origenes, Augustinus, Beda.

Erat; hoc verbo utitur Joannes, et non verbo *fuit*; quia hoc designare potest vel rem esse incoepisse, ut cum dicitur, in principio fuit coelum et terram; vel rem quae fuisse dicitur, esse desiisse. Igitur verbum *erat* significat, Verbum semper fuisse, semperque futurum esset. Unde Concilium Nicaenum ex hoc loco damnavit Arianos dicentes, aliquando Filium Dei non exstitisse.

Verbum: hoc nomine designari Filium Dei, res ab omnibus admissa est, non exceptis Arianis. Sed dum quaeritur, quare Filius Dei dicatur Verbum, diversae sunt ex positiones Patrum. Nam juxta S. Augustinum (1) et S. Isidorum Hisp. (2) Filius Dei dicitur Verbum, quia per illud Deus omnia fieri jussit: «Dixit enim et facta sunt.» (3) Alii ut Origenes (4) et Chrysostomus (5) Verbum vocatum censent, quia nobis interpres sit paternae voluntatis, sicut verbum vocale nostrum mentis voluntatisque nostrae interpres est. Juxta plures veteres, et deinde theologos scholasticos, Filius Dei vocatur Verbum, quia est notitia Patris: ad cujus intelligentiam haec scire oportet. Intelligere hominis a sensibus originem ducit, vi cujusdam repraesentationis objecti quae dicitur *species sensibilis*, quae objectum non nisi singulare et concretum, et ideo non actu intelligibile exhibet; sed in ipso objecto singulari rationes quaedam universales sunt, ut ratio entis, substantiae, vitae etc., quae a sensibus percipi nequeunt.

Intellectus vero agens, has universales rationes abstrahit ab objecto, easque spoliat, ut ita dicam, a conditionibus singularitatis et concretionis, et sic objectum fit universale et intelligibile actu in quadam repraesentatione spirituali quae dicitur *species intelligibilis impressa*. Postquam *intellectus possibilis* percepit speciem impressam, objectum apprehendit et cognoscit, et ideo sibi efformat ideam objecti, vel sibi ipsi dicit quid sit objectum;

(1) *Serm. 190.*
(2) *Lib. VII, orig. cap. de Filio.*
(3) *Psal.* CXLVIII, 5.
(4) *Lib. I. in Joann,*
(5) *Homil. 2 in Joan.*

haec idea, hoc *verbum* mentale, dicitur idea seu species expressa, quae rem exhibet ut jam cognitam.

Itaque Deus se ipsum intellegit vel cognoscit, sed ita ut species intellegibilis non sit aliquid a divina essentia distinctum; cum ergo Deus seipsum cognoscit, efformat sibi ideam sui ipsius, vel sibi ipsi dicit quid sit; hoc *Verbum* mentale in eo distinguitur ab humani intellectus specie expressa, quod haec sit merum accidens; in Deo autem est aliquid subsistens et vera persona nempe *Verbum*. Hoc verbum dicitur etiam *Filius*; quia a suo Principio procedit per generationem. Generatio enim communiter sic definitur: *Origo viventis a vivente conjuncto in similitudinem naturae specificae*. Haec vero definitio, quodam modo applicari potest processioni Verbi: nam est *origo viventis a vivente*, ut patet: etiam est in *similitudinem*, nam Verbum procedit a suo Principio per intellectum: operatio autem intellectus et assimilativa: et insuper inter Verbum et Patrem non modo datur similitudo nature, sed etiam identitas naturae et essentiae. (1)

Et Verbum erat *apud Deum*. Juxta communiorem Patrum sententiam, *apud Deum*, idem est ac, *apud Patrem*, vel in ipsa divina essentia cum Patre. Nam ut diximus, in Deo species intelligibilis non distinguitur a divina essentia: et ideo Verbum ab aeterno est in una eademque essentia cum Patre. Unde subjungit Evangelista, «*Et Deus erat Verbum*» seu potius «*Et Verbum erat Deus*, id est coaeternus, consubstantialis Patri.

Omnia per ipsum facta sunt: quibus verbis probatur divinitas Verbi: primo quia Ipsi tribuitur omnipotentia, seu virtus creativa sine qua omnia produci nullatenus possunt; virtus autem creativa exclusive Deo competit: 2.° quia ex praedictis verbis infertur, Verbum a nullo esse factum, ideoque et esse increatum. Unde S. Augustinus ait: «Exeat nunc nescio quis infidelis Arianus, et dicat, quia Verbum Dei factum est. Quomodo potest fieri, ut Verbum Dei factum sit, quando Deus per Verbum fecit omnia? Si et Verbum Dei ipsum factum est, per quod aliud verbum factum est? si hoc dicis, quia hoc est verbum Verbi, per quod factum est, illud ipsum dico ego unicum Filium Dei. Si autem non dicis verbum Verbi, concede non factum,

(1) In hac materia conf. *Summ. Theol. S. Thom.*, P. I., q. 14, 27 34, 35; *Contr. Gent* Lib. IV, cap. X, XXIII; *De verit.* q. III, art. 8, Billuart. *Tract. de Stm. Trinit.*, Dissert. II.

per quod facta sunt omnia: non enim per se ipsum fieri potuit, per quod facta sunt omnia.» (1)

Et sine ipso *factum est nihil, quod factum* est. Quidam ex Patribus, hunc locum sic legebant: *Et sine ipso factum est nihil. Quod factum est in ipso vita etc.* Qui modus legendi haereticus videtur S. S. Ambrosio, Chrysostomo, Epiphanio et aliis, cum supponat in Verbo aliquid esse factum.

In ipso vita erat, et vita erat lux hominum. Non dixit Joannes, ipsum vita erat, sed *in ipso* vita erat, quia agebat non de vita Verbi, sed de nostra; Verbum enim est vita nostra, ut ait Paulus «Cum Christus apparuerit vita vestra» (2) vita inquam spiritualis; nam vitam naturalem jam accepimus, cum «omnia per ipsum facta sunt», hanc, nempe spiritualem, accepimus, cum «Verbum caro factum est et habitavit in nobis.» Id ipsum dicendum de verbis *lux hominum*, quae non lumen naturale intellectus significant, sed lumen spirituale, quo Deo vivimus. (3)

646. Cap. VI, hujus Evangelii. Christus antequam promulgaret Sacramentum Eucharistiae, praeparat fidelium animos sub symbolo panis, dicens: «Ego sum panis vitae. Patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt. Hic est panis de coelo descendens; ut si quis ex ipso manducaverit, non moriatur. Ego sum panis vivus qui de coelo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in aeternum.» Quibus verbis, Christus promittit se daturum panem, non ita virtute carens, ut nec a morte corporali hominem liberat sicut manna sed panem ita efficacem ac virtute plenum, ut vitam conferat animae, et resurrectionem corpori. Et addit hunc panem esse vivum et de coelo descendere, vitamque aeternam tribuere manducanti; et demum se ipsum esse hunc panem vivum. Nunc a symbolo transit ad rem dicens; «Et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Litigabant ergo judaei ad invicem, dicentes: Quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Dixit ergo eis Jesus: Amen, amen dico vobis: Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam: et ego resuscitabo eum in novissimo die. Caro enim mea vere est cibus: et

(1) *Tract. I in Joann.*
(2) *Col. III*, 4.
(3) Conf. *Maldonatum in Joann.*

sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me, et ipse vivet propter me. Hic est panis, qui de coelo descendit. Non sicut manducaverunt patres vestri manna, et mortui sunt. Qui manducat hunc panem vivet in aeternum.» Ergo panis quem daturus est Christus, est caro ipsius; et idcirco christiani tenentur ex praecepto Salvatoris, manducare carnem Christi et ejus sanguinem bibere. Calvinus docuit, hic non agi de reali manducatione carnis, sed de manducatione per fidem. Sed si hoc verum esset, Capharnaitae et quidam discipuli non scandalizarentur: hi omnes enim credebant Christum loqui de reali suae carnis manducatione: et in hoc non errabant, quia Christus non correxit eorum intelligentiam sed potius confirmavit juramento et suae ascensionis miraculo: ait enim Joannes: «Multi ergo audientes ex discipulis ejus dixerunt: Durus est hic sermo, et quis potest eum audire? Sciens autem Jesus apud semetipsum, quia murmurarent de hoc discipuli ejus, dixit eis: Hoc vos scandalizat? Si ergo videritis filium hominis, ascendentem ubi erat prius? Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam; verba quae ego locutus sum vobis, spiritus et vita sunt.» In hoc ergo tantum errabant discipuli, quod putaverant carnem Christi manducandam visibili modo in propria specie, quaemadmodum carnes communes manducantur; quam erroneam intelligentiam correxit Christus his verbis: «Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam» quibus insinuat invisibilem et sacramentalem continentiam corporis Christi in Eucharistia. Id ipsum inferunt theologi ex verbis consecrationis.

Patres etiam testantur in praedictis locis agi de reali carnis Christi manducatione: nam S. Ignatius Mart. ait: Eucharistiam et oblationes non admittunt, quod non confiteantur Eucharistiam esse carnem Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, quae pro peccatis nostris passa est.» (1) Chrysostomus: «Id quod est in calice, est id quod fluxit ex latere et illius sumus participes.» (2)

S. Augustinus explicans illud Psal. XXXIII «Et ferebatur manibus suis «ostendit id ad litteram non esse intelligendum

(1) *Epist. ad Smyrn.*
(2) *Hom. 24 in 1, ad Cor.*

de Davide sed de Christo: Manibus, inquit, manibus suis nemo portatur. Quomodo intelligatur in ipso David secundum litteram non invenimus, in Christo autem invenimus: ferebatur enim Christus in manibus suis, quando commendans ipsum corpus suum, ait: *Hoc est corpus meum*, ferebat enim illud corpus in manibus suis.» (1)

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam» ¿Quomodo hoc verum est, cum multi carnem Christi manducent et sanguinem ejus bibant, et tamen damnentur? Dico, in hujusmodi propositionibus universalibus, non semper ipsum effectum, sed potius vim ad ipsum producendum significari: et praeterea intelligendam esse aliquam conditionem. Itaque praedicta verba sic interpretanda sunt, ut intelligatur carnem et sanguinem Christi vim habere ad vitam aeternam tribuendam; tamen non sortiri suum effectum, nisi subjectum bene dispositum accedat.

«*Sicut misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem; et qui manducat me et ipse vivit propte rme.*» Sic interpretatur hunc locum S. Augustinus: «Ac si diceret: Ut ego vivam propter Patrem, id est, ad illum tamquam ad majorem referam vitam meam, exinanitio mea fecit, in qua me misit Ut autem quisquam vivat propter me, participatio facit, qua manducat me. Ego itaque humiliatus vivo propter Patrem; ille erectus vivit propter me. Si autem ita dictum est, Vivo propter Patrem, quia ipse de illo, non ille de ipso est; sine detrimento aequalitatis dictum est. Nec tamen dicendo, et qui manducat me, et ipse vivet propter me: eamdem suam, et nostram aequalitatem significavit, sed gratiam mediatoris ostendit.» (2)

647. Num cultui externo deroget hic locus, (IV, 24): Spiritus est Deus: et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare.»

Calvinistae ex his verbis inferebant, Deum sola *fide esse adorandum:* sed hoc falsum est: secus daemones essent veri adoratores, quia credunt et contremiscunt.» (3) Juxta alios, Deus «in spiritu et veritate» id est, solo cultu interno adorandus est. Tamen ex citatis verbis, hoc minime infertur; sed Christus

(1) *Enarrat 1, in Psal. 33* Conf. etiam *Summ Theol.*, S. Thomae, 3 P. q. 75 et Billuart in hac quest.

(2) *Tract. 26 in Joann.*

(3) Jac, II, 19.

cultui pure exteriori et figurativo judaeorum et samaritanorum qui Deum non extra Jerusalem neque extra montem Garizim adorari posse putabant, opponit cultum non mere externum, sed praesertim internum; non cultum figurarum et symbolorum sed cultum realitatis his figuris respondentis; cultum non localem sed universalem.

Si cultus tantum in ordine ad Deum consideraretur, cum Deus purus spiritus sit, cultus deberet esse etiam pure spiritualis; tamen attendenda est etiam conditio hominis qui ex anima et corpore constat. Hinc quod ipse Christus ad novum cultum, Sacramenta et alias res instituerit sensibiles et naturae hominis acommodatas. Tamen, vere dici potest christianos adorare Deum in Spiritu et veritate, quia sacramenta non sunt jam figurae et symbola futurorum, sed realitates et veritates a figuris et simbolis Veteris Testamenti praefiguratae.

648. Utrum resurrectio Lazari et Christi, ut fraudes haberi possint.

Quoad resurrectionem Lazari, constat, Lazarum vere mortuum esse et hac de causa «Multi ex judaeis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo» Et Martha dixit ad Jesum: «Domine si fuisses hic frater meus non fuisset mortuus.» Et insuper «Ait Jesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror ejus qui mortuus fuerat: Domine, jam foetet, quatriduanus est enim.» Ergo de morte Lazari dubitari nequit, nisi dicamus' Lazarum consensu medicorum, vivum sepultum fuisse et vitam in sepulchro spatio quatuor dierum conservasse, et de vivo quasi de mortuo quatriduano dici potuisse «jam foetet.»

Neque minus certa est Lazari resurrectio: nam Jesus «voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et statim prodiit qui fuerat mortuus... et multi ex judaeis, qui venerant ad Mariam et Martham, et viderant quae fecit Jesus, crediderunt in eum.» ¿Nonne ut fraus haberi potest hujusmodi resurrectio? Affirmative respondent rationalistae, quia Jesus, et Lazarus cum sororibus ejus convenerunt in simulanda hac resurrectione. Sed quaero, num convenirent etiam cum illis qui venerant ad Martham et Mariam. Quod si convenerunt, ¿quare non omnes crediderunt? Et si resurrectio Lazari non nisi fictitia fuit ¿quare Pontifices et Pharisaei collegerunt concilium, et dicebant: Quid facimus quia hic homo multa signa facit? (1) Sed rationalistae dicunt hoc factum esse

(1) *Joann.*, XI, 1-47.

mythum, quasi possibile esset illo tempore mythos invenire, et mythis religionem difficillimam propagare.

Quoad resurrectionem Christi Renan fatetur, Christum realiter mortuum esse et in sepulchro positum, sed asserit ejus resurrectionem et apparitiones non esse nisi allucinationes, quibus efformata est legenda. (1)

Si hoc verum est, ¿quomodo explicatur quod tot testes, ut piae mulieres, Apostoli, discipuli, quibus Christus apparuit, et cum his locutus est, manducavit, incredulum Thomam convincit, fallerentur, putantes se verum hominem videre, ubi non erat nisi phantasma? ¿Quis assignavit causam hujusmodi phantasmatis in imaginatione plurium hominum, diversae aetatis, indolis, conditionis? Quod si Apostoli credebant Christum non resurrexisse ¿quare ergo pro confitenda hac ressurrectione mortui sunt? Si Christus non surrexit, ¿quis explicabit mirabilem propagationem christianismi? (2)

(1) Audiatur Renan: «Apenas amaneció el domingo, las galileas se dirigieron al sepulcro: la primera que llegó fué María de Magdalena. Mas la losa había sido retirada de la abertura y el cuerpo no estaba ya en el sitio en que le habían dejado. Los más extraños rumores circularon al mismo tiempo entre la comunidad cristiana. El grito de «ha resucitado» corrió con la rapidez del rayo entre los discípulos, y gracias al amor, semejante creencia halló fácil acogida. ¿Qué había tenido lugar en el sepulcro de Jesús? Al tratar de la historia de los apóstoles examinaremos este punto é investigaremos el origen de las leyendas relativas á la resurrección. Para el historiador la vida de Jesús concluye con su último suspiro. Pero tan profunda era la huella que había dejado en el corazón de sus discípulos y de algunas amigas adictas, que por espacio de varias semanas Jesús permaneció vivo, siendo el consolador de aquellas almas. ¿Fué arrebatado su cuerpo del sepulcro, ó fué el entusiasmo, siempre crédulo, el que produjo mucho después el conjunto de relatos por medio de los cuales se pretendió establecer la fé en la resurrección? Hé aquí lo que siempre ignoraremos, por la falta absoluta de documentos contradictorios. Digamos, sin embargo, que en aquella circunstancia la exaltada imaginación de María de Magdalena desempeñó un papel de primer orden. ¡Poder divino del amor! ¡sagrados momentos aquellos en que la pasión de una alucinada dió al mundo un Dios resucitado!» Vid. de Jesu. cap. 27.

(2) Ad rem J. Forget: «¿Sería creible que tantos testigos, diferentes en edad, sexo, caracter, educación y posición social, en tan diversos tiempos y lugares, hayan sido juguetes de una ilusión de los sentidos? ¿Que todos igualmente hayan pensado ver, oir y tocar lo que no existía? ¿Que, con maravillosa conformidad, hayan tomado un vano fantasma, una creación de sus imaginaciones enfermizas por una realidad viviente, por una persona á quien conocían por relaciones diarias durante muchos años sos-

649. An Christus Judae in ultima coena Sacram Eucharistiam dederit.

Rep. affirmative. Quia Matth XVI, 20 et Marcus XIV, 18, dicunt Christum discubuisse cum duodecim Apostolis: et Marc. v. 23 de consecrato calice subdit: «Et biberunt ex illo omnes» ideoque et Judas. Juxta Lucam XXII, 21, Christus post consecrationem corporis et sanguinis, ac utriusque distributionem inter discipulos qui aderant, dixit: «Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa»: ergo Judas ibi erat, ideoque corpus et sanginem Christi sumpsit.

---

tenidas? Si semejante hipótesis pudiera ser admitida, habría que renunciar á toda certeza experimental, cerrar para siempre los libros todos de historia y dudar hasta del día que nos alumbra. Afirmar constancia y harmonía tan asombrosas en semejante error, no sería, en un racionalista, otra cosa que pretender huir de un milagro con la afirmación de otro milagro. 2.º Los primeros testigos de la resurrección no han querido engañar... Los discípulos de Jesús han dado una prueba innegable de su sinceridad, muriendo por la fé, y todo pensador serio tendrá que decir con Pascal: «Yo creo en testigos que se dejan degollar.» Además ¿qué razón, qué fin pudieran asignar á la impostura? ... O los discípulos creían en la misión celestial y en la divinidad de Cristo y esperaban verle pronto sacudir las ligaduras de la muerte, ó no lo creían, y, por consiguiente, nada aguardaban de él. Según la primera suposición, debían dejar á cargo de éste el cuidado de manifestar su resurrección, conforme la había predicho; y si su esperanza llegaba á ser burlada, no les quedaba más que un camino que tomar: abandonar la causa y detestar la memoria de un hombre que les había indignamente engañado. Y así seguramente hubieran procedido, como nos lo hace ver el lenguaje de los discípulos de Emmaús. «Nosotros esperábamos que él era el que había de redimir á Israél, y no obstante, después de todo esto, hé aquí que estamos ya en el tercer día después que acaecieron dichas cosas.» (Luc. XXIV, 21.)—En la hipótesis contraria, hubiera sido menester que una ventaja, un interés cualquiera les empeñase en creer la fábula de la resurrección y que entreviesen además la posibilidad de ganarle adeptos. Pero ninguna de estas dos condiciones se verificaba. Su empresa no podía acarrearles sino infortunios y bien merecidos castigos. Por parte de los hombres no tenían que esperar sino el odio de los judíos, persecuciones, muerte ignominiosa y cruel parecida á la de Jesús. Por parte de Dios, ¿acaso no se exponían á la pena temporal y eterna reservada á la impostura, á la blasfemia y á la impiedad idolátrica? Por último, ¿tan ciegos estaban y tan temerarios eran, que no comprendían que sus esfuerzos estaban de antemano condenados á fracasar miserablemente?.... Todos los incrédulos, desde Celso á Renan, han variado del modo más asombroso á la par que significativo en las explicaciones con que intentaron rehuir la fuerza de la evidencia histórica. La escuela naturalista había rechazado desdeñosamente la hipótesis aventurada por Celso

Id ipsum Patres, excepto S. Hilario, docuerunt; inter alios ait S. Augustinus: «Dominus traditorem suum tanta patientia pertulit, ut ei Eucharistiam sicut caeteris Apostolis traderet.» (1)

Si quaeras, cur Jesus hoc fecerat cum Juda peccatore; dicam tibi, Jesum potuisse habere justas causas dandi illi Eucharistiam; una ex his causis potuit esse, quod nollebat aperte revelare crimen Judae proditoris.

Caput VIII

De Actibus Apostolorum.

PARS CRITICA.

650. Nomen et argumentum hujus libri.=651. Ejus utilitas.=652. Ostenditur argumentis tum externis tum internis auctorem hujus libri fuisse Lucam.=653. Ejus veracitas.=654. Quo tempore et loco scriptus fuerit =655. Lingua et stylus.=656. Quid dicendum de sententia quorumdam rationalistarum dicentium hunc librum conscriptum fuisse ad conciliandos Petrinianos et Paulinianos.

650. Liber inter vocatur *Actus Apostolorum* (πραξεις τῶν Αποστόλων) Ab Oecumenio dictus est *Evangelium Spiritus Sancti.* Juxta S. Joannem Chrysot. primum nomen huic libro impositum fuit ab ipso S. Luca: nam vetustissimi codices, et Patres antiquissimi, praedicto nomine hunc librum allegant. Neque tamen ex hoc credendum est, librum Actuum omnia et singula facta Apostolorum narrare, sed ea tantum quae S. Lucae aptiora visa sunt ad instructionem et aedificationem Theophili cui dicatur liber.

---

de una ilusión por parte de los discípulos de Cristo. A su vez, Strauss se burla del sistema naturalista y regresa á la teoría de la alucinación. También Renan está por la alucinación, pero, fatigándose en hacerla verosímil, cae en las enredadas é incoherentes afirmaciones que hace poco vimos y se refuta á si propio. M. Reuss, que en otras cuestiones no cede en punto á racionalismo ni á Renan ni á Strauss, después de pasar revista á todas las explicaciones propuestas, se vé precisado á reconocer que ninguna merece el honor de una discusión seria, que es imposible eludir el milagro, y que la existencia misma de la Iglesia fundada sobre la fé en la resurrección de Cristo, constituye en favor de esta un argumento invencible.» *Dicción. Apolog.* Jaugey. *Resurrección de Cristo.*

(1) *Tract. 62 in Joann. et in Psal. 10.*

Continet hic liber 28 capita, et a Salmeron in duas partes dividitur: 1.ª a cap. I ad IX propagationem Evangelii inter judaeos; 2.ª a cap. X ad XXVIII propagationem Evangelii apud gentiles.

Brevissime loquitur Evangelista, de Ascensione Domini de electione Mathiae. Apostoli accipiunt Spiritum Sanctum die Pentecostes: ad praedicationem Petri octo millia hominum fidem Christi amplectuntur; narrantur miracula ab Apostolis patrata, et ea quae Apostoli a magistratibus Judaeorum passi sunt. Ananiae et Saphirae punitio, electio diaconorum, martyrium B. Stephani et Cornelii Centurionis cum sua familia conversio; et etiam mirabilis conversio Pauli. Deinde refert Evangelii propagationem per Syriam usque Antiochiam ubi fideles primum *Christiani* vocari coeperunt: denique martyrium Jacobi majoris, et Petri vincula a quibus per Angelum mirabiliter liberatus est (cap. XII) A capite XIII ad XXVIII, nihil aliud fere narratur, quam Pauli diversa itinera, labores et passiones pro Evangelii causa, donec in Jerusalem a Judaeis accusatus coram romano praeside, in vincula conjicitur, et paulo post Romam judicandus mittitur, ibique per biennium in carcere detinetur. Hic desinit historia Actuum Apostolorum: complectitur circiter 34 annos, scilicet a Christi Domini Ascensione usque ad biennium captivitatis Pauli (ann. 61-63).

651. S. Joannes Chrysost. utilitatem hujus libri commendans ait: «Hinc non minor nobis contingere poterit utilitas, quam ex ipsis Evangeliis.... Etenim promissa, quae Christus in Evangeliis ante verbis pollicitus erat, ea hic re praestita et exhibita videre licet, ipsamque veritatem ipsis factis relucentem intueri. Simulque videre est discipulos ad meliora transmutatos, nimirum Sancto spiritu vim suam in illis exerente.» (1) Sub adspectu *historico* negari nequit utilitas hujus libri, cum sit unicus liber historicus illius epochae, quae est fundamentalis in historia ecclesiastica. Cum enim constitutio Ecclesiae sit divina et immutabilis, scire qualis fuerit in sua origine et qualis norma seu scopus sui fundatoris, idem est ac scire quid postea fuerit, et quid usque in aeternum futura sit.

652. Authentiam hujus libri negarunt in primis Encratitae, Severiani et Ebionitae. Hos secuti sunt Manichaei et Marcio-

(1) *Hom. I. in Act. Apost.*

nitae. Nostris temporibus rationalistae asserunt librum hunc confectum fuisse saeculo II vel III. Contra hos omnes ostendemus authentiam hujus libri:

1.° *Argumentis externis:* Vetustissimae omnes versiones, universi codices, omnesque Canones Scripturarum, hunc librum inter canonicos retinent, ipsumque Lucae tribuunt.

2.° Antiqui Patres solliciti non fuerunt de demonstratione authentiae hujus libri, quia nullum inter antiquos exstitit dubium de hujusmodi authentia. Tamen plura Patrum testimonia adduci possunt. S. Clemens Rom. (1.ª ad Cor) laudans liberalitatem Corinthiorum, de ipsis dicit, quod *libentius darent quam acciperent*, quae verba procul dubio ex Actibus, XX, 35, hausta sunt.

S. Barnabas et auctor *Doctrinae Apostolorum*, illam primorum Christianorum vitam communem commendant, quae in Actibus describitur. (IV, 32.)

Tertulianus Marcionem reprehendit, eo quod rejiceret hunc librum dicens: «Cur apostolorum Acta respuatis jam apparet, ut Deum scilicet non alium praedicantia quam Creatorem, nec Christum alterius quam Creatoris, etc.» (1) S. Joannes Chrysostomus affirmat «Patres statuisse, ut Actuum liber in festo Pentecostes legeretur.» (2) Auctor Canonis Muratorii dicit, S. Lucam in compendium redegisse facta Apostolorum in quodam libro quem Theophilo dicavit. Eusebius hunc librum ponit inter ea quae dicuntur τά ὁμολογούμενα, et insuper ait: «Lucas.... duos nobis libros inspiratos reliquit.... alter liber qui inscribitur *Actus Apostolorum*, quos ille non auditione acceptos, sed oculis suis spectatos scriptis tradidit.» (3) Similiter loquitur S. Hieronymus: «Lucas Evangelium sicut audierat scripsit. Actus Apostolorum sicut ipse viderat composuit.» (4) Demum S. Augustinus scribit: «Nam quod habet, habuit et Simon Magus: Actus Apostolorum testes sunt, ille liber canonicus omni anno in Ecclesia recitandus.» (5)

2.° *Argumentis internis.* Nam 1.° auctor est *aetatis apostolicae*, ut demonstrant ejus allusiones ad res coaevas, sectas ju-

(1) *Con. Marc.* V, 2.
(2) *In princ. Act. Hom.* 4, 3.
(3) 3. *Hist. Eccl.* 4.
(4) *De Viris illust.* 18.
(5) *Tract. 6 in Joann.* 18.

daeorum, personas cum suis officiis, divisiones geographicas; lingua hebraismis admixta, et conformitas cum historia illius temporis etc.

2.° Auctor fuit *discipulus et comes Pauli;* nam scopus utriusque sive in praedicando sive in scribendo, unus est, scilicet ostendere necessitatem fidei, universalitatem redemptionis, misericordiam Dei erga gentiles, et duritiam cordis judaeorum. Comitem quoque Pauli fuisse infertur ex accurato modo narrandi Pauli itinera cum omnibus circumstantiis geographicis, ejus praedicationes, persecutiones, naufragia, quae non nisi a teste oculari ita minutim narrari potuerunt.

3.° Auctor hujus libri est etiam *auctor tertii Evangelii* nempe Lucas. Nam verba (I, 1) «Primum quidem sermonem fecit de omnibus o Theophile etc, alludunt ad tertium Evangelium, quod etiam Theophilo dicatum est. In utroque libro auctor ostendit se esse litteratum et in aegritudinibus corporalibus designandis et distinguendis, valde peritum, quod bene quadrat Lucae qui erat medicus. Demum stylus utriusque libri identicus est cum iisdem phrasibus et modismis; et postremo identico modo citantur loca Sacrae Scripturae. (1)

653. Auctor hujus libri *decipi non potuit,* quia plura quae narrat ipse suis oculis vidit: quoad acta fautem praecedentia, ea accepit a testibus fide dignis, nempe a Paulo, Apostolis et discipulis:

Decipere noluit, quia nulla erat in hoc ipsi utilitas: homo autem non mentitur, nisi propter aliquam utilitatem.

Neque *decipere potuit,* quia adhuc inter vivos erant S. Joannes, alii Apostoli, et plures discipuli, qui omne mendacium detegissent et rejecissent.

Demum intima datur conformitas inter hunc librum, et alios libros historicos Sacros et prophanos: id maxime locum habet, cum sermo est de Josepho Flav., tum in libris *De Bello Jud.*, tum in *Antiquit.*

Postremo, rationalistae, qui hanc historiam saeculo II vel III inventam et compositam fuisse asserunt, probare debent: 1.° omnes rationes quas adduximus pro authentia hujus libri esse falsas; 2.° hujusmodi inventionem et fictionem dari potuisse saeculo II et III, cum vera Christi et Apostolorum historia cognita erat christianis, haereticis, judaeis et gentilibus.

(1) Conf. Vigouroux. *Man. Bibl. los Apostoles.* P. I. Prelim.

654. Quoad *locum* quo liber hic scriptus est, communiter admittitur sententia S. Hieronymi dicentis: «Aliud quoque edidit (Lucas) volumen quod titulo Apostolorum Actuum praenotatur cujus historia usque ad biennium Romae commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum: ex quo intelligimus in eadem urbe librum esse conscriptum.» (1) Ergo hic liber scriptus est inter annum 63 ad 65. Saltem affirmari potest, exaratum fuisse ante destructionem Jerusalem; nulla enim fit mentio hujus catastrophae; et etiam ante Pauli mortem; nam carissimus discipulus Pauli, qualis erat Lucas, nullo modo omisisset relationem gloriosi martyrii sui magistri.

655. Lucas hunc librum scripsit lingua graeca, et eodem stylo ac Evangelium. Inter omnes narrationes eminent, linguae puritate et elegantia dictionis, sermones quos Paulus protulit coram Romano praeside et judaeis eum accusantibus et argumentibus: sublimis est etiam oratio Pauli apud Aeropagum. Nonnulli tamen hebraismi in hoc libro inveniuntur.

656. Neotubingiani fingunt, Lucam hunc librum scripsisse: 1.° ut apostolica dignitas Pauli, a judaeo-christianis vel potius a judaizantibus agnosceretur: et 2.° ut sic Petrinos seu judaizantes, et Paulinos sive universalistas inter se conciliaret. Ad hunc finem obtinendum historiam primitivae Ecclesiae omnino pervertit, quaedam addendo, alia omittendo, ut nullum unquam fuisse dissensum inter Paulum et Petrum ostenderet.

Ad 1.um dico, Lucam, saltem apparenter, contrarium sibi proposuisse; nam Petrus ad Apostolatum videtur assignare quasi conditiones, quod ad hoc munus electus conversatus fuerit cum Christo «*a baptismate Joannis usque in diem, qua assumptus est*» et quod *testis fuerit resurrectionis, et manducaverit et biberit cum Christo, postquam resurrexit a mortuis.* (Act. I, 21, X, 41) ¿Nonne Lucas has conditiones in Paulo adfuisse demonstrat?

Ad 2.um dicam illas dissensiones dogmaticas, quas fingunt rationalistae, inter Petrinos et Paulinos numquam exstitisse. Nam sive Petrus sive Paulus universalitatem redemptionis agnoscebant; nam Paulus semper et ubique primo judaeis Evangelium afferebat, dein gentilibus: Petrus vero Centuriorem Cornelium cum sua familia in Ecclesiam recepit. Paulus quidem duritiam cordis judaeorum reprehendit et damnat; sed etiam Petrus in primis suis

(1) *De viris illust.* Cap. VII.

orationibus judaeos accusat, quod ipsi Jesum Nazarenum virum virtutibus et signis et prodigiis a Deo approbatum interfecerint, quod Jesum sanctum et justum ante faciem Pilati negaverint et virum petierint homicidam donari sibi, auctorum vero vitae interfecerint; etiam Stephanus eos dura cervice in incircumcisis cordibus et auribus proclamat, qui semper Spiritui Sancto restiterint. ¿Quis audebit asserere librum qui talia refert scriptum fuisse ad animos judaizantium conciliandos?

Quod si quandoque Petrus parcit judaeis eorumque moribus religiosis se prudenter accommodat, id ipsum etiam fecit Paulus, quando votum solvit in templo, Timotheum circumcidit et in synedrio se Pharisaeum esse professus est.

Neque verum est quod dicunt rationalistae, nempe historiam Concilii hierosolymitani, juxta hunc librum (Act. XV) et Epist. ad Galatas esse contradictorias, dum modo diversos fines utriusque scriptoris consideremus. Nam Lucas ut historicus, cum ea tantum quae ad publicam Ecclesiae historiam pertinent, referat, non nisi externam Concilii occasionem narrat: Paulus vero qui conformitatem suae doctrinae ostendere volebat, cum doctrina antiquorum Apostolorum, ad judaizantes semper provocabat, ea tantum quae privatim cum praecipuis Apostolis egit, narrat. Itaque Paulus privatam, qua iter illud suscepit, rationem addit, quia haec jam doctrinae suae originem divinam demonstrat. (Galat. II, 2,)

PARS EXEGETICA

657. Quid judicium ferendum de sententia Gamalielis in Concilio loquentis de Apostolis (V, 34-39).=658. An Apostoli peccaverint eligendo Mathiam per sortes.=659. An Paulus licite circumcidit Timotheum.=660. Num Petrus severius egerit cum Anania et Saphira.=661. Hic locus (XVII, 28) «In ipso enim vivimus movemur et sumus» sapit ne pantheismum?=662. Num valide Apostoli baptizarent «In nomine Domini Jesu» (XIX, 5.)

657. En sententia Gamalielis in Concilio: «Dixitque (Gamaliel) ad illos: Viri Israelitae, attendite vobis super hominibus istis quid acturi sitis. Ante hos enim dies exstitit Theodas, dicens se esse aliquem, cui consensit numerus virorum circiter quadringentorum: qui occisus est: et omnes, qui credebant ei, dissipati sunt, et redacti ad nihilum. Post hunc exstitit Judas Galilaeus in diebus professionis, et avertit populum post se: et

ipse periit, et omnes quotquot consenserunt ei, dispersi sunt. Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, et sinite illos: quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini.»

¿Quid dicendum de hac sententia Gamalielis? In omni casu sequi non posse: nam Magistratus tenentur perturbatores reprimere et punire, si enim licitum esset *sinere illos*, ansa praeberetur omnibus perturbationibus et criminibus. Praeterea, caeteri judaei qui aderant Concilio poterant respondere Gamilieli, quod sicut priores illae rebelliones vi et armis dissipatae sunt, id ipsum sperandum fore de rebellione a Christianis agitata.

Sed in praesenti casu, consilium Gamalielis fuit rectum, quia sciebat causam Apostolorum esse sanctam et divinam, et praeterea ipse Deus fecit quod judaei ejus consilio consenserint.

658. Apostoli non peccaverunt eligendo Mathiam per sortes.

Quidam dicunt Apostolos peccasse: 1.° quia sortem mittere in electionibus Ecclesiasticis est illicitum, quia cadere posset super indignum, vel minus dignum: 2.° quia aliud petere esset Deum tentare: et 3.° quia Apostoli eligi debebant a Deo, non a voluntate humana; sed Mathias electus fuit a voluntate Apostolorum.

Quidam respondet dicentes, hic nomine sortis intelligendum esse suffragia secreta, quorum major numerus datus fuerit Mathiae: sed hoc gratis omnino dicitur: nam sufragia et sors res valde distinctae sunt.

Itaque ad 1.um dico, sortem mittere in electionibus Ecclesiasticis, ut regulam generalem admitti non posse: non tamen esse illicitum quando fit ex speciali privilegio, ut fecerunt Apostoli. Sic V. Beda et S. Thomas. (1) Praeterea sors in nostro casu cadere non poterat super indignum vel minus dignum, quia Mathias et Josephus Barsabas, ejusdem meriti et gradus virtutis ab Apostolis judicati sunt.

Ad 2.um respondeo, Apostolos Deum non tentasse: hoc enim locum habuisset, si sortem indifferenter super turbam discipulorum misissent; poterant enim plures esse indigni: sed,

(1) *Summ. Theol.* 2. 2. q. XCV, art. 8.

ut supra dictum est, Apostoli elegerunt inter omnes Mathiam et Josephum qui meritis et dignitate eminebant, ut sors semper caderet super dignissimum.

Ad 3.um dicam, Mathiam et Josephum electos fuisse voluntate et judicio humano; sed ita ut, haec voluntas et hoc judicium omnino subjicerentur voluntati et judicio divino, ut infertur ex his verbis: «Et orantes dixerunt: Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris ex his duobus unum.» (1) Ex quo concludit S. Augustinus: «Electi sunt duo judicio humano, electus est ex duobus unus judicio divino.» (2) Unde Mathias vere dici potest electus a Deo in Apostolatum.

659. Paulus licite circumcidit Timotheum. Nam quamvis circumcisio non obligaret Gentes ad Christum conversas, ut Apostoli definiverunt pleno Concilio (3), tamen non erat prohibita neque illicita. Ponere vero actum ex se non illicitum ob gravem aliquam causam, licitum est; et ita se gessit Paulus; nam causa qua movebatur erat, ne offenderet Judaeos, qui sciebant Timotheum nondum esse circumcisum, quia pater ejus erat gentilis sed mater judaea.

660. Petrus severius non egit erga Ananiam et Saphiram. In primis hos, non Petrus, sed ipse Deus morte percussit. Peccatum autem fuit, non merum mendacium, sed violatio voti paupertatis quo fideles illa aetate se passim obstringebant, ut communiter tenent doctores. Quod si quis quaerat, quare Deus tam severe egerit, communiter interpretes censent, id factum esse ad confirmandam Apostolorum auctoritatem in Ecclesiae primordiis, et ad fidelibus debitam erga Pastores reverentiam ac sinceritatem inculcandam, nec non horrorem de peccato. Tamen probabile est, Ananiam et Saphiram quoad vitam tantum temporalem fuisse punitos: et ad reprehensionem Petri poenitentes et contritos obiisse.

661. Hic locus (XVII, 28) «In ipso enim vivimus, movemur et sumus» ¿sapit ne Pantheismum?

Hunc locum, pantheismum minime sapere, facile infertur ex contextu; nam Paulus perfecte distinguit Deum ab hominibus, et substantiam divinam ab omni mundana substantia. Apostolus ostendere vult, Deum non egere templis, nec artefactis humanis,

(1) *Act.* I, 24.
(2) *Serm. 2 in Psal.* 30.
(3) *Act.* XV.

nec ulla re a se distincta, cum ipse sit causa omnium: et ad argumentum confirmandum, recurrit ad immensitatem Dei, qua Deus est substantialiter praesens omnibus rebus, et praesertim hominibus, ipsis tribuens, non per emanationem vel per alium modum pantheisticum, sed causaliter, vitam, ipsos efficaciter movens ad agendum, et conservans eorum esse. Sic praedictum locum interpretantur Patres: et quidem S. Augustinus scribit: «Dum aliud sumus quam ipse Deus, non ob aliud in illo sumus, nisi quia id operatur.» (1) S. Anselmus: Quoniam nihil sine Deo potest esse aut conservari, dicere cogimur Deum ubique et semper esse. (2)

662. Num valide Apostoli baptizarent «In nomine Domini Jesu.» (XIX. 5.)

Resp. formam ordinariam Baptismi illam esse «*Ego te baptizo in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti.*» Tamen constat ex citato loco Actuum, et ex capitibus II, VIII et X ipsius libri Apostolos baptizasse *in nomine Domini Jesu,* vel *in nomine Jesu Christi:* et credibile non est ipsos baptizasse absque forma valida.

Confirmatur haec sententia auctoritate Patrum: S Cyprianus ait: «Alia enim fuit Judaeorum sub Apostolis ratio, alia est gentilium conditio. Illi qui jam legis et Moysis antiquissimum baptisma fuerant adepti, in nomine quoque Jesu Christi erant baptizandi, secundum quod in Actibus Apostolorum Petrus loquitur et dicit: Poenitemini et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini Jesu... Denique ubi post resurrectionem Domini apostoli ad gentes mittuntur, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizari gentiles jubentur.» (3)

Demum tunc aderat causa legitima dispensandi in forma ordinaria, nempe ut nomen Christi quod Judaeis erat odiosum, honorabile redderetur per hoc quod ad ejus invocationem Spiritus Sanctus conferebatur in Baptismo, et ita convincerentur Jesum Nazarenum esse verum Messiam. (4)

Hoc Apostolos valide et licite fecisse ex divina dispensatione tenent inter alios, Alensis, Scotus cum sua schola, Durandus, Valentia, Toletus, Gonet, etc.

---

(1) *De Genes. ad litt.* Lib. IV, cap. 12, n. 23.

(2) *Monolog.* Cap. 22.-Conf. etiam, *Summ. Theol.* S. Thom. I. P. q. VIII, et *Contr. Gent.* Cap. 68.

(3) *Epist. 73 ad Jubajanum,* apud Billuart.

(4) Conf. Billuart. *Summ. Theol. Tract. de Bapt.* Dissert. I. Art. IV.

Caput IX

De libris sapientialibus seu Epistolis.

663. De numero et divisione Epistolarum. Ordo chronologicus. = 664. Vita Pauli Apostoli.—665. Ejus itinera. = 666. Quae sint Epistolae Pauli. = 667. Num aliqua ex Epistolis Pauli deperdita sit. Epistolae apocryphae.

663. Epistolae, quae etiam libri *sapientales* vel *morales* dicuntur, eo quod earum scopus sit mentes Christianorum, doctrina fidei illustrare, bonos mores efformare et conservare, atque vitia et peccata reprehendere, numerantur 21; scilicet, quatuordecim B. Pauli, duae B. Petri, tres B. Joannis, una B. Jacobi et una B. Judae.

Dividi possent in *catholicas, pastorales, particulares* et *familiares*. Epistolae *catholicae* illae dicuntur quae pro omnibus Christi fidelibus scriptae sunt: inter *catholicas* numerantur, quamvis non ab omnibus, Epistola B. Pauli ad Ephesios, duae B. Petri, prima B Joannis, et Epistolae B. B. Jacobi et Judae. Epistolae *pastorales* illae dicuntur quae ad Episcopos vel Pastores Ecclesiae, pro eorum instructione missae sunt: ut Epistolae ad Titum et Timotheum. *Particulares* vocantur, quae pro aliqua determinata Ecclesia scriptae fuerunt; ut sunt omnes Epistolae B. Pauli, exceptis his quae sunt ad Titum, ad Timotheum et ad Ephesios. Demum Epistolae *familiares* illae sunt quae Apostoli miserunt ad aliquam personam particularem, sed dignitate episcopali non adornatam: tales sunt, secunda et tertia Joannis et Epistola B. Pauli ad Philemonem. Ordinem chronologicum, quamvis non omnino certum, jam statuimus in prolegomenis hujus Sectionis. Recole igitur quae ibi diximus. (1)

664. Sic S. Hieronymus vitam Pauli describit: «Paulus Apostolus, qui ante Saulus, extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu Benjamin et oppido Judaeae Gischalis fuit (2), quo a Romanis capto, cum parentibus suis Tarsum Ciliciae commigravit, a quibus ob studia legis missus Hierosolymam, et Gamaliele, viro doctissimo, cujus Lucas meminit, eruditus

(1) Pag. 367.

(2) Communiter creditur, Paulum natum fuisse Tarsi in Cilicia.

est. Cum autem interfuisset neci martyris Stephani, et acceptis a pontifice templi epistolis, ad persequendos eos, qui Christo crediderant, Damascum pergeret, revelatione compulsus ad fidem, quae in Actibus Apostolorum scribitur, in vas electionis de persecutore translatus est, cumque primum ad praedicationem ejus Sergius Paulus, proconsul Cypri, credidisset, ab eo, quod eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen Paulus: et juncto sibi Barnaba, multis urbibus peragratis, revertensque Hierosolymam, a Petro, Jacoboque et Joannne gentium Apostolus ordinatur. Et quia in Actibus Apostolorum plenissime de ejus conversatione scriptum est; hoc tantum dicam, quod post passionem Domini vicesimoquinto anno, idest, secundo Neronis, eo tempore, quo Festus, procurator Judaeae, successit Felici, Romam vinctus mittitur; et biennium in libera manens custodia, adversus Judaeos de adventu Christi quotidie disputavit. Sciendum autem in prima satisfactione, necdum imperio Neronis roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiae, Paulum a Nerone dimissum, ut Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus praedicaret, sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum, eo tempore, quod et passus est, et de vinculis dictat epistolam... Hic ergo XIV Neronis anno, eodem die, quo Petrus, Romae pro Christo capite truncatus, sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini tricesimo septimo· (1)

665. Cum multum utilitatis afferant itinera S. Pauli, ad pleniorem intelligentiam suarum Epistolarum, ideo aliqua de his itineribus dicemus

Paulus post suam conversionem et suscepto Baptismo, intrepide Christum tum in Arabia, tum Damasci praedicavit. Veniens Hierosolymam vidit Petrum, apud quem quindecim dies mansit (Gal. I); sed cum Judaei necem ei parassent, per Caesaream Tarsum Ciliciae venit, ubi diu commoratus est.

Deinde Antiochiae simul cum Barnaba praedicavit Evangelium, et ab eadem Ecclesia designati sunt, ut eleemosynas fratribus Judaeam incolentibus defferrent. Denuo reversus Antiochiam Paulus (Act. XII, 25) una cum Barnaba et Marco, *primum iter apostolicum* suscepit. ann. 45 in regiones gentilium, et Evangelium docuit, atque Ecclesias fundavit in insula Cypro,

(1) *De viris Illust.* 16.

Pergae in Pamphilia, Antiochiae in Pisidia, Iconii, Listris et Derbae (XIII, 1, XIV, 26). Reversus est Antiochiam Syriae, et postquam ibi aliquod tempus commorasset *secundum iter apostolicum* una cum Sila instituit, et peragravit Syriam, Ciliciam, Derben et Lystram; deinde, juncto sibi Timotheo, Phrygiam, Galatiam Mysiam et Bithyniam usque ad Troadem; inde vero, comitante etiam Luca, transiit in partem orientalem Europae, et nuntiavit Christi Evangelium in Macedonia, Philippensibus et Thessalonicensibus; denique etiam praedicavit verbum Dei, Athenis et Corinthi (Act. XV, 36; XVIII, 22). Hiemem ann. 54 Antiochiae peregit Paulus, sed ineunte sequenti anno, *tertium iter apostolicum* suscepit, et visitavit Ecclesias quae in Phrygia et in provincia Galatia fundaverat; et Ephesum pervenit, ibique duobus annis commoratus est (Act XIX, 10 seqq.); dein perrexit in Macedoniam usque ad Illyricum (Rom. XV, 19); Nicopoli in Epiro hiemavit, tres menses in Achaja, praesertim Corinthi, transegit, et demum per Macedoniam, Asiam minorem, Tyrum et Caesaream reversus est Hierosolymam. (Act. XVIII, 23; XXI, 17). Hierosolymis accusatus a judaeis coram procuratoribus Romanis Felice ac Portio Festo, cum ad Caesarem appellasset, Romam missus est, et multis periculis superatis in via, tandem Romam pervenit, ubi per biennium mansit. Postea e captivitate liberatus in Orientem reversus est, unde iterum Romam venit, ibique martyrium subiit. Controvertitur inter criticos, num Apostolus venerit in Hispaniam, sicut ipse volebat. (Rom. XV, 24-28).

666. Epistolae Pauli quatuordecim numerantur: scilicet, novem *particulares*, nempe ad Romanos, duae ad Corinthios, ad Galatas, ad Philippenses, ad Colossenses, duae ad Thessalonicenses et ad Hebraeos; tres *pastorales*, scilicet, duae ad Timotheum et una ad Titum; una *catholica*, illa nempe quae dicitur *ad Ephesios*: et una *familiaris*, id est, Epistola ad Philemonem.

667. Juxta aliquos, quaedam Epistolae Pauli deperditae sunt, nempe, tertia ad Corinthios, tertia ad Tessalonicenses, et Epistola ad Laodicenses.

Nam (1. Cor. V, 9) legimus: «Scripsi vobis in Epistola: ne commisceamini fornicariis»; ergo Paulus ante primam Epistolam aliam scripsit ad Corinthios.

Ad probandam existentiam tertiae Epistolae ad Thessalo-

nicenses, haec verba adducuntur (2. Thess. II, 1-2): «Rogamus autem vos fratres per adventum Domini nostri Jesu Christi et nostrae congregationis in ipsum: ut non cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermo nem, neque per epistolam tamquam per nos missam, quasi instet Dies Domini»

Pro existentia Epistolae ad Laodicenses, quidam afferunt hunc locum (Colos. IV, 16): «Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut in Laodicentium Ecclesia legatur, et eam quae Laodicentium est, vos legatis.»

Sed Epistola ad Laodicenses a S. Hieronymo et aliis interpretibus habetur ut apocrypha, sicut et sex Epistolae Pauli ad Senecam, et octo Senecae ad Paulum. Sed de his, sicut et de Epistolis Pauli deperditis, alibi locuti sumus; recole ergo, quae ibi diximus. (1)

Caput X

De Epistola ad Romanos.

PARS CRITICA

668. Ecclesiae Romanae fundatio.=669. Occasio et scopus hujus Epistolae. Diversae opiniones in hac re.=670. Quo tempore et loco scripta fuerit. =671. Qua lingua et stylo.=672. Probatur authentia hujus Epistolae. Solvuntur objectiones.=673. Argumentum Epistolae.

668. Cum Paulus hanc Epistolam ad Romanos scripsit, jam Romana Ecclesia fundata erat, vitaque prospera ac foecunda gaudebat. (2) Hanc Ecclesiam fundavit S. Petrus, initio imperii

(1) *Introd. Gene.* Sect. I. Cap. II.

(2) Hallábase establecida en Roma, ait Vigouroux, desde cerca de un siglo una colonia de judíos. Augusto la había tratado con benevolencia. No contento con asegurar el libre ejercicio de su culto, le había concedido una porción considerable de la región transtiberina. Dicha colonia era ya notable en esta época, como lo prueba el hecho de haberse juntado ocho mil judíos de Roma, con los diputados de la Palestina, para reclamar cerca de este príncipe contra el testamento de Herodes. Pues bien, leemos en San Lúcas, que cierto número de judíos y prosélitos, habiendo venido de Roma á Jerusalem el año de la muerte del Salvador, habían asistido al milagro de la Pentecostés y oido el primer discurso de S. Pedro. Es de creer que varios se convirtieron y llevaron consigo á la capital del imperio

Claudii, ut testantur S. Dionysius, S. Irenaeus el Tertullianus. Hoc confirmatur ex speciali modo quo Paulus Romanos alloquitur, nempe cum quadam reverentia, et quasi se excusans quod iis praedicare vellit (I, 8-11), quare id temperat illis verbis «id est simul consolari in vobis per eam, quae invicem est fidem vestram, atque meam.»

Etiamsi haec testimonia non haberemus, suprema dignitas Petri exigebat, ut fideles romanos non desereret, sed potius stabiliter illam Eclesiam fundaret, quae futura erat mater et magistra omnium Ecclesiarum.

669. Inter veteres Ambrosiaster, S. Augustinus et S. Hieronymus, et recentioribus temporibus Estius, Cornelius a Lapide, Calmet, Lamy, Danko, Ubaldi et alii, putant, occasionem hujus Epistolae fuisse contentiones et divisiones inter christianos judaeos et gentiles, qui propriis meritis vocationem ad fidem tribuebant, nempe judaei generi suo et observantiae Legis; gentiles vero virtutibus et sapientiae suorum philosophorum. Praedicti interpretes in hoc fundantur, quod totum argumentum Pauli in hac Epistola sit ostendere vocationem et justificationem esse dona Dei gratuita: Paulus vero sic locutus non fuisset ad Romanos, si inter eos non exstitissent contentiones de quibus facta est mentio.

Tamen ex ipsa Epistola inferri videtur, nullas inter christianos romanos exstitisse tunc contentiones: nam Paulus multum laudat fidem romanorum, dicens «Primum quidem gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis; quia fides vestra annuntiatur in universo mundo. (I, 8). Et etiam Paulus mutuam Christianorum Romanorum fraternitatem commemorat, dum scribit: «Certus sum autem fratres mei et ego ipse de vobis, quoniam et ipsi pleni estis dilectione, repleti omni scientia, ita ut possitis alterutrum monere.» (XV, 14).

---

las primeras semillas de la fé. Uniéronse probablemente á estos primeros fieles algunos judíos de la Sinagoga de los *Libertos* Λιβερτίνων, que habían nacido en esta ciudad ó en las cercanías, y gentiles de la cohorte Itálica, vueltos de nuevo á Italia después de la elevación de Herodes Agrippa, al trono de Judea. Por último, sabemos que S. Pedro, obligado por su cargo á ponerse á la cabeza de la Iglesia, fué él mismo á Roma á organizar esta cristiandad naciente, como había organizado la de Antioquía, y que mucho tiempo antes de la ruina de Jerusalem, desde el comienzo del reinado de Claudio, establece su asiento en la capital del mundo.» *Man Bibl. Epist á los Rom.*

Motiva quae Apostolum impulerunt ad hanc Epistolam scribendam, alia fuerunt; nempe, 1.um quod Romae plures habuisset amicos et discipulos, qui Apostoli monita et consilia, saltem scriptis scire cupiebant. Simplex lectio capitis XVI, et postremi hujus Epistolae, sufficit ut quis clarissime videat, Apostolum plures Romae habuisse amicos et discipulos, quibus salutationes mittit. 2.um Quod Paulus noverat, Roman tunc esse caput, ut ita dicam totius mundi: quod in hac civitate erant gentes omnium nationum: quod illa magna civitas relationes commerciales et politicas cum civitatibus totius orbis habebat: unde Romae Evangelium praedicare, idem erat ac ipsum praedicare in universo mundo; et haec localis predicatio facile extendebatur per totum mundum. 3.um Diuturna absentia S. Petri, propter decretum expulsionis Claudii, necessitatem praesidendi concilium Hierosolymitanum et alias causas: 4.um praeparare animos romanorum, ut sua consilia et monita reverenter reciperent, cum ipse transiret per Romam ut proficisceretur in Hispaniam: et demum 5.um Paulus constitutus fuerat Apostolus gentilium; jam vero, post decretum expulsionis Claudii, Ecclesia Romana, non nisi gentibus constabat; unde Paulus, ut muneri suo satisfaceret, hanc Epistolam eis misit.

Tamen opinio S. Augustini, non est omni fundamento destituta. Paulus enim optime noverat characterem judaeo-christianorum, qui nimis gloriabantur de sua fidelitate erga Legem; et etiam gentilium qui ad coelum extollebant sapientiam et virtutes suorum philosophorum: unde, non ad dirimendas controversias jam existentes, sed ad eas praecavendas, hanc scripsit Epistolam, ut omnibus semel atque iterum notum faceret, vocationem ad fidem esse omnino gratuitam. Unde profunde disserit de praedestinatione, de gratia et merito, de libero arbitrio et de lege peccati, de humanae naturae corruptione per peccatum primi parentis, et de Redemptione per Christum, de lege naturae et lege Moysis, et concludit justificationem, non ex observantia legis Moysis, nec ex propriis meritis, sed ex beneplacito Dei et Christi meritis pendere.

670. Juxta communem sententiam, haec Epistola scripta fuit ann. 58: unde inter Epistolas non est prima ordine chronologico, quamvis primo loco ponatur praesertim ob dignitatem Ecclesiae Romanae, ad quam est directa. Scripta autem est Corinthi, sicut infertur ex salutatione quam mittit Cajo hospiti suo (quem ipse

baptizaverat) et Erasto Arcario civitatis, qui cives erant Corinthi (Act. XX, 2; Rom. XVI, 1-23; I, Cor. I, 14; II, Tim. IV, 20); tum ex eo quod hanc Epistolam attulisset Phoebea, diaconissa Ecclesiae Cenchrensis: erat autem Cenchrae florentissimus Corinthi portus. Paulus hanc epistolam scripsit cum proficisceretur in Jerusalem, sicut ipse dicit: (XV, 25-26) «Nunc igitur proficiscar in Jerusalem ministrare sanctis. Probaverunt enim Macedonia et Achaja collationem aliquam facere in pauperes sanctorum, qui sunt in Jerusalem.» Epistola fuit a Paulo dictata, sed exarata a quodam Tertio qui salutationem mittit: «Saluto vos ergo Tertius, qui scripsi Epistolam, in Domino.» (XVI, 22.)

671. Ex universali traditione, ex Patribus, ex versionibus etc. constat, hanc Epistolam lingua graeca exaratam fuisse. Salmeron et Harduinus docuerunt, eam fuisse scriptam primitus lingua latina: 1.° quia Romanis scripta est qui lingua latina loquebantur: 2.° quia etiam nomen amanuensis, Tertius, latinum redolet.

Haec tamen opinio merito rejicitur; et ad 1.um dico, Epistolam missam fuisse a Paulo non tantum ad Romanos-latinos, sed etiam ad Judaeos Romae degentes. Praeterea, lingua graeca vulgatissima erat inter Romanos, et usus erat Romanis graece loqui, ita ut Juvenalis de feminis dicat: «Se non putat ulla formosam, nisi quae de Thuscula graecula facta est.» (1) Fortasse, Apostolus nec latine, nec hebraice scripsit, ut ne Judaeos, nec Romanos offenderet. Quoad 2.um Amanuensis Tertius, bene potuit, vel Corinthum ire vel ibi alia de causa reperiri. Quidam legunt *Terentius*, et dicunt nomen *Tertius* non esse originarium sed interpretationem. Demum juxta Grotium et Beza, Tertius non fuit amanuensis, sed qui ex autographo scripsit Epistolam: sed haec sententia jure et merito exploditur.

Stylus elegans est supra modum pluribus in locis: et vere sublimis cum divinam praedestinationem et praescientiam atque hominis superbiam evolvit.

672. Ebionitae aliaeque sectae judaizantes non negarunt hanc Epistolam esse Pauli, sed tamen eam rejiciunt, hac tantum ratione, nempe, quod sit Pauli.

Protestantes recipiunt hanc Epistolam, eamque multum laudant, eo quod ipsis videatur, eorum doctrinam de sola fide justificante, hac Epistola confirmari.

(1) *Sat.* 6.

Baur et Zeller, negant integritatem hujus Epistolae, Pauloque abjudicant duo postrema capita, sicut jam fecerat Marcion, teste Tertulliano.

Contra hos omnes probatur authentia hujus Epistolae: Nam frequentes allusiones fiunt a Patribus Apostolicis ad hanc Epistolam: S. Clemens Romanus eodem modo et ordine ac Paulus ennumerat peccata quae ab homine christiano detestari debent. (1) S. Ignatus Martyr, loquens de Christo, fere iisdem verbis ac Apostolus utitur, «...qui factus est ei ex semine David secumdun carnem.» (2) S. Polycarpus, procul dubio, ob oculos habuit hoc testimonium Pauli: «Omnes enim stabimus ante tribunal Christi.» (3) Demum S. Justinus Mart. ad perversitatem judaeorum damnandam eosdem Psalmos adhibet, eodemque ordine ac Apostolus. (4)

Omnes Patres saeculo 2.° posteriores unanimiter agnoscunt authentiam atque divinam inspirationem hujus Epistolae.

Omnes versiones, omnesque codices, hanc Epistolam continent eamque integram.

Demum haeretici, ut Basilides, Valentinus, Heracleon aliique hujus Epistolae authentiam agnoverunt.

Objectiones, 1.ª Caput XV et XVI, non habentur in Canone Marcionis, teste Origene.

Resp. auctoritatem Marcionis nullam esse in hac re, cum ipse ad suos errores cohonestandos, varios libros Sacrae Scripturae truncaverit.

2.ª Verbum *Amen* quod in fine cap. XV et XVI invenitur, duplicem terminationem Epistolae supponit.

Resp. praedictum verbum *Amen*, etiam in fine cap. XI, et vers. 5 cap. IX reperiri, quin ex hoc liceat inferre Epistolam habere quadruplicem terminationem; quod dicendum esset in sententia adversariorum.

3.ª Doxologia qua finitur Cap. XVI, in quibusdam codicibus vetustissimis legitur in fine cap. XIV: ergo hic terminatur Epistola.

Resp. Cum cap. XVI, eo quod praesertim constet salutationibus, non ita opportunum esset ut legeretur in Ecclesiis, in

(1) *Rom.* I, 29-32.=S. *Clem.* 1. Cor. 35.
(2) *Rom.* I, 3.=S. Ignat. *ad Smyrn.* 1.
(3) *Rom.* XIV, 10.=S. Polyc. *ad Philpp.* 6.
(4) *Rom.* III. 10 et seqq.—S. Just. M. *c. Triph.* 27; apud Cornely.

quibusdam codicibus suppressum est; sed noluerunt magnificam dexologiam qua terminatur, supprimere; et cum cap. XV aptam haberet terminationem, praedictam doxologiam apposuerunt ad finem cap. XIV.

4.ª S. Paulus numquam visitaverat Romam, ergo incredibile videtur quod tot amicos in illa civitate habuisset. Prisca et Aquila, quos etiam salutat non Romae sed Ephesi commorabantur. Demum inter viginti et quatuor nomina eorum omnium quos salutat, 16 sunt graeca, 7 latina et 1 hebraicum; quae omnia ostendere videntur, hanc Epistolam scriptam fuisse non ad Romanos sed ad Ephesios.

Resp. non esse mirum quod Apostolus tot amicos habuisset Romae; nam frequentissimae erant relationes inter Asiam et Romam.

Prisca et Aquila vivebant Ephesi; sed ob commotionem populi agitatam a Demetrio contra Paulum, Epheso relicto reversi sunt Romam: et hic commorabantur, cum Apostolus suam scripsit Epistolam.

Quoad id quod additur de nominibus, dicendum est, Paulum cognovisse in Asia, amicos romanos quos salutat nominibus graecis. Quod vero, tertia fere pars horum nominum sit latina, facilem explicationem habet: quia hujusmodi nomina non rara erant etiam in Oriente: et praeterea plures orientales, cum Romae suum domicilium statuerent, sua nomina latinizabant, si ita loqui fas est, ut fecerunt, Paulus et Marcus.

673. Haec Epistola continet decem et sex capita, et dividi potest in duas partes, quarum prima est *dogmatica*, altera vero *moralis*. Prima pars complectitur undecim priora capita. Praemittit salutationem, ponderat fidem romanorum, et fatetur pluries desiderasse Romam petere, sed usque tunc fuisse prohibitum; et statim probare aggreditur vocationem tum gentium tum judaeorum ad Evangelium, esse debitam non eorum meritis, sed tantum misericordiae Dei. Nam cap. I et II refutat Judaeos gloriantes de sua lege a Deo ipsis data, ostendens gentiles ipsis non fuisse inferiores, dicens: «Cum enim gentes, quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.» (1) Gentiles etiam qui de

(1) II, 14 ad Rom.

suorum philosophorum virtutibus et sapientia gloriabantur, refutat dicens: «Quia cum cognovissent (philosophi gentiles) Deum non sicut Deum glorificaverunt.» (1) Et subjungit: «Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditia etc.» (2) Deinde tum gentiles tum judaeos docet, natos esse peccatores et inimicos Dei, et ideo neminem eligi neque justificari nisi per solam misericordiam Dei ob merita Christi: «Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei. Justificati per gratiam ipsius per redemptionem, quae est in Christo Jesu.» (3) Ut fidei necessitatem demonstret sumit exemplum Abrahae justificati per fidem et bona opera. Ad haec omnia confirmanda evolvit doctrinam de praedestinatione invocans factum Esau et Jacob, quid antequam aliquid boni vel mali egissent, primus odio habitus est, alter vero dilectus, quin hoc factum ullam in Deo injustitiam supponat, cum in manu ejus sit vasa in honorem et vasa in interitum facere. Demum asserit Judaeos non omnes repulsos fuisse, sed aliquos fuisse electos ad salutem. Sed iterum atque iterum animadvertit in nullo esse gloriandum, cum nemo aliquid Deo dederit antequam ab Ipso acciperet.

A capite XII, Epistola est jam *moralis*, et agit de virtutibus ac vitiis. Hortatur Romanos ut bene charismatibus a Deo acceptis utantur: ut mutuo se diligant, magistratibus ex conscientia obediant, luxuriam vitent: loquitur etiam de distinctione ciborum; denique nonnullas personas commendat, plures salutationes mittit, et finem facit dicendo «*gloriam Deo per Jesum Christum.*»

(1) I, 21 ad Rom.
(2) I, 24 ibid
(3) III, 25 ibid.

PARS EXEGETICA

674. Quomodo intelligenda sint verba, cap. II, 14: «Cum enim gentes quae legem non habent, naturaliter ea, quae legis sunt, faciunt, ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex: qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.»—675. Expositio hujus loci (III, 28): «Arbitramur enim justificari hominem per fidem sine operibus legis.=676. Exponatur hic locus (V, 13): «Usque ad legem peccatum erat in mundo: peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset.»=677. Expositio hujus loci (VII, 7): Sed peccatum non cognovi nisi per Legem: nam concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces.»=678. Quae doctrina theologica inferatur ex cap. IX, 11-22: «Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni vel mali egissent etc.=679. Quid significent haec verba (XII, 1): «Rationabile obsequium vestrum.»=680. Quomodo intelligendus sit hic locus (XIII, 1): Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: Non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.»=681 Exponatur hic locus (XIV, 23) «Omne autem quod non est ex fide peccatum est.»

674. Pelagiani male interpretantes, v. 14. cap. II, hujus Epistolae, docuerunt, aliquos gentiles sine fide et gratia Christi, per solas vires naturae et liberi arbitrii, implevisse legem Dei: sed haec doctrina damnata est ut haeretica a Conc. Milevitano, can. 5, et Trident. Sess. VI, cap. VIII; cum fides sit fundamentum et radix omnis justificationis. Unde locus, de quo est quaestio, intelligendus est de gentibus, sive Christi adventum praecesserint sive secutae sint, quae per Christi fidem et gratiam, ea quae legis sunt fecerunt. Illud autem verbum *naturaliter*, non significat sufficientiam virium naturae, sed absentiam Legis scriptae: ad rem S. Augustinus: «Ideo dicuntur sine lege naturaliter quae legis sunt facere, quia ex gentibus venerunt ad Evangelium, non ex circumcisione, cui lex data est, et propterea naturaliter, quia ut crederent, ipsa in eis per gratiam correcta est natura.» (1) Sensus ergo praedicti loci est: «*Gentes quae Legem Scriptam non habent, naturaliter, id est, absque hac lege scripta, sed per fidem et gratiam Christi ea quae legis sunt, faciunt.*» (2)

675. Hic locus, III, 28, «Arbitramur enim hominem justificari per fidem sine operibus Legis» sic a protestantibus interpretatur, quasi nuda fides, absque operibus sufficeret ad justi-

(1) *Lib. IV, cont. Julian.* cap. 3.

(2) S. Thom. 1. 2. q. CIX, art. 4 ad. 1

ficationem: sed haec interpretatio est erronea. Apostolus enim ostendere vult judaeis, eorum vocationem ad Evangelium esse omnino gratuitam, et minime debitam observationi Legis scriptae; unde Apostolus infert adimpletionem Legis scriptae non essse necessariam neque sufficientem ad justificationem; sed ad hoc necessarium esse atque sufficere fidem in Christo, qua non modo credimus, sed etiam agimus conformiter cum hac fide: nam ut ait S. Augustinus: «Fides impetrat spiritum largiorem: diffundit spiritus charitatem; implet charitas legem.» (1)

676. Hic locus, cap. V, 13 «Usque ad Legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cum Lex non esset.» sic exponitur: Usque ad Legem scriptam, peccata erant in mundo, ut totidem trangressiones legis naturalis; et haec peccata a Deo puniebantur juxta eorum gravitatem; sed peccata non *imputabantur* ad illas determinatas poenas quae postea in Lege scripta consignatae sunt; unde gentiles, etiam post Legis scriptae promulgationem, non subjiciebantur hujusmodi poenis legalibus.

677. Exponitur, v. 7. cap. VII: «Sed peccatum non cognovi nisi per Legem nam «concupiscentiam nesciebam, nisi Lex diceret: Non concupisces.»

Juxta S. Hieronymum, his verbis Apostolus non dicit, homines peccatum non cognovisse usque ad Legem scriptam; sed tantum, eos non habuisse ut peccata, quaedam facta vel omissiones, quae postea a Lege prohibita sunt; ut desideria prava, quae Apostolus nomine *concupiscentiae* designat. Et scimus, etiam post Legem, mendacium, odium inimicorum et alia, ut peccata habita non fuisse, quod ex Evangeliis constat.

678. Quae doctrina theologica inferatur ex cap. IX, v. 11 22. «Cum enim nondum nati fuissent, aut aliquit boni egissent, aut mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret), non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; Quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui. ¿Quid ergo dicemus? ¿Numquid iniquitas apud Deum? Absit. Moysi enim dicit: Miserebor cujus misereor, et miserebor cujus miserebor. Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei. Dicit enim Scriptura Pharao-

(1) *Epist. CXLV, 3.=Conc. Trid. Sess. VI, De justif., cap. 6, 7* =S. Thom. 1. 2. q. CXII, art. 3 et 7.

ni: Quia in hoc ipsum excitavi te, ut ostendam in te virtutem meam: et ut annuntietur nomen meum in universa terra. Ergo cujus vult miseretur, et quem vult indurat. Dicis itaque mihi: Quid adhuc quaeritur? voluntati enim ejus quis resistit? O homo, tu quis es, qui respondeas Deo? Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit: Quid me fecisti sic? Aut non habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam? Quod si Deus volens ostendere iram, et notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientia, vasa irae, apta in iteritum etc.»

Juxta omnes catholicos, ex his verbis infertur, saltem vocationem omnium ad fidem esse omnino gratuitam, et non ex propriis meritis hominis.

Cum vero de electione seu praedestinatione agitur, omnes etiam theologi catholici, contra Calvinum fatentur, reprobationem esse post praevisa demerita. Quoad praedestinationem autem ad gloriam, magna lis est inter theologos: nam hi qui *congruistae* vocantur, asserunt, Deum praedestinare homines ad gloriam post praevisa merita, (vi scientiae mediae) et suam sententiam confirmant, solidis admodum argumentis desumptis tum ex Sacra Scriptura, tum ex S. S. Patribus: *thomistae* vero, argumentis non minus solidis, desumptis praesertim ex loco quem citavimus, et etiam ex S.S. Patribus, deducunt, praedestinationem hominis ad gloriam esse ante praevisa merita. Quidquid sit, quaestio haec, cum ab Ecclesia non sit definita, libera est. Sed meo pauperrimo judicio, tum S. Scriptura, in locis supra allegatis, tum Patres, tum philosophica ratio, magis favent sententiae *thomistarum* quam *congruistarum:* cum etiam *congruistae* fateantur Deum libere omnino hominem constituere in *circumstantiis congruis* ex quibus pendet aeterna ejus salvatio: videtur tandem sententiam *congruistarum* cum ipsa thomistarum sententia confundi. Cum hoc negotium magis proprie ad theologos pertineat, eam ipsis relinquimus Illud tantum dicemus, ea verba «Esau autem odio habui» non de odio proprie dicto, sed de minore amore intelligenda esse. (1)

679. Quid significent haec verba, Cap. XII, 1: «Rationabile obsequium vestrum.»

---

(1) Conf. Billuart. *Summ. S. Thomae. Tract. de Deo praesertim Dissert,* IX.

A nonnullis haec verba citantur ad ostendendum fidem nostram conformem esse nulloque modo oppositam rationi; hoc verissimum est: sed Apostolus de hoc non agit in praedicto versu, sed de cultu, qui debet esse, non carnalis, corporeus et mere externus, sed *spiritualis*, et sic rationi conformis: nemo enim dicit esse cultum rationi conformem, qui Deo tribuitur solis actionibus corporis, qualis erat cultus pharisaeorum, et est cultus omnium hypocritarum·

680. Quomodo intelligendus sit, vers. 1, cap. XIII.

Ex primis verbis «Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit» infertur naturalem hominis statum esse statum socialem adversus Hobbes et Rousseau, qui quamvis non eadem ratione docuerunt, naturalem hominis statum in vita segrege et silvestri ponendum esse; a quo statu homines recesserunt mutuo pacto se invicem juvandi et tuendi, creatis juribus et officiis singulis tribuendis; (1) quod historiae generis humani, naturali

(1) Audi clar. C. Périn: «Para Hobbes y J. J. Rousseau, que son los partidarios más decididos y consecuentes del estado de naturaleza, este estado no es solamente una hipótesis, que sirve para caracterizar la situación jurídica de los pueblos independientes en sus mutuas relaciones, sino que es un hecho histórico, que sirve de punto de partida para todos los desenvolvimientos de la sociedad humana. Hobbes pretende que el estado primitivo y natural del hombre, relativamente á los demás hombres, es el estado de guerra en que cada uno busca con todo empeño su bienestar por virtud del impulso de los apetitos infinitos que le solicitan. El pensamiento del sistema se resume en esta fórmula: Cada hombre es enemigo de cualquiera otro hombre del cual no sea súbdito ó dueño, *homo homini lupus*. El estado del género humano, en esta condición originaria, es por consiguiente el de guerra: mas como en semejante estado la humanidad no puede vivir ni engrandecerse según la necesidad natural que de ello siente, es preciso sustituir á esta expansión brutal de la fuerza del individuo, la fuerza de uno solo que, imponiendo á todos su yugo, á todos otorgue, por medio de la sujección, la paz y la libertad. El miedo, por consiguiente, es lo que reina en tal sociedad y el orden estará en ella en razón del imperio que aquél ejerza sobre las almas. Para Rousseau, el hombre empieza por la existencia animal, cada uno vive para sí y no tiene que contar para defenderse de las agresiones de los demás, con otras fuerzas que la suya propia. Poco á poco, por la potencia de la razón y de la libertad de que está dotado, se irá desprendiendo de esta condición, en que cada uno, para defender su bien y su libertad, se vé comprometido en luchas de todos los momentos y expuesto á continuos peligros. Para librarse de ella solo hay un medio, á saber, celebrar un pacto, por cuya virtud quede instituído un poder, encargado por la autoridad de todos de mantener entre ellos un cierto orden de justicia. Aquí, cuando menos, en apariencia no es la fuer-

indigentiae hominis quoad vitam et perfectionem moralem, et demum facultati loquendi e medio opponitur; (1) denique ille primitivus status hominem facit vere infelicem, contra id quod asserit Rousseau. (2)

Subjungit Apostolus: «Non est enim potestas nisi a Deo»; quibus verbis damnatur sententia eorum, qui originem auctoritatis humanae ponunt non in Deo, sed tantum in *suffragio universali*, quod quidem quatenus significat summam voluntatum individuorum, non modo ad subjectum auctoritatis eligendum, sed etiam ad auctoritatem ipsam causandam, doctrinae catholicae opponitur: unde merito Pius IX damnavit in Syllabo hanc propositionem quae est LX: «*Auctoritas nihil aliud est, nisi numeri et materialium virium summa.*» (3)

---

za la que reina: es la voluntad de todos la que á todos manda, sin poder, sin embargo, privar á ninguno del derecho de soberanía que le pertenece por su naturaleza, en cuyo ejercicio todos tienen la libertad de entrar cuando bien les plazca. Véase, pues, el uno en frente del otro, de un lado la filosofía del absolutismo, del otro la filosofía de la anarquía; pero tanto á la derecha como á la izquierda todo se resuelve por la fuerza y el capricho.» *El orden internacional*, Lib. II. Cap. II.

(1) S. Thom. *De Regim. Princ.* Lib. I, Cap. I.

(2) Sic Eleizalde argumentatur contra Rousseau: «Y si es absurda esta concepción, no es menos repugnante á la sana razón la afirmación paradógica de que el hombre en aquel estado salvaje era feliz, y que es la sociedad la fuente de todas las calamidades que le han sobrevenido: ¡Feliz el hombre reducido á la condición del bruto, obligado para subsistir á luchar con las fieras y á aprender de ellas á buscar alimento, á abrigarse contra la intemperie, á satisfacer, en una palabra, á sus más perentorias necesidades! ¡Feliz el hombre sin idea de Dios, ni regla para la vida, ni luz en el entendimiento, ni afectos en la voluntad! Se dirá que estos seres, por lo mismo que carecían de cultura, estaban exentos de los dolores que trae consigo la civilización. Pero tampoco sufren algunos dementes: ¿se atreverá alguien á sostener que su estado es más feliz que el del hombre, que en el pleno uso de su razón lucha varonilmente contra los obstáculos de todo género que se oponen á la realización de su misión sobre la tierra, adquiriendo nuevas fuerzas en cada combate y sintiendo en lo íntimo de su alma aquella paz, aquellos goces purísimos con que Dios recompensa á la virtud aún en esta vida?» *Elemt. de Etica.* P. II. Secc. II. Cap. III. Art. I.

(3) Ad rem Card. Zigliara: «Etenim qui pactum sociale cum Rousseau admittunt, ex ipso pacto derivant tum societatem, tum, et quidem logice, auctoritatem societati constituendae necessariam. Audiamus Rousseau: Societas habetur per «totalem alienationem, quam quisque socius facit omnium jurium suorum toti communitati:» unde «quisque nostrum ponit

Addit Apostolus: «Quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.» haec verba intelligi debent de his potestatibus quae legitimitate gaudent; secus Apostolus omnes usurpationes approbaret et confirmaret. Itaque persona a multitudine legitime electa ad auctoritatem supremam exercendam, potestatem recipit vel immediate a Deo, ut quidam Theologi dixerunt, vel probabilius, mediante populo.

681. Exponatur hic locus, XIV, 23: «Omne autem quod non est ex fide peccatum est.»

Bajus et Quesnellius, sic intellexerunt hunc locum, quasi in eo ageretur de fide Theologica: quare Alexander VIII, eorum propositionem XXV damnavit, quae sic se habet: «*Omnia infidelium opera sunt peccata.*»

Juxta SS. Ambrosium, Augustinum, Joann. Chrysostomum et Thomam. Aq., hic Apostolus loquitur de testimonio conscientiae: quod etiam ex ipso contextu Epistolae eruitur; nam agit de his qui adhuc distinguebant inter escas, quasi non liceret eis ex omnibus manducare: quare dicit eos peccare, si manducant escas quae justa ipsos sunt vetitae, cum sic contra conscientiae testimonium agunt; quia *omne quod non est ex fide*, id est, juxta conscientiam, *peccatum est,* quamvis hujusmodi conscientia sit erronea.

---

in communi suam personam, omnemque suam potentiam sub suprema directione *voluntatis generalis*; et nos conjunctim recipimus quodlibet membrum ut partem indivisibilem totius.» Igitur auctoritas publica seu socialis est summa libertatum sen voluntatum individuorum, quae summa efformat voluntatem generalem, quae est ipsa *auctoritas, status* etc., secundum quod varie consideratur. «Statim loco personae peculiaris cujus que contrahentis hic actus associationis *contractus socialis* producit corpus morale et collectivum, compositum ex tot membris quod conventus (l'assemblee) habet sufragia; quod quidem corpus ex hoc eodem actu associante suam recipit unitatem, suum *Ego* commune, suam vitam, suamque voluntatem. Haec autem *persona publica*, quae ita formatur ex unione omnium aliorum, vocata olim fuit *Civitas*, et nunc vocatur *Respublica*, aut *Corpus politicum*; quod ratione suorum membrorum, vocatur Status, si est passivum; dicitur *Supremus Princeps*, quando est activum: *Potentia* per comparationem ad alia corpora moralia. Membra autem associata collectim sumpta dicuntur *Populus*; distributive vocantur *Cives*, quatenus auctoritatem supremam participant; *Subditi* vero quatenus *Statui* legibus subjiciuntur.» *Summ. Phil. Jus. nat.* Lib. II. Cap. II. Art. III.=Conf. etiam Card. Tarquini, *Juris Eccl. publici. Inst. Lib. I.* Cap. I. Sect. I. Art. I; et etiam *Phil. Elemt.* Card. Gonzalez, *Ethic.* Sect. II. Cap. I. Art. I. Not.

Caput XI

De Epistolis ad Corinthios.

PARS CRITICA.

682. Fundatio Ecclesiae Corinthi.=683. Quid contineat prima Epistola. Occasio et scopus ipsius.=684. Argumentum alterius Epistolae. Qua occasione et fine scripta fuerit.=685. Authentia utriusque.=686. Quo loco et tempore exaratae fuerint.=687. Rejicitur sententia Semleri quoad unitatem et integritatem secundae Epistolae.=688. An praeter has Epistolas, aliam tertiam miserit Apostolus ad Corinthios.

682. Corinthus, urbs florentissima, sita erat in isthmo qui conjungit Peloponnesum cum Graecia, inter mare Aegeum ad Orientalem partem et Jonicum ad Occidentalem, aeque distans ab Asia et Italia: praedita erat, duobus optimis portibus, nempe Cenchris et Lechaei, et fere integrum commercium totius imperii arripuerat: incolae ejus erant 600.000, ex omni natione, nempe graeci, latini, judaei etc. Cicero hanc urbem vocat *Totius Graeciae lumen.* Anno 146 a L. Mummio destructa fuit; at centum annis postea a Caesare restituta est, et ab Augusto caput provinciae Achajae facta, pristinam celebritatem et opulentiam recuperavit: sed non erat minor perversitas morum incolarum hujus civitatis; unde apud Graecos *vivere Corinthi*, significabat vitam luxuriosam et libidinosam ducere.

Apostolus in secundo suo itinere, venit in hanc opulentissimam civitatem et suum domicilium constituit in domo Aquilae et Priscillae, qui ex urbe Roma venerant propter decretum expulsionis Claudii. Tum Paulus, tum Aquila et Priscilla idem opificium exercebant. Ut de more, Paulus prius proposuit Evangelium in synagoga, sed contradicentibus judaeis. In his circumstantiis, gratissimus fuit ei adventus Sylvani et Timothei ex Macedonia. Cum fere omnes judaei, praedicationem ejus rejicerent, excutiens vestimenta sua, exiit de synagoga dicens: «Sanguis vester super caput vestrum; mundus ego, ex hoc ad gentes vadam.» (1), et cathedram praedicationis instituit in domo Titi Justi, et Crispus archisynagogus cum omni domo sua, et multi ex gentilibus crediderunt et baptizati sunt, ita ut post

(1) *Act.* XVIII, 6.

decem et octo menses, illa Ecclesia esset florentissima. Tunc judaei furentes propter copiosum fructum praedicationis Apostoli, adduxerunt eum ad tribunal Gallionis proconsulis Achajae, qui cum vidisset quaestionem esse de Lege judaeorum, minavit judaeos a tribunali; et apprehendentes, qui aderant ex graecis, percutiebant Sosthenem principem Synagogae ante tribunal, quin nihil de hoc curaret Gallio. Post multos dies, Paulus navigavit in Syriam simul cum Aquila et Priscilla, devenitque Ephesum.

683. Ex occasione qua scripta fuit haec Epistola, facillime cognoscitur, quid ipsa contineat, et quis sit ejus scopus. Post exitum Pauli a Corintho, quidam abusus irrepserant, quibus aliquo modo occasionem praebuit praedicatio Apollo. Hic erat Alexandrinus et homo eloquentissimus; adhuc non susceperat nisi baptismum Joannis et valde instructus erat in doctrina Jesu-Christi. Adhuc amplius eruditus Ephesi ab Aquila et Priscilla, suscepto baptismo, Corinthum pergit, cum epistolis commendatitiis, et praedicavit Evangelium magno exitu. Paulus Corinthiis nuntiaverat Christum, locutione facili ac simplici, ut exitus praedicationis non tribueretur humanae eloquentiae, sed tantum Dei gratiae: praeterea in suis instructionibus ad populum omiserat praedicationem quorumdam mysteriorum, aliarumque rerum sublimiorum, ad quae recipienda, adhuc Corinthii non erat sufficienter parati. Sed Apollo utebatur locutione elegantissima et sublimi, annuntians etiam ea quae Paulus prudenter adhuc omittenda judicavit.

Ex alia parte, judaizantes de perturbandis Ecclesiis ab Apostolo fundati non desistebant, auctoritatem S. Petri extollentes, S. Paulo dignitatem apostolicam negantes, et necessitatem praedicantes circumcisionis aliorumque rituum Legis Moysis: et hinc divisio, de qua Apostolus ait: «Hoc autem dico, quod unusquisque vestrum dicit: Ego quidem sum Pauli; ego autem Apollo: ego vero Cephae; ego autem Christi.» (1)

Praeterea plures neophyti gentiles adhuc in viis luxuriae ambulabant, adeo ut in Ecclesia tolerassent hominem incestuosum: et ipsis, quidam cum aliis judicio contendebant apud tribunalia gentium: agapes omnino innordinatae erant: mulieres, non recte libertatem christianam inteligentes, in omnibus se

(1) I ad Corinth. I, 12.

aequiparabant viris: demum quaedam dubia suscitata fuerunt, circa virginitatem et matrimonium, et quoad libertatem edendi escas idolis sacrificatas: ad abusus ergo corrigendos et dubia solvenda, scripsit,

1.am Epistolam, quae continet decem et septem capita. Post salutationem et gratiarum actionem pro donis spiritualibus quibus Deus cumulaverat Corinthios, ipsos reprehendit ob discordias inter eos natas, quia de diversis magistris gloriabantur, dicens eis, Christum non esse divisum. Commendat humilitatem crucis eamque praeferendam esse docet vanae scientiae hominum, cui Corinthii erant plus aequo addicti. (I-IV) Statim (V) increpat Corinthios, quia hominem incestuosum in Ecclesia tolerabant, et in nomine et virtute Jesu-Christi, tradit eum *Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini nostri Jesu-Cristi.* Mox (VI-VII) reprehendit Corinthios, eo quod judicio se contenderent apud judices infideles: matrimonium commendat, tamen virginitatem praeferendam esse docet. Capitibus VIII-X, asserit licitum esse ex se vesci idolothytis, seu carnibus idolis immolatis, nisi quis ex conscientia erronea putaret id sibi prohiberi, aut si scandalum sequeretur. Sequenti capite (XI) aliqua praescribit de modo in ecclesia orandi, id est, viri aperto capite, mulieres autem velato: loquitur etiam de modo celebrandi agapas, et de sumptione Eucharistiae. Capitibus XII-XIV, charitatem super omnes virtutes et charismata commendat: capite XV loquitur de resurrectione mortuorum: et demum cap. XVI et ultimo Epistolae de collecta facienda pro fratribus Jerusalem agit, Timotheum et Stephanae familiam commendat, et salutationes mittit.

684. Post scriptam primam Epistolam, Paulus qui Ephesi commorabatur, coactus est inde discedere ob tumultum Demetrii et transiit in Troadem et Macedoniam, ubi magno gaudio invenit Titum, quem Corinthum miserat, ut statum illius Ecclesiae disceret, et ad se referret, quaenam effectum prima Epistola sortita fuisset. Relatio Titi fuit Paulo gratissima, nam Corinthii, magna cum reverentia ac submissione susceperant reprehensiones et monita Apostoli: ex Ecclesia ejecerant incestuosum, et studebant sua peccata reparare ac expiare. Tamen adhuc erant, quidam pseudo-apostoli, qui praeteritos abusus conabantur excitare, et deprimebant auctoritatem Pauli, docentes eum legitima missione apostolica carere, promissis non

stare, cum post longo tempore non esset reversus Corinthum; sui ipsius laudatorem esse; crudelem et superbum in Epistolis, hypocritam in vultu, et demum avarum. His audistis, Apostolus, cum statim Corinthum venire non posset, scripsit ad Corinthios. 2.am *Epistolam* quae 13 capita continet. Incipit gratias agens Deo, quia a multis periculis liberatus est propter orationes Corinthiorum. Praecipit eis ut charitatem habeant cum incestuoso, eumque in Ecclesiam admittant. Hortatur eos ad conservandam gratiam acceptam, et ad infidelium consortium vitandum, et demum ad colligendas eleemosynas pro pauperibus Jerusalem, et multum laudat eleemosynam. A cap. X ad XIII, suam missionem apostolicam contra suos dectractores vindicat, narrans suos pro Christo labores, persecutiones et afflictiones, superna charismata, visiones et raptum usque ad tertium coelum. Ostendit suum amorem erga Corinthios; promittit denuo venire ad eos, sed ad puniendum peccatores; et salutationibus concludit Epistolam.

685. Quoad *authentiam* harum Epistolarum, quamvis necessarium non sit, tamen adduci possunt quaedam testimonia Patrum: S. Clemens Rom. in sua 1.ª Epistola ad Corinth. scribit: «Epistolam Beati Pauli in manus sumite. Quid primum vobis in principio Evangelii scripsit? Certe divinitus inspiratus de se ipso, de Cepha et Apollo ad vos litteras dedit, quia etiam tum inter vos factiones et partium studia fuerunt.» Ex eo quod S. Clemens non citet nisi unam Epistolam ad Corinthios, non sequitur alteram non cognovisse: sed eam tantum allegat quae ad rem sibi opportuna videbatur.

S. Polycarpus ait: «Nescitis sanctos mundum esse judicaturos, quemadmodum Paulus docet?» (1)

S. Irenaeus, sic primam Epistolam allegat: «Ex hoc autem Apostolum in Epistola quae est ad Corinthios manifestissime ostendisse dicentem: Nolo enim vos ignorare, fratres, quoniam patres nostri sub nube fuerunt etc.» (2)

Etiam apertissime citat 2.am dicens: «Quod autem dicunt aperte Paulum in secunda ad Corinthios dixisse: in quibus Deus saeculi hujus excaecavit mentes infidelium etc.» (3)

---

(1) S. Polyc. *ad Philip.* 11.=I. Cor. VI, 2.
(2) S. Iren. *C. haer.* IV, 27.=I. Cor. XV, 53.
(3) S. Iren. *C. haer.* III, 7.=2. Cor. V, 10.

Tertullianus et Origenes saepe allegant utramque Epistolam.

Auctor fragmenti Muratorii, ait, Paulum scripsisse ad Corinthios *bis propter correptionem.*

Omnes Patres recentiores, et scriptores scripturarii, tum catholici tum haeretici, unanimiter agnoscunt harum Epistolarum authentiam.

686. Juxta nonnullos codices graecos, 1.ª Epistola scripta fuit Philippis, sed hoc admitti non potest, quia ipse Paulus affirmat (XII, 5-6) se nondum in Macedoniam venisse. Igitur communis et vera sententia est, hanc Epistolam scriptam fuisse Ephesi, ut infertur ex his locis; (XVI, 8) «Permanebo autem Ephesi usque ad Pentecostem»; et (XVI, 19): «Salutant vos Ecclesiae Asiae. Salutant vos in Domino multum, Aquila et Priscilla cum domestica sua Ecclesia, apud quos et hospitor.» Scimus vero ex Act. XVIII, 17, tunc temporis Aquilam et Priscillam Ephesi habitasse. Haec Epistola scripta fuisse creditur ann. 56-57.

Quoad 2.am Epistolam, ex cap. II, 12-13 infertur eam scriptam fuisse in Macedonia, ann. 57; et probabiliter Philippis, ut ex subscriptionibus quorumdam codicum constat.

687. Contra unitatem et integritatem 2.ae Epistolae arguit Semler, tantum octo priora capita esse Pauli, non vero reliqua; quia in illis prioribus stylus est benignus et suavis; sed in caeteris, vehementissimus.

Sed hoc facilem explicationem habet, si consideremus, Apostolum loqui in prioribus illis capitibus cum fidelibus Corinthi; in caeteris autem contra suos detractores; non est ergo mirum quod in hac secunda parte, stylo vehementiori utatur. (1)

688. Num quaeritur, utrum Apostolus, praeter has Epistolas, aliam etiam miserit ad Corinthios.

P. Wouters sic hanc quaestionem solvit: «Vers. 9 (cap. V. 1.ae Epist) *Scripsi vobis in epistola: Ne commisceamini fornicariis*, S. Chrysostomus, Theodoretus, et nonnulli alii volunt quod Paulus hic agat de praesenti epistola, in qua hoc cap. v. 2 jusserat fornicarium tolli e medio congregationis fidelium: quod deinde iterum praecipit sub metaphora expurgandi vete-

(1) Conf. Cornely. *Introd. Partic. Dissert. II. De lib. Didact. N. T.* Cap. II, §. 7.

ris fermenti. Ne igitur errarent Corinthii existimantes omnes omnino fornicarios sibi vitandos esse, et a se repellendos, v. 9 et seqq. exponit Apostolus de quibus fornicariis hoc velit intelligi. At vero D. Thomas, Glossa, Lyranus, et plurimi alii interpretes Latini censent Paulum agere de alia anteriori epistola, quam ad Corinthios scripserat, quae postea intercidit, seu perdita fuit, et ideo jam non amplius existit.—Utra harum opinionum vera sit, non omnino constat, inquit Estius. Ipse tamen fatetur se in opinionem D. Thomae esse propensiorem, idque ob sequentia motiva. Primo, quia ista verba; *Scripsi vobis in epistola,* ex ipso naturali et obvio loquendi modo magis significat priorem quamdam epistolam, quam eam ipsam, quam de facto scribit, seut mittit. Unde sicuti illud Epist. 2 ad Cor., cap. 7: *Et si contristavi vos in epistola,* intelligitur de epistola hac prima, in qua ipsorum vitia carpit, sic etiam illud, quod hic v. 9 dicit, videtur intelligendum de quadam epistola, quam ante hanc primam ad ipsos scripsit. Itaque si voluisset Apostolus illud significare, quod proxime, seu hoc capite scripserat de fornicario e medio fratrum auferendo, non dixisset: *Scripsi vobis in epistola,* sed *Nunc modo scribo,* vel *nunc scripsi vobis,* aut *jam nunc ex me audistis* quod talis de medio vestri debuisset tolli.—Secundo, si res bene consideretur, illud, quod v. 9 dicit de vitandis fornicariis, nequidem referri potest ad illud quod dicit v. 2. Nam non est idem, de medio congregationis fidelium aliquem tolli, seu excommunicari, et consortium ejus vitari. Neque mens Apostoli est, eamdem poenam excommunicationis, quam hic statuit in hominem adulterum, et incestuosum, extendi ad omnes, de quibus nunc loquitur, uti ex toto capite manifestum est. Ex his igitur valde verosimilis est sententia eorum, qui putant Apostolum de diversa quadam epistola loqui, quae Corinthiorum negligentia postea periit.» (1)

(1) Dilucid. in cap. V, ad Cor. I; Quaest. II.

PARS EXEGETICA.

689. Quomodo Apostolus sanctificatos et sanctos appellet Corinthios, cum inter ipsos plures fuerint magni peccatores (I Cor. I, 2).=690. Hic locus (I Cor. IX, 9) «Numquid de bobus cura est Deo», opponitur ne Providentiae universali Dei?=691. Quo sensu dicat Apostolus (I Cor. I, 14 et seqq.) se baptizasse Crispum, Cajum et domum Stephanae, et tamen v. 17, ait: «Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare.»=692. Expouitur hic locus (X, 22): «Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.»= 693. Num hic locus (I Cor. X, 27): «Omne quod vobis apponitur, manducate» contradicat prohibitioni apostolicae (Act. XV, 28-29) «Visum est Spiritui Sancto et nobis... ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum.»=694. Quomodo haec sententia (I Cor. XIII, 7) «Charitas omnia credit» conveniat cum illa (Eccli. XIX, 4): «Qui cito credit levis est corde.»=695. Exponatur hic locus (II. Cor. v. 21): «Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.»=696. Quodnam sit illud tertium coelum, in quod Paulus raptus dicitur. (II Cor. XII, 2).

689. Corinthii ad quos scribit Paulus, non dicuntur *sancti* quia per baptismum sanctificati fuerant, quia tunc, non modo Ecclesia Corinthiorum, sed etiam universalis Ecclesia posset dici *Sancta*, quamvis nullum membrum ejus esset Sanctum. Sed ideo Ecclesia Corinthiorum dicitur sancta, quia saltem aliquos justos ac sanctos complectitur, qui sunt praecipua membra in Ecclesia sive particulari, sive universali.

690. Hic locus (I. Cor. IX, 9); «Numquid de bobus cura est Deo» minime opponitur providentiae universali Dei. Nam Apostolus ostendere vult, praedicatores Evangelii jus habere ad ea quae sunt ad victum necessaria, et ideo ait «Scriptum est enim in lege Moysi: Non alligabis os bobi trituranti», quia scilicet, bos, suo modo, jus habet ad ea quae triturat; et subjungit Apostolus «Numquid de bobus cura est Deo?»; non quod Deus de bobus curam non habeat; sed quia si de ipsis etiam curam habet, procul dubio curam habebit de praedicatoribus Evangelii. Deus igitur, providentiam habet de bobus, de hominibus, et de omnibus omnino rebus juxta earum conditionem.

691. Quo sensu Apostolus dicat, (I. Cor. I, 17); «Non enim misit me Christus baptizare, sed evangelizare» cum praecedentibus versibus affirmet, se baptizasse Crispum, Cajum et domum Stephanae?

Christus utique misit Apostolum ad Evangelizandum, cui tamen muneri adjuncta erat etiam potestas baptizandi, quasi

aliquid secundarium: unde sensus est: «Non Cristus me misit *principaliter* baptizare, sed evangelizare.»

692. Exponitur hic locus (X, 22): «Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt.»

His verbis Apostolus docet, licere christianis manducare de carnibus etiam idolis immolatis *(omnia mihi licent)*: sed quandoque ad vitandum scandalum, ab his carnibus abstinendum esse: unde alibi (VIII, 13) ait: «Quapropter si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.»

693. Num hic locus, (I. Cor. X, 27): «Omne quod vobis apponitur, manducate» contradicat prohibitioni apostolicae: «Visum est Spiritui Sancto et nobis... ut abstineatis ab immolatis simulachrorum.» (Act. XV, 28-29).

Nulla est contradictio: nam prohibitio apostolica non fuit absoluta et universalis, sed tantum, juxta circumstantias locorum, temporum et personarum; ex alia parte, permissio Apostoli neque est absoluta; nam ut jam vidimus, abstinendum esse praecipit a quibusdam escis ad vitandum scandalum.

Unde ait, vers. 28-29: «Si quis autem dixerit: Hoc immolatum est idolis, nolite manducare propter illum, qui indicavit, et propter conscientiam: conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.»

694. Quomodo haec sententia, (I. Cor. XIII, 7) «Charitas omnia credit» conveniat cum illa, «Qui cito credit levis est corde.» (Eccli, XIX, 4.)

Apostoli sensus est: Charitas facile credit seu assentitur proximo, quando sine peccato assentiri possibile est: charitas non arguit, non contradicit, non contendit, non est suspicax, omniaque bona atque meliora de proximo facile sibi persuadet et credit.

In libro vero Ecclesiastici de alia re agitur, et sensus est: Qui cito credit alicui absque fundamento et causa, et praesertim proximo detrahenti, levis est corde.

695. Exponatur hic locus, (II. Cor. V, 21): «Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.»

Haec vox *peccatum*, quandoque in Sacris Scripturis, praesertim in Levitico, significat, victimam vel hostiam pro *peccato*: itaque sensus est; Deus eum, nempe Christum, qui non noverat peccatum, quia pecandi capax non erat, pro peccatis nos

tris. tractavit, quasi fuisset ipsum peccatum, vel victima et hostia pro omnium hominum peccatis.

696. Quodnam sit illud tertium coelum, in quod Paulus raptus fuisse dicitur, (II. Cor. XII, 2).

Paulus loquitur more hebraeorum qui tres coelos distinguebant, scilicet, primum, coelum *aereum* seu atmosphaeram; secundum, coelum *sidereum*, et tertium, coelum *empyreum*, nempe sedem Dei ac Beatorum; in hoc ergo coelum raptus est Paulus, ibique audivit arcana verba, quae non licet homini loqui.

Quoad modum quod raptus fuerit, ait Apostolus: «Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim, sive in corpore nescio, sive extra corpus nescio, Deus scit, raptum hujusmodi usque ad tertium coelum.» S. Chrysostomus, Ambrosiaster et alii veteres, et inter recentiores Wouters, putant, Paulum non secundum corpus, sed secundum animam dumtaxat raptum fuisse usque ad tertium coelum (1) cui opinioni favet S. Thomas, juxta quem raptus in eo consistit quod aliquis spiritu divino elevetur ad aliqua supernaturalia cum abstractione a sensibus, secundum illud Ezechiel. 8: Spiritus elevavit me inter coelum et terram, et adduxit me in Jerusalem in visione Dei.» (1) Supposita vero, hujusmodi abstractione a sensibus, non erat necessarium corpus rapi. Tamen fatendum est, animam Pauli, tempore raptus, corpori conjunctam mansisse; alioquin tunc Paulus fuisset mortuus.

Caput XII

De Epistola ad Galatas.

PARS CRITICA.

697. Fundatio Ecclesiarum Galatiae. Quotuplici sensu accipi possit hoc nomen Galatia. Qui sint Galatae quibus Apostolus hanc scripsit Epistolam. = 698. Occasio et scopus hujus Epistolae. = 699. Argumentum et ejus divisio. = 700. Quo tempore et loco scripta fuerit haec Epistola. = 701. Ejus genuinitas.

997. Regio, quae Galatia dicitur, sita erat in media fere Asia Min. et suum nomen traxit a Celtis vel Gallis, qui in Phrygia

(1) Wouters, *Dilucid. in Epist. II ad Cor.* Quaest. V.
(1) 2. 2. q. CLXXV, art. 1.

mixti sunt: unde et *gallograeci* sunt dicti. Saeculo IV ant. J. C., quaedam tribus quae in Gallia habitaverant, relicta hac regione, irruperunt in Italiam, partim in Illyriam et Pannoniam, unde frequentes incursiones in Macedoniam et Graeciam fecerunt, donec mortuo Alexandro M., Hellespontum transgressi sunt, et cum auxilium attulissent Nicomedi, Bithyniae regi in bello contra fratrem ejus, ab hoc rege quamdam Phrygiae partem obtinuerunt, ibique sedem fixerunt. Haec itaque regio dicta est Galatia, seu Gallo-Graecia. Galatae dividebantur in tres tribus, qui nempe erant, *Trocmii* qui regionem orientalem, cujus caput Tavium, habitabant: *Tolistoboji* qui partem occupabant occidentalem, cujus caput Pessinus, et *Tectosagi* qui incolebant partem intermediam, cujus caput Ancyra. Hae tribus foedere conjunctae erant, et una quaequae earum dividebatur in quatuor provincias, quarum quaelibet habebat *tetrarcham* (gobernador) *dechastum* (juez) et *stratophilacum* (general), et praeterea senatum trecentorum virorum. Constitutio populi erat aristocratica, et congregationes senatorum habebantur in quodam nemore quercuum. In principio, auctoritas suprema exercebatur a tribus personis; postea a duabus et demum ab una tantum persona. Continuis suis incursionibus, terror erant totius Asiae Minoris, donec victi fuerunt ab Attalo I, Rege Pergami (ann. 225) et paulo post subjecti imperio Romano (ann. 189) Dejotarus, dux Galatiae adjuvit Pompejum contra Mithridatem, et obtinuit titulum Regis, et dominium novarum provinciarum. Ejus successor Amyntas ab Antonio et Augusto regiones Lycaoniae, Pisidiae, Pamphiliae et Isauriae consecutus est. Sed mortuo violenter Amynta, regnum Galatarum factum est provincia Romana, sub nomine Galatiae.

Ex quibus infertur, hoc nomen *Galatia,* duplici sensu accipi posse: nempe, pro illa regione Phrygiae primo habitata a Gallis, et pro novis regionibus tempore Dejotari et Amyntae adjectis.

Num quaeritur, cui regioni haec Epistola missa fuerit Moderni interpretes inter quod Vigouroux, Caminero, Ubaldi, Fernandez et alia multi censent, hanc Epistolam scriptam fuisse ad fideles totius Galatiae, vel tantum Galatiae proprie dictae. Sed Cornely putat, hic nomine Galatiae intelligendam esse totam provinciam Romanam, et illas Ecclessias quas fundavit Paulus Antiochiae Pisidiae, Iconii, Lystriis et Derbae in Lycaonia; et in favorem suae sententiae has adducit rationes: 1.ª Quia Apostolus cap. II ostendit, se cum Barnaba ad Concilium Hierosolymitanum fuisse, ut

defenderet libertatem christianorum quoad praescriptiones legis Moysis, adversus eos qui illas praescriptiones necessarias judicabant. «Quibus neque ad horam cessimus subjectione, ut veritas Evangelii permaneat apud vos.» (v. 5): Ergo cum haec facta sunt, jam Galatae Evangelii lucem acceperant; et tamen ex S. Luca scimus, Apostolum in Galatiam proprie dictam non venisse nisi in secundo suo itinere, post celebrationem supra dicti Concilii.

2.ª Praeterea Apostolus de Barnaba loquitur Galatis, quasi ab his notus fuisset, et inter ipsos magnae esset auctoritatis; sed in primo itinere quando Apostolus Ecclesias Lycaoniae fundavit, habuit socium S. Barnabam, non vero in secundo itinere, cum primo visitavit Galatiam proprie dictam.

3.ª Ait Apostolus ad Galatas, se cum ad eos prima vice venisset illis praedicasse «per infirmitatem carnis» et inter persecutiones. Jam vero S. Lucas, loquens de secundo et tertio itinere Pauli in Galatiam, nec verbum dicit de infirmitate carnis, neque de persecutionibus; quae tamen optime conveniunt primo itineri, quando Apostolus ejectus fuit a magistratibus Antiochiae Pisidiae; et Iconii et Lystris lapidatus.

4.ª Demum, attentis descriptionibus, quas Apostolus facit de Concilio Hierosolymitano, facile intelligitur, hanc Epistolam paulo post Concilium scriptam fuisse: eam igitur scripsit in secundo suo itinere apostolico, ac proinde missa non fuit ad Galatiam proprie dictam, ad quam Apostolus adhuc numquam pervenit. (1)

698. Ut melius cognoscantur occasio et scopus hujus Epistolae, notanda est indoles judaeo-christianorum Galatiae. Quidam enim credentes per Christi mortem liberatos fuisse a Lege Moysis, tamen eam observare studebant, ne aliis scandalum darent; nonnulli, adhuc debiliores in fide, se putabant obligatos in conscientia ad Legem Moysis servandam, quamvis crederent, redemptionem Christi ejusque doctrinam fuisse sufficientem ad eorum sanctificationem. Demum alii, religionem christianam habebant, quasi medium ad omnes homines ad Legem Moysis reducendos; et adversus hos praesertim scribit Apostolus.

Itaque post Pauli discessum, quidam falsi doctores et judaizantes, persuadere conati sunt Galatis, circumcisionem,

(1) Conf. Cornely. *Introd. specia . De lib. didact. N. T. de Epist. ad Galat.*

aliosque ritus veteris Legis, necessarios esse ad salutem; cum vero Paulus contrarium doceret, ejus auctoritatem apostolicam deprimere procurabant. His auditis, Paulus hanc scripsit Epistolam, ad ostendendum ritus legales omnino inutiles esse, et suam apostolicam missionem vindicandam. (1)

699. Haec Epistola sex capita continet et dividi potest in tres partes: 1.ª *apologetica* (I-II, 16) in qua reprehendit Galatas qui tam cito crediderant falsis doctoribus; et enarrat suam mirabilem conversionem, revelationes, et missionem a Christo acceptam, nec non communionem ejus cum caeteris Apostolis praesertim vero cum Petro: 2.ª *dogmatica*, (II, 17-V-13) ubi ostendit, justificationem non nisi per fidem in Christum, non per Legis observantiam, obtineri posse: et 3.ª *moralis*, (V-14-VI), ubi hortatur Galatas ad vitia fugienda, et ad virtutes sectandas, praesertim charitatem erga proximos; et demum, post quam animadvertit nostram gloriam debere esse crucem Christi, salutatione claudit Epistolam.

700. Quidam dixerunt, hanc Epistolam scriptam fuisse Antiochiae in Syria; sed haec sententia ab omnibus exploditur. S. Hieronymus, Theodoretus et alii putavere eam exaratam fuisse Romae; quae sententia ex eo refutatur quod nullum in ea vestigium occurrat de Pauli vinculis, ut fit in omnibus Epistolis Romae scriptis. S. Gregorius M. et inter modernos Wouters, Ubaldi, Caminero, Fernandez et alii, docent Paulum hanc Epistolam scripsse Ephesi ann. 54-56. Nam cum Paulus hanc Epistolam scripsit jam bis praedicaverat Galatis (IV, 13-16) nempe in 2.° et 3.° itinere (Act. XVI, 6-XVIII, 23) et statim pervenit Ephesum; et cum Epistola scripta fuerit, paulo post exitum Pauli e Galatia, nam (I, 6) Apostolus miratur Galatas «quod sic *tam cito transferimini ab eo, qui vos vocavit in gra-*

(1) «Causa, ait S. Augustinus, propter quam scribit Apostolus ad Galatas haec est, ut intelligant gratiam Dei id unum agere, ut sub lege jam non sitnt. Cum enim praedicata eis esset Evangelii gratia, non defuerunt quidam ex circumcisione, quamvis Christiani nomine nondum tamen tenentes ipsum gratiae beneficium, et adhuc volentes esse sub oneribus Legis.... illi volebant constituere (Galatas) sub oneribus Legis, asseverantes nihil eis prodesse Evangelium, nisi circumciderentur, et caeteras carnales Judaici ritus observationes subirent. Et ideo Paulum Apostolum suspectum habere coeperant, a quo illis Evangelium praedicatum erat, tanquam non tenentem disciplinam caeterorum Apostolorum, qui gentes agebant judaizare.» *In Epist. ad Gal. Praefat.*

tiam Christi, in aliud Evangelium» videtur quod scripta fuisset Ephesi.

Cum Cornely defendat, Paulum misisse hanc Epistolam ad omnem provinciam Romanam Galatiae, ideo censet, eam Corinthi scriptam fuisse in secundo itinere, ann. 52-53.

Juxta Vigouroux haec Epistola scripta fuit Corinthi, sed anno 57, in tertio itinere apostolico Pauli. Haec diversitas opinionum pendet, ab obscuritate chronologiae libri Actuum.

701. Genuinitas hujus Epistolae a nemine, neque ab ipsis Neotubingianis, in dubium revocata est: nam character internus totius Epistolae, optime convenit Paulo; inter externa testimonia vetustissima habemus S. Justinum, Marcionem, Valentinum, fragmentum Muratorii, Tertulianum, et versiones Occidentales et Orientales.

PARS EXEGETICA

702. Quid dicendum de controversia Antiochiae habita inter Paulum et Cepham. Num ille Cephas fuerit Petrus. Utrum haec controversia fuerit dogmatica an tantum disciplinaris. = 703. Exponatur hic locus, (II, 7): «Creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis.» = 704. Hujus loci expositio, (III, 10) «Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt. = 705. Exponatur hic locus, (IV, 25): «Sina est mons in Arabia qui conjunctus est ei qui nunc est Jerusalem.» = 706. Quomodo Apostolus dicat (V, 3) quod omnis homo, qui circumcidebatur, foret debitor universae legis faciendae. = 707. Qualia fuerint stigmata, quae Apostolus in suo corpore dicit portare.

702. Sic Apostolus describit controversiam Antiochiae, (II, 11-16); «Cum autem venisset Cephas Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat. Prius enim quam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat: cum autem venissent, subtrahebat, et segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant. Et simulationi ejus consenserunt caeteri Judaei, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem. Sed cum vidissem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cephae coram omnibus: Si tu, cum Judaeus sis, gentiliter vivis, et non judaice: quomodo gentes cogis judaizare? Nos natura Judaei, et non ex gentibus peccatores. Scientes autem quod non justificatur homo ex operibus Legis, nisi per fidem Jesu Christi: et nos in Christo Jesu credimus, ut justificemur ex fide Christi, et non ex operibus Legis: propter quod ex operibus Legis non justificabitur omnis caro.»

In hac re, tres quaestiones proponi possunt: 1.ª an Cephas fuerit Petrus: 2.ª an Petrus et Paulus simulaverint hanc controversiam: et 3.ª an fuerit dogmatica vel disciplinaris.

1.ª S. Clemens Alexandrinus, Eusebius et Dorotheus Tyrius, et inter modernos, Vincenzi et Fernandez, putant, Cepham non fuisse S. Petrum, sed unum ex septuaginta discipulis. P. Fernández, cui placet haec opinio, hoc argumentum proponit ex Petri conditione: «Vel actio Petri prava erat vel secus: si posterius, nulla reprehensionis causa habebatur, neque Paulus unquam auderet famam Petri dicere pravam: si prius ¿quomodo Petrus, princeps Apostolorum potuit id facere, qui caeteros bonis moribus sicut et recta fide confirmare debebat? Et hoc posterius admittendum esse jubet simplex textus lectio; quoniam ait Petrum aut Cepham non ambulasse ad veritatem Evangelii.» (1)

Sed communior et vulgaris sententia tenet Petrum Apostolorum principem fuisse ipsum Cepham, de quo Paulus in hac Epistola loquitur.

Inter Patres, ait S. Gregorius M: «Sunt nonnulli, qui non Petrum Apostolorum Principem, sed quemdam alium in eo nomine, qui Paulo est reprehensus, accipiunt. Qui si Pauli studiosius verba legissent, ista non dicerent. Dicturus enim Paulus: Cum venisset Petrus Antiochiam, ei in faciem restiti: ut de quo Petro loqueretur ostenderet, in ipso suae narrationis initio praemisit dicens: «Creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis. Qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes,» Patet ergo de quo Petro Paulus loquatur, quem et Apostolum nominat, et praefuisse Evangelio circumcisionis narrat.» (2)

S. Hieronymus scribit: «Illis, qui volunt Cepham fuisse unum ex septuaginta duobus discipulis, est respondendum: Alterius, nescio cujus, Cephae nescire nos nomen, nisi ejus, qui in Evangelio, et aliis Pauli epistolis, et in hac quoque ipsa, modo *Cephas*, modo *Petrus* scribitur. Non quod aliud significet *Petrus*, aliud *Cephas*: sed quem nos Latine et Graece *Petrum* vocamus, hanc Hebraei et Syri propter linguae inter se viciniam Cepham nuncupent. Ad extremum, si propter Porphirii

(1) *Curs. Theol. Introd. in Sac. Scrip.* Tract. I. Sect. IV, Cap. III.
(2) *Hom. 18 in Ezechiel.*

blasphemiam alius nobis fingendus esset Cephas, ne Petrus putetur errasse, infinita de Scripturis erunt eradenda divinis, quae ille quia non intelligit, criminatur.» (1)

Praeterea, vers. 9. Jacobum, Cepham et Joannem, vocat columnas Ecclesiae, ab eorumque auctoritate suam confirmat doctrinam: jam vero Paulus, non vocasset Cepham columnam Ecclesiae si tantum fuisset unum ex septuaginta duobus discipulis, neque ab ejus auctoritate suam doctrinam confirmasset.

Insuper, vers. 13, legimus, exemplo Cephae, etiam ipsum Barnabam ductum fuisse in illam simulationem: ergo fatendum est, saltem ejusdem dignitatis et auctoritatis cum Barnaba fuisse, ideoque et Apostolum.

Demum, testimonia Patrum, quae ab adversariis citantur, praesertim S. Clementi Alexandrini, dubia sunt: et etiamsi certa forent, Patres nobis consentientes praevalent auctoritati illorum Patrum.

Quoad dilemma adversariorum, dicendum est, controversiam inter Petrum et Paulum, non fuisse dogmaticam, ideoque et Petrum non errasse in fide 2.ª Controversia inter Cepham et Petrum non fuit simulata et ficta, sed vera et realis.

Nonnulli ex antiquis, ut calumniam Porphyrii refutarent, dixerunt controversiam Antiochiae, a Petro et Paulo mutuo convenio fuisse simulatam, ut Petrus, scilicet exterius legalia observare videretur, et Paulus ipsum reprehenderet, et ipse Petrus se non defenderet, ut ex hoc Petri silentio Judaei inferrent, etiam juxta Petrum, observationem legalium non esse necessariam. Hujus sententiae patroni sunt, Origenes, Didymus et S. Joannes Chrysostomus: et aliquando eam secutus est etiam S. Hieronymus.

Sed generatim Patres contrariam sententiam tuentur: nam Tertullianus ait: «Paulus reprehendit Petrum, non recto pede incedentem ad Evangelii veritatem.» (2) S. Hieronymus scribit: «Si ipse Apostolus dicat de Petro quod non recto pede incesserit Evangelii veritate, et in tantum reprehensibilis fuerit, ut et Barnabas adductus fuerit in eamdem simulationem: quis indignabitur id sibi denegari, quod Princeps Apostolorum non habuit.» (3)

(1) *In cap. II ad Galat.*
(2) *Cont. Marc.* Lib. V, cap. 3.
(3) *Cont. Pelag.* Lib. I, cap. 8.

Praeterea ex ipsa narratione Scripturae infertur, illam controversiam fuisse realem et non ficticiam; hoc enim casu, non recte diceret Paulus, Petrum fuisse reprehensibilem, eo quod non recte ambularet ad Evangeli veritatem. Ad rem S. Augustinus: «Si hoc fecit Petrus quod facere debuit, mentitus est Paulus, quod eum viderit non recte ingredientem ad veritatem Evangelii.» (1)

Dicunt adversarii, Petrum simulate tantum reprehensum fuisse, quia non nisi simulate a mensa gentilium recessit, teste ipso Paulo, cum dicit: «Et simulationi ejus consenserunt caeteri judaei... etc.»

Resp. hic nomine *simulationis* intelligendum esse exemplum Petri, qui exterius faciebat, quod interius nec credebat nec sentiebat. Tamen ex hoc minime sequitur, reprehensionem Pauli fuisse simulatam, quia Petrus propter illam simulationem, vere reprehensibilis erat.

Sed juxta adversarios, in hypohesi quod illa controversia fuisset realis, Paulus non servasset leges correptionis fraternae, juxta quas nemo palam et publice argui debet, nisi prius privatim et sine fructu arguatur.

Resp. Christum minime prohibuisse ne publice reprehenderetur qui publice deliquit, praesertim si malum non nisi publica reprehensione vitari possit; hoc autem contingit in casu nostro. Unde S. Augustinus ait: «Est laus itaque justae libertatis in Paulo, et sanctae humilitatis in Petro.»

3.ª Controversia Antiochiae non fuit dogmatica. Hoc dicimus, contra acatholicos qui huic controversiae maxime innituntur ad evertendum Petri Primatum ejusque infallibilitatem.

S. Hieronymus textum exponens scribit: «Unus atque idem mihi Evangelium praeputii et Petro circumcisionis credidit. Me misit ad gentes, illum posuit in Judaeam. Nec gentes poterant, adulta jam aetate, non profuturo circumcisionis dolore cruciari, et abstinere se ab escis, quibus semper assueverant, et quas Deus creaverat ad utendum: ne hi qui ex Judaeis crediderant et circumcisi erant, et ex consuetudine, quasi secunda natura putabant se a caeteris gentibus plus habere, facile contemnere poterant ea, in quibus gloriabantur. Providentia itaque Dei, alius apostolus circumcisis datus est, qui legis membris videretur

(1) *Epist. 19 ad Hieron.*

acquiescere, alius in praeputio constitutis, qui Evangelii gratiam non putaret esse servitium, sed liberam fidem. Ne sub aliqua occasione impedimentum fidei nasceretur: et propter circumcisionem sive praeputium, non crederetur in Christum »

Praeterea, si illa controversia fuisset dogmatica, Petrus peccasset et quidem graviter: et tamen juxta S. Hieronymum, Petrus in hac occasione non peccavit; et juxta S. Augustinum peccavit tantum venialiter, propter modum quo procuravit vitare scandalum Judaeorum. Demum S. Thomas scribit: «Petrus peccavit quidem, et reprehensibilis fuit secundum sententiam Augustini et ipsius Pauli, subtrahens se a Gentibus, ut vitaret scandalum Judaeorum, quia hoc incaute aliqualiter faciebat, ita quod ex hoc Gentiles ad fidem conversi scandalizabantur: non tamen factum Petri erat tam grave pecatum, quod merito possent alii scandalizari. Unde patiebantur scandalum passivum, non autem erat in Petro scandalum activum.» (1)

Sed dices cum adversariis, si illa controversia non fuit dogmatica, sed tantum de modo agendi quoad observationem legalium, ¿qua ratione potuit Paulus reprehendere Petrum, cum et ipse Paulus legalia servasset. ex. gr. cum circumcidit Timotheum?

Resp. Paulum quidem circumcidisse Timotheum, quia secus eum non recepisent Judaei, eo quod esset semi-Judaeus; sed per hoc factum Gentiles scandalizati non sunt, quia Paulus numquam adduci potuit ut circumcideret Titum; ex quo Gentiles deducebant, circumcisionem, juxta Paulum, non fuisse, necessariam: Petrus autem ut scandalum vitaret Judaeorum, occasionem scandali praebebat Gentibus.

703. Exponatur hic locus, (II, 7): Creditum est mihi Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis.»

Sensus est: «Ego a Deo specialiter destinatus sum ad annuntiandum Evangelium Gentilibus, sicut et Petrus Judaeis» quod de initio Ecclesiae intelligendum est, cum adhuc valde abhorrerent Judaei a Gentibus.

704. Hujus loci expositio, (III, 10); Quicumque enim ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.»

Apostolus vers. 9, dixerat: «Igitur qui ex fide sunt, benedicentur cum fideli Abraham.» Sensus ergo vers. 10 est: Lex maledicit illum qui non servat eam; et nemo ab hac maledictione

(2) 2. 2. q. XLIII, art. 6, ad 2.

liberari potest nisi per fidem. Qui ergo confidit tantum in operibus Legis, independenter a fide, sub maledictione Legis est, nisi totam Legem impleverit.

705. Exponatur hic locus, (IV, 25): «Sina enim est mons in Arabia, qui conjunctus est ei qui nunc est Jerusalem.»

Sic exponit hunc locum Schouppe: «Agitur hi de conjunctione, non quoad locum, sed quoad similitudinem. Sensus est: Sicut in monte Sina, ita et Jerosolymae, tamquam in sede praecipua Judaeorum, traditur Lex vetus servilis: utrobique generantur filii, sed servi veteris Legis; non spiriruales, sed carnales.» (1) Sed juxta P. Scio, sensus est: Sicut in monte Sina, Lex data fuit Moysi, sic et Lex evangelica data est Jerosolymae in monte Sion. (2)

706. Quomodo Apostolus (V, 3) dicat, quod omnis homo, qui circumcidebatur, foret debitor universae legis faciendae, cum in tota hac epistola doceat observationem legalium esse Galatis illicitam.

Juxta Apostolum, omnes hi qui circumcidebantur, putantes circumcisionem esse necessariam, tenebantur, non ex parte operis, sed ex conscientia erronea, totam legem servare: nam circumcisio erat tacita veteris Legis et Judaismi professio, sicut et Baptismus est professio legis evangelicae et Christianismi.

707. Qualia fuerint stigmata, quae Apostolus in corpore suo se portare dicit. (VI, 17.)

Sensus non est, quod Apostolus portaverit in carne sua, vulnera Christi crucifixi, sicut de S. Francisco legitur; sed stigmata Domini vocat plagas et cicatrices, ex verberibus et vulneribus pro Christo susceptis, de quibus 2 Cor. XI, 25, scribit: «In laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter.» Super quae verba scribit S. Hieronymus: «Qui in plagis supra modum, in carceribus frequenter, ter virgis caesus est, semel lapidatus est, et caetera quae in catalogo scripta sunt gloriandi, hic stigmata Domini Jesu in corpore suo portat.» (1)

---

(1) *Cur Scrip. Sac.*, P. II, Sec. I *Difficult. Epist. ad Galat.*
(2) *Bibl. Sac.* in cap. IV, hujus Epist.
(3) *In cap. VI ad Galat.*

Caput XIII

De Epistola ad Ephesios.

PARS CRITICA.

708. Fundatio Ecclesiae Ephesi. = 709. Generalis descriptio Epistolae. = 710. An haec Epistola sit encyclica, vel scripta fuerit tantum ad Ephesios. = 711. Quo loco et tempore fuerit exarata. = 712. Occasio et scopus. = 713. Authentia. = 714. Errores Baur, de Wette aliorumque in hac materia·

708. Ephesus, civitas Asiae Minoris, sita non longe a mari, ad ostium fluvii Caystri, erat caput Joniae, et celeberrimum totius Asiae citerioris emporium, oratoribus, poetis ac philosophis celebratissimum. Hujus celebritatis causa fuit etiam magnificum templum Dianae, 127 columnis per reges donatis sustentatum. Ab anno 133 a. J. C., fuit caput Provinciae Romanae.

Immoralitas incolarum hujus civitatis in proverbio erat.

Apostolus praedicare voluit Ephesi in secundi itineris initio, sed prohibitus a Spiritu Sancto, ne tunc amplius praedicaret in Asia Minori, pergit ad fundandas Ecclesias Macedoniae et Achajae. Ad finem hujus itineris exiens Apostolus es Corintho una cum Aquila et Priscilla ut venirent Jerusalem, paucos dies commoratus est Ephesi, ibique disputavit cum judaeis in synagoga. Rogatus ab Ephesiis ut illuc maneret, non fuit possibile huic petitioni accedere, sed promittens eis, cito esse reversurum, pergit suum iter, derelictis Ephesi Aquila et Priscilla: hi continuarunt opus Evangelicum a Paulo inauguratum, et instructionem religiosam Apollo absolverunt. Apostolus principium dedit suo tertio itineri, et percurrens partes mediterraneas Asiae Minoris, pervenit Ephesum, ibique mansit ab anno 55 ad 58. Tribus mensibus docuit in Synagoga: sed cum fere omnes judaei rejecissent Evangelium, discedens ab eis, disputabat in domo cujusdam Tyranni, qui probabiliter vir potens et dives erat; hoc enim etiam significat nomen graecum τυράννος.

Cum Paulus plura et magna patraret miracula, fides christi non modo propagata est per civitatem, sed etiam per totam provinciam totamque Asiam. Sed ob magnum quemdam tumultum, Paulus Ephesum relinquere coactus est. Ex Asia et Graecia, magna confluebat peregrinorum multitudo ad templum Dianae. Juxta Mythologiam, Diana erat filia Jovis et soror

Apollinis; habebatur ut *dea* castitatis et venationis, quapropter eam depingebant arcu et sagittis. S. Hieronymus, et etiam Cornely agens de hac Epistola, censent, Dianam quam adorabant incolae Ephesi, fuisse illam multimammiam, quae erat nutrix omnium bestiarum et viventium. (1) Jam vero, tumultus supra indicatus, sic describitur a Luca: «Demetrius enim quidam nomine, argentarius, faciens aedes argenteas Dianae, praestabat artificibus non modicum quaestum: quos convocans, et eos qui hujusmodi erant opifices, dixit: Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio: et videtis et auditis quia non solum Ephesi, sed pene totius Asiae, Paulus hic suadens avertit multam turbam, dicens: Quoniam non sunt dii, qui manibus fiunt. Non solum autem haec periclitabitur nobis pars in redargutionem venire, sed et magnae Dianae templum in nihilum reputabitur, sed et destrui incipiet majestas ejus, quam tota Asia et orbis colit. His auditis, repleti sunt ira, et exclamaverunt dicentes: Magna Diana Ephesiorum. Et impleta est civitas confusione, et impetum fecerunt uno animo in theatrum, rapto Gajo, et Aristarco Macedonibus, comitibus Pauli.» (2) Hac de causa, Paulus Ecclesiam Ephesi reliquit et profectus est in Macedoniam. Anno sequenti, revertens iterum Jerusalem, presbyteros Ephesi Miletum ad se vocavit, exhortans eos, ut magnam curam de illa Ecclesia gererent. Ipse vero Apostolus, non visitavit Ephesum nisi postquam liberatus est a primis suis vinculis Romae. Interea lupi rapaces, Ecclesiam illam invaserant, et quidam etiam presbyteri perversa dogmata docere coeperant. Quapropter Ephesum revertens post primam captivitatem, ibi reliquit Timotheum ut Ecclesiae invigilaret. Post Pauli mortem, S. Joannes Ephesi sedem suam fixit, ibique commoratus est cum B. V. Maria usque ad mortem utriusque. Primus itaque Episcopus Ephesi fuit Timotheus.

709. Habet haec Epistola sex capita, quae in duas partes dividi possunt; altera *Dogmatica* (I-III) ubi Apostolus Deum laudat ob gratiam Evangelii illis fidelibus concessam; statim agit de gratuita tum judaeorum tum gentilium vocatione, ostendens praecipue gentilibus, quam magnum sit Dei beneficium, quo a peccatis et morte liberati, *convivificati sunt in Christo* ut

(1) *Prolog. in Ephes.*=Cornely, op. saep. cit. *De Epist. ad Ephes.*
(2) *Act.* XIX, 24 et seqq.

jam non sint *hospites et advenae, sed cives sanctorum, et domestici Dei.* Denique docet, vocationem gentium fuisse quidem Prophetis et Apostolis revelatam, sed sibi a Christo fuisse commissam speciali modo ejus executionem: altera *moralis* (IV-VI), ubi loquitur de Ecclesiae unitate, de sanctitate conjugii deque ejus mystica significatione, et hortatur fideles ut unitatem in fide et charitate servent, a paganorum vitiis et superstitionibus abhorreant, et ad Christi exemplum, humilitatem, obedientiam aliasque virtutes exerceant.

710. Nunc quaeritur, ad quos missa fuerit haec Epistola.

Teste Tertulliano, in canone Marcionis, haec Epistola, hanc inscriptionem prae se fert, «*ad Laodicenos*» propter quod nonnulli rationalistae ut Mill, Benson et Paley affirmarunt, hanc Epistolam scriptam fuisse ad Laodicenos, non ad Ephesios. Sed scimus, Marcionem titulum hujus Epistolae interpolasse; ait enim Tertullianus: «Ecclesiae quidem veritate epistolam istam ad Ephesios habemus non ad Laodicenos; sed Marcion ei titulum aliquando interpolare gestiit, quasi et in isto diligentissimus explorator.» (1)

Ubaldi putat epistolam directe quidem ad Ephesios missam esse, ut in ejus exordio (I, 1) expresse affirmatur, sed eo consilio ut exinde ad alias quoque Asiae proconsularis Ecclesias legenda mitteretur. (2)

Alii ut Caminero putant, hanc epistolam esse encyclicam, ejusque inscriptionem, «Paulus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, omnibus sanctis qui sunt,... et fidelibus in Christo Jesu.» Tychicus per quem missit epistolam, loco illius vacui, ponebat nomen Ecclesiae, cui tradebat unum exemplar epistolae.

Militant pro hac sententia sequentes rationes: 1.ª inscriptio *ad Ephesios* deest in Codicibus Vaticano et Sinaitico, et juxta S, Basilium in pluribus antiquis exemplaribus deerat: 2.ª In tota hac Epistola, nulla fit allusio ad longam Pauli permanentiam apud Ephesios et ad persecutiones quas sustinuit: nihil dicit de Timotheo qui cum eo erat Romae, quique notissimus erat Ephesiis; non mittit salutationes; proponit praeterea argumentum, modo quodam generali, et demum ad lectores ita loquitur, quasi eum

(1) *Adv. Marc.* V, 17.

(2) Op. saep. cit. *Introd. Crit.* P. I. Sect. I. Cap. I. Art. II.

non cognovissent, neque ipse eorum notitiam, nisi per alios habuisset (III, 2, I, 5.) Ergo haec Epistola videtur encyclica, et non ad solos Ephesios missa.

Cornely, quamvis non neget horum argumentorum vim, tamen docet hanc Epistolam scriptam fuisse ad Ephesios: quia hoc testantur, ex Ecclesia Romana fragmentum Muratorii; ex Ecclesia Galicana et Asiatica S. Irenaeus dicens: «Quemadmodum et B. Apostolus ait in ea, quae est ad Ephesios epistola.» (1); ex Ecclesia Africana Tertullianus, loco supra citato: et demum ex Ecclesia Alexandrina, S. Clemens. (2) S. Basilius disputans cum Eunomio, citat primum versum hujus Epistolae, et hanc vocat *ad Ephesios*. Et Origines ait: «De solis Ephesiis invenimus scriptum τοις αγιοις τοις ουσιν (sanctis qui sunt)» quae verba in exordio Epistolae (I, 1) leguntur. Patres recentiores, ut Augustinus, (3) Hieronymus, (4) et omnes alii, uno ore fatentur hanc Epistolam scriptam fuisse ad Ephesios.

Inter omnes veteres codices, tantum in Vaticano et Sinaitico deest incriptio «*ad Ephesios*;» omnes alii codices hanc inscriptionem prae se ferunt.

Defectus salutationum, Paulum lectores suos non cognoscere, minime significat, neque ideo non scripsisse ad Ephesios; secus idem dici deberet de epistolis ad Galatas, 2.ª ad Cor. et 1.ª et 2.ª ad Thess. ubi etiam desunt salutationes. Insuper praedicta omissio, facile explicatur si quis consideret, Tychicum qui Epistolam portabat, missionem habuisse salutandi omnes notos Apostoli.

Quod nihil dicatur de Timotheo, singulare est, sed nom motivum sufficiens, ut rejecta omni traditione. quis dicat nostram Epistolam non fuisse scriptam ad Ephesios.

Demum Renan fatetur, in hac Epistola optime describi mores et vitia Ephesiorum.

Deveniamus ad testimonia interna. Apostolus (III, 2) sic loquitur ad suos lectores: «*Si tamen* audistis dispensationem gratiae Dei, quae data est mihi in vobis;» sed Apostolus ad Ephesios non poterat loqui hac forma dubitativa.

Resp. illis verbis *Si tamen* respondere in graeco «ειγε» id est *Siquidem*, unde forma non est dubitativa sed affirmativa.

(1) *Adv. haer.* 5 2.
(2) *Strom.* 4.
(3) *De Doct. Christ.* Lib. II, cap. 8.
(4) *Prolog. in hanc Epist.*

Alius locus, qui ab adversariis citatur est, (I, 15) «Propterea et ego audiens fidem vestram etc.;» qui locus significare videtur Apostolum non praedicasse fidem suis lectoribus.

Resp. ex hoc inferri, Apostolum misisse hanc Epistolam tantum his qui ab ipso fidem non acceperunt: quod si verum est, nescio quomodo nostra Epistola vocari possit encyclica.

Praeterea cum Paulus jam plus tribus vel quatuor annis Ephesios non viderat, dicere potuit *se audivisse* eos fidem Christi integram et illibatam conservasse.

711. Epistola haec scripta fuit Romae in prima Pauli captivitate circa ann. 63. Nam pluries se dicit captivum (III, 1, IV, 1; VI, 20); sed ita ut annuntiet proximam suam libertatem (V, 19-22) quod de secunda captivitate dici non potuit. Missa fuit per Tychicum, unam cum Epistolis ad Colossenses, ad Philippenses et ad Philemonem, ut ait S Hieronymus: «Scribit igitur ad Philemonem Romae vinctus in carcere: quo tempore mihi videntur ad Philippenses, Colossenses, Ephesios epistolae esse dictatae.» (1)

712. Cum Paulus esset Romae captivus, ab Epaphrodito Philippensium episcopo scivit ingens periculum imminere Ecclesiis Asiae Minoris, et praesertim Ephesinae ob falsos doctores judaizantes et gnosticos, qui neophitos a Christiana fide abducere conabantur, vocationem ad fidem gratuitam esse negantes, sed eam tribuentes observantiae legis mosaicae vel naturalis. Scopus ergo Apostoli fuit, Ephesios in accepta fide confirmare, et errores ac superstitiones impiorum damnare.

Cornely videt in hac Epistola indicia alicujus divisionis inter christianos judaeos et gentiles, fortasse quia judaei contemnebant gentiles, ob eorum corruptionem morum. Sed de hac re nihil invenitur apud Patres tum veteres, tum etiam recentiores.

713. Authentiam hujus Epistolae testantur, antiquissimae versiones et codices, et omnes Patres, praesertim S. Irenaeus, Tertullianus, S. Clemens Alex., Origenes, SS. Basilius, Augustinus et Hieronymus (Vid. pág. 532).

Id ipsum probat intima relatio et unitas argumenti, cum Epistola ad Colossenses quae genuina est.

Demum hanc authentiam agnoverunt, haeretici priorum saeculorum, ut Marcion, Basilides, Valentinus aliique.

---

(1) *In Epist. ad Philem.*

714. Quidam rationalistae docuerunt, hanc Epistolam scriptam fuisse saeculo 2.° quia, juxta Baur, in ipsa approbantur errores Gnosticos et Manichaeorum: sed alius rationalista, nempe Hilgenfeld, affirmat hanc Epistolam scriptam fuisse quidem saeculo 2.°, sed in ea rejici errores Gnosticorum et Manichaeorum. Prius se mutuo conforment, et dein nobis objectionem proponant.

Praeterea, illi errores de quibus et sermo, partim saltem cogniti erant jam saeculo I.

De Wette, Ewald et alii negant hanc Epistolam esse Pauli eamque tribuunt alicui discipulo Apostoli. Juxta illos ratio est, quia haec Epistola non aliud est quam repetitio et ampliatio quaedam Epistolae ad Colossenses: fere eadem verba adhibentur, quod Apostolo indignum videtur.

Resp. negando hanc Epistolam esse repetitionem vel ampliationem Epist. ad Coloss.: nam in utraque *argumentum* est distinctum; Ephesiis ostendit magnitudinem beneficiorum Christi: Colossensibus vero ipsam Christi dignitatem. *Modus* etiam argumentationis est diversus in parte dogmatica; nam in nostra Epistola omnis deest polemica, non vero in alia.

Fatemur quidem quamdam dari affiinitatem styli et identitatem etiam quorumdam terminorum, inter utramque Epistolam, quod mirum esse non debet, cum Apostolus has Epistolas scripserit, parvo intervallo temporis.

PARS EXEGETICA

715. Exponatur hic locus, (I, 5) «Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Cristum in ipsum, secundum propositum voluntatis suae.» =716. Quomodo intelligendum sit quod dicitur (I. 10): «In dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo, quae in coelis et quae in terra sunt.» =717. Quo sensu (V, 5) avaritia dicatur *idolorum servitus*.

715. Haec praedestinatio et electio de qua loquitur Apostolus vers. 4, vel est ad fidem, et tunc est omnino gratuita, et ante praevisa merita, id est «secundum *propositum voluntatis suae*»; vel etiam est probabilius ad gloriam: et tunc juxta S. Augustinum, S. Thomam et plures interpretes ac theologos, est etiam ante praevisa merita; secus non daretur proprie loquendo electio secundum propositum (por un puro efecto) voluntatis

Dei; et multo minus dici posset, praedestinatos *sorte* vocatos esse, ut ait Apostolus (I, 11). Praeterea, si adversariis hujus sententiae repugnat quod praedestinatio ad gloriam sit omnino gratuita et ante praevissa merita, eodem modo repugnare debet quod vocatio ad fidem sit ante praevissa merita; qui enim ad fidem non vocatur a gloria excluditur. Sed de his Theologi.

716. Quomodo intelligendum sit, quod dicitur, cap. I, v. 10 «... instaurare omnia in Christo, quae in coelis, et quae in terra sunt.

Resp. Wouters cum S. Augustino, Enchir. cap. 62: «Instaurantur quae in coelis sunt, cum id, quod inde in Angelis lapsum est, ex hominibus redditur. Restaurantur autem quae in terris sunt, cum ipsi homines, qui praedestinati sunt ad vitam aeternam a corruptionis vetustate purgantur.» Et hanc instaurationem Theologi vocare solent restaurationem ruinae angelicae quae fit ex hominibus electis. Instaurat igitur Christus ea, quae in coelis sunt, cum sedes gloriae, daemonum lapsu vacuas, et numerum Angelorum, hoc eodem lapsu imminutum, per homines restaurat et implet: *cum*, ut ait S. Gregor. Lib. 31, cap. 35, *illuc humilitati homines redeunt, unde apostatae Angeli superbiendo ceciderunt*: sicque homines et Angelos ad unam domum, scilicet Ecclesiam, et ad unum caput revocat. Dissociata enim et divisa per Adae peccatum erat haec Ecclesiae domus, et uno pariete, Angelorum scilicet societate, integro et perfecto, inquit S. Chrysost., paries alter corruerat, nos nempe homines ab Ecclesia et societate Angelorum collapsi eramus in societatem jugumque daemonis: Christus ergo hunc domus parietem, id est nos homines Ecclesiae restituit, sicque totam domum, scilicet Ecclesiam Angelorum restauravit ut jam una ex utrisque integra et perfecta sit domus, sibi, quasi capiti et lapidi angulari devincta, astricta et unita... Non obest quod S, Hieronymus, in cap. 1 ad Ephes. non legat *instaurare* sed *recapitulare*; nam *recapitulare* hic idem significare potest, quod *instaurare*: Recapitulatio enim est figura Rethorices, qua Orator in summam colligit multa, quae prius dixit: sic et Deus per Christum restaurans Angelorum ruinas, in summam collegit Angelos, et homines in coelo sub uno Ecclesiae capite ut jam dictum est.» (1)

(1) *Dilucid. in Epist. ad Ephes.* Quaest. II.

717. Quo sensu (V. 5) avaritia dicatur *idolorum servitus.*

Avarus dicitur idololatra, quia ejus idolum est pecunia in qua felicitatem suam constituit; quod similiter dici posset de aliis peccatoribus, qui in creaturis felicitatem suam ponunt.

Caput XIV

De Epistola ad Philippenses.

PARS CRITICA

718. Fundatio Ecclesiae Philippensis.=719. Doctrina contenta in hac Epistola.=720. Num missa fuerit ad omnes fideles Philippenses.=721. Utrum Apostolus praeter hanc Epistolam, aliam etiam scripserit ad Philippenses.=722. Quo tempore et loco scripta fuerit nostra Epistola.=723. Occasio et scopus.=724. Authentia.=725. Errores Baur.

718. Philippos, Macedoniae civitas, dicta etiam Krenides (fonticuli) propter multitudinem fontium, qui circa collem in quo sita erat inveniebantur, aedificata fuit, vel saltem aucta et munita a Philippo, patre Alexandri Magni, ut se defenderet contra Thracios. Occupabat illum locum qui est inter flumen Strymon et Mare Aegeum, quod est portio Mediterranei inter Graeciam et Asiam Minorem. Hodie ejus ruinae subsistunt sub nomine Phelibe. In Actibus Apostolorum, Philippos vocatur «*prima civitas Macedoniae*» non quod nobilitate vel multitudine incolarum, primatum obtineret inter omnes civitates Macedoniae, sed quia Philippi a mari Aegeo venientibus erat prima civitas istius partis Macedoniae. Prope hanc civitatem devicti sunt Brutus et Cassius, ab Octavio et Antonino. Sub jugo Romano, tota Macedonia facta est provincia Romana, in eaque Octavius creavit coloniam, quae vocata est *Colonia Augusta Julia Philippensis.*

Sicut legimus in Act. Apostolorum (1), Paulus, postquam fundavit Ecclesias Galatiae, prohibitus a Spiritu Sancto ne tunc amplius praedicaret in Asia Min., Troadem venit, ubi nocte ei apparuit quidam vir Macedo dicens: «Transiens in Macedoniam adjuva nos». Videns Paulus hanc esse Dei voluntatem, iter aggreditur, una cum Sila, Timotheo et Luca et venit Neapolim, et dein Phillippum, quae ex illa parte est prima civitas Mace-

(1) XVI, 12 et seqq.

doniae, ut ait S. Lucas. Inter incolas hujus civitatis, paucissimi erant Judaei, qui ideo neque synagogam habebant, sed tantum *domum orationis*. Conversa est ad fidem quaedam mulier nomine Lydia, purpuraria civitatis Thyatirenorum, quae baptizata est simul cum tota ejus familia, et exinde Paulus habitavit in domo hujus piae mulieris. Erat in civitate puella quaedam a daemonio possessa, quae magnum praestabat quaestum dominis suis, divinando.

Sed Paulus ejecit ab ea daemonium: videntes ergo domini puellae quia exiret spem quaestus eorum, moverunt populum et adduxerunt Paulum et Silam ad magistratus, dicentes: «Hi homines conturbant civitatem nostram cum sint Judaei.»; et virgis caessi sunt et in carcerem missi: sed media nocte terrae motus factus est magnus, ita ut omnia carceris ostia aperirentur: itaque Paulus posquam baptizavit custodem carceris totamque ejus domum debita a magistratibus satisfactione obtenta eo quod esset cives Romanus, una cum Timottheo et Luca, exiit e civitate Philippi et venit Thessalonicam. Postea Paulus bis hanc Ecclesiam visitavit in suo tertio itinere.

719. Haec Epistola habet quatuor capita. Cap. I. et II ostendit suum amorem erga Philippenses, et laudat eorum pietatem: postea hortatur eos, ad mutuam dilectionem et obedientiam, et ad tolerantiam passionum, ubi de suis vinculis loquitur et de eorum efficacia in ordine ad propagationem Evangelii. Cap. III, adversus judaizantes aliosque pseudo-apostolos ostendit, nostram salutem pendere non ab observantia veteris legis, sed tantum a gratia Christi. Cap. IV, gratias agit Philippensibus pro eorum liberalitate erga ipsum in vinculis constitutum, et ut de more salutationibus concludit Epistolam.

720. Haec epistola missa fuit ad omnes fideles Philippenses; nam exhortationes, consilia, laudes, doctrina sicut et liberalitas Philippensium erga Paulum communia sunt omnibus, et non tantum membris Cleri.

Sed fortasse dices, quod si Paulus scripsisset ad omnes, non postposuisset Episcopos et Diaconos, cum dicit: «Paulus... omnibus sanctis in Christo Jesu, qui sunt Philippis, cum Episcopis et Diaconibus.» (1)

Respondeo, Apostolum, primo generatim omnes fideles

(1) I, 1.

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGIST

salutare, et dein speciatim honoris gratia Episcopos et Diaconos; quasi diceret: «Paulus... omnibus sanctis... et praesertim Episcopis et Diaconibus.»

Adversarii ut ostendant hanc Epistolam non ad simplices fideles Philippenses, sed ad Episcopos tantum missam fuisse, dicunt veram civitatem non posse habere nisi unum Episcopum.

Resp. Wouters, Paulum hanc Epistolam misisse non adsolos fideles, qui erant Philippis, sed etiam ad illos, qui erant in vicinis civitatibus, sicut Epistolam ad Colossenses voluit Paulus legi etiam a Laodicensibus.

Praeterea neque ullum est inconveniens in hoc quod in primitiva Ecclesia, sub uno Episcopo plures alii essent, qui ad hanc vel illam civitatem destinabantur, cum ibi fides sufficienter propagata fuisset.

721. Paulum ad Philippenses, praeter hanc Epistolam, aliam etiam scripsisse, quidem inferunt ex his verbis, Cap. III. v. 1, «Eadem vobis scribere mihi quidem non pigrum, vobis autem necessarium.»; quae verba, alii intelligunt non de iteratione Epistolae, sed de repetitione earumdem rerum in una eademque Epistola.

722. Paulus hanc Epistolam scripsit, Romae in sua prima captivitate: nam cap. I affirmat se esse in vinculis; et cap. II, 24 ait: «Confido autem in Domino, quoniam et ipse veniam ad vos cito.», quod minime dicere potuit in secunda captivitate ut clarissime apparet ex 2.ª Epist. ad Timotheum, ubi inter alia dicit: «Ego enim jam delibor et tempus resolutionis meae instat. Bonum certamen certavi, cursum consummavi etc.» (1)

Admitti non potest opinio eorum qui censent, Paulum hanc Epistolam Caesareae scripsisse, quia salutat Philippenses nomine eorum, *qui de domo Caesaris sunt,* (2) (inter quos nonnulli recensent Senecam et Lucanum, et sic verissimilis fit existentia epistolarum Pauli ad Senecam et vice versa.) Neque certo affirmat Paulus se non fore damnandum: hanc vero certitudinem habere potuit Caesareae, cum ut cives romanus appellare poterat ad Caesarem. Haec Epistola scripta fuit fere eodem tempore ac Epistolae ad Colossenses, ad Ephesios et ad Philemonem.

(1) 2,ª *ad Timoth.* IV, 6, 7.
(2) IV, 22.

723. Paulus multum diligebat Philippenses, qui sublevarunt indigentiam ejus cum evangelizaret Thessalonicenses et Corinthios. Semel habita a Philippensibus notitia captivitatis Pauli Romae, non modo ei miserunt omnia ad victum necessaria, sed etiam suum Episcopum Epaphroditum ut consolaretur et juvaret Apostolum. Ex narratione Epaphroditi, scivit Apostolus, Philippis fuisse contentiones et alia necessario corrigenda, praeter periculum perversionis ex parte judaizantium.

724. Unanimiter a Patribus authentia hujus Epistolae agnoscitur: inter alios, hujus authentiae testes sunt, S. Polycarpus qui ad Philippenses scribens, commemorat epistolam quam ad eos misit Apostolus; Marcion qui in suo Canone habebat hunc librum; fragmentum Muratorii qui illum exhibet, S. Iraeneus, Tertullianus, et clerus Lugdunensis et Viennensis, qui martyres suos honorat, eo quod studuissent imitari Christum «qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo» quae verba ex nostra Epistola desumpta sunt (II. 6). (1)

725 Authentiam hujus Epistolae negavit Baur: 1.ª Quia juxta ipsum, auctor hujus Epistolae docet gnosticismum, illis verbis «Qui cum in forma Dei esset. etc»; et etiam favet docetis, his aliis verbis «In similitudinem hominum factus etc.»: 2.° Quia quaedam locutiones ut *canes* (III, 2) indignae sunt Apostolo; et 3.° quia illa verba *De caetero* quibus incipit caput tertium, indicant Paulum absolutam reliquisse Epistolam in praecedentibus; ergo saltem duo postrema capita non sunt Pauli.

Ad 1.um respondebimus in parte exegetica hujus capitis.

Ad 2.um dico etiam Christum adhibuisse verbum *canibus*, dicens: «Nolite dare sanctum canibus.» (2)

Ad 3.um respondeo, hoc argumentum omni fundamento carere. Nam 1.°, illa verba *De caetero*, minime supponunt jam Epistolam fuisse absolutam in praecedentibus, sed tantum denotant mutationem argumenti in eadem Epistola: 2.° Quia secus abrumperetur ordo Epistolae, neque dignam haberet conclusionem; deficerent namque consuetae salutationes, quibus generatim absolvit Paulus suas Epistolas; 3.° quia versiones, codices, Patres omnesque scriptores, utramque sectionem Paulo

(1) Conf. Cornely, op. saep. cit. *in hanc Epist.*

(2) *Matth.* VII, 6.

adscribunt; et demum 4.° quia apu dadversarios, inter quos numerantur Grotius, Baur, Paulus, Krause et alii, nulla est concordia, circa epocham, locum, auctorem etc.

PARS EXEGETICA.

726. Utrum ex his verbis, (II, 6.) «Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo» inferatur, Jesum Christum non esse verum Deum: et an ex his aliis (ibid. 7): «Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo» inferri possit, Christum non esse verum hominem.= 727. Exponatur hic locus (II, 13): «Deus est enim qui operatur in nobis et velle et perficere pro bona voluntate.» 728. Quid sit Christi nomen, quod dicitur esse super omne nomen.

726. Baur putat his verbis «Qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo» gnosticismum doceri, ideoque et divinitatem Christi negari.

Resp. minime ex his verbis inferri Christum non esse Deum, nisi textus hoc modo interpretetur ut a Baur fit: «Qui cum non haberet nisi formam, id est, *speciem* (apariencia) Dei, tamen non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo.» Sed hujusmodi interpretatio est omnino gratuita et arbitraria, et contraria interpretationi Patrum, qui unanimiter fatentur, in hoc textu *formam* significare *naturam vel essentiam* Dei: unde Christus est Filius Dei, aequalis et consubstantialis Patri, non rapina sed ratione suae naturae. Id ipsum docet Apostolus, in Epistolis ad Colossenses et ad Hebraeos. (1)

Neque ex his verbis «Sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, et habitu inventus ut homo» infertur Christum non habuisse nisi hominis similitudinem, ideoque non fuisse verum hominem; sed juxta omnes Patres sensus est, quod Christus videretur quasi humanitatem habens subjectam peccato propter suas necessitates et qualitates communes cum humanitate aliorum hominum, quamvis a peccato tum originali tum actuali omnino immunis fuisset. Igitur, Christus in similitudinem hominum factus dicitur, quia in omnibus similis erat hominibus (quoad humanitatem) excepto peccato. (2)

(1) *Coloss.* I, 15.=*Hebrae.* I, 3.
(2) *Ad Heb.* II, 7.

727. Exponatur hic locus, (II, 13): «Deus, est enim qui operatur in vobis et velle et perficere, pro bona voluntate.»

His verbis, quadruplex error refutatur: 1.us eorum qui dicunt, hominen solo suo libero arbitrio et sine Dei gratia, posse salutem aeternam consequi: 2.us illorum qui affirmant hominem libero arbitrio carere; nam velle et perficere in homine est: 3.us aliorum qui censent *velle* et ideo *eligere* esse in potestate hominis, et tantum *perficere* Deo tribuunt; et 4.us eorum qui docent, Deum in nobis operari velle et perficere, propter nostra propria merita: nam juxta Apostolum, id Deus operatur *pro bona voluntate;* nullum enim meritum hominis antecedit gratiae Dei: sic S. Augustinus et omnes Patres.

Si vero sub alio adspectu consideretur, tum thomistae jure ac merito asserunt, Apostolum confirmare eorum sententiam de praemotione physica in ordine naturali, et de virtute gratiae Dei, quae efficax est, non ex consensu hominis sed ab intrinseco. Aliter tamen hunc locum interpretantur alii theologi.

728. Apostolus, cap. II, loquitur de Christo, qui se humiliavit usque ad mortem crucis; et addit, v. 9: «Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen.»

Nunc quaeritur, quid vel quale sit hoc nomen. Estius dicit: hoc nomen esse «*Deus*» vel «*Filius Dei*» non vero nomen *Jesus*, quod Christo multo ante exaltationem impositum fuerat, et praeterea est ei commune cum pluribus hominibus.

Alii cum Cornelio a Lapide putant, Apostolum loqui etiam de hoc nomine *Jesus*, quod Salvatorem vel Redemptorem significat, ipsumque meruit Christus factus obediens usque ad mortem, quia per hanc mortem salvum fecit genus humanum.

Juxta Tostatum nomen *Jesu* majus ac venerabilius est quam nomen *Dei*. Nam *Deus* significat Ens supremum, quatenus est creator; *Jesus* autem quatenus est redemptor: jam vero, opus redemptionis majus beneficium est, quam opus creationis.

«Hinc sequitur, inquit A Lapide, nomen Jesu, cum sit proprium et adaequatum Verbi incarnati, omnia alia Christi nomina (quae plurima praestantissima ei tribuit Scriptura) complecti et transcendere, ut sit nomen super omne nomen. Atque hinc ulterius sequitur quod nihil contra resolutionem jam datam faciat secunda ratio ab Estio supra allegata, nempe quod nomen *Jesus* etiam multis aliis fuerit commune: nam quamvis Josue, et non

nullis aliis veteris Testamenti sanctis illud nomen fuerit impositum, tamen tunc non complectebatur aut significabat ea omnia, quae jam complectitur ac significat, dum dicitur de Christo Domino, ac Salvatore nostro.» (1)

Caput XV

De Epistola ad Colossenses.

PARS CRITICA.

729. Fundatio Ecclesiae Colossensis. An S. Paulus hanc Ecclesiam fundaverit.=730 Synopsis hujus Epistolae.=731. Occasio et scopus.=732. Quo loco et tempore scripta fuerit.=733. Ejus authentia.=734. Rejicitur erronea opinio Hilgenfeld.

729. Colossae, vel Colossas, erat civitas Phrygiae in Asia Min., sita inter Laodiceam et Hierapolim, in loco ubi flumen Lycum quasi uno Kilom. subterraneum est, et postea conjungitur cum Meandro, et utrumque suas aquas vertit in mari Aegeo, prope insulam Sammos. Juxta Herodotum et Plinium, fuit Colossas una ex civitatibus celebrioribus: sed tempore Apostoli nulla gaudebat celebritate. Paulo post scriptam hanc Epistolam, Colossas, sicut et Laodicea et Hierapolis terrae motu corruere, teste Theophilacto.

Apostolus bis transivit per Phrygiam, tamen ipse non fundavit Ecclesiam Colossensium, ut infertur ex his verbis, cap. II, v. 1: «Volo enim vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis et pro Laodicensibus et quotquot non viderunt faciem meam in carne.» Quae tamen verba sit exponit Theodoretus: «Volo enim vos scire, qualem sollicitudinem habeam *non solum* pro vobis et Laodicensibus, *sed etiam* quotquot non viderunt faciem meam in carne.» Nemo tamen non videt hunc sensum esse contortum.

Itaque probabiliter, cum Paulus Ephesi praedicaret, ad fidem conversi sunt Epaphras, Philemon et uxor ejus Appia, et Archippus, incolae civitatis Colossae, et hi, et praesertim Epaphras Colossensibus Evangelium praedicavit, hancque Ecclesiam fundavit. Hoc infertur ex his verbis Apostoli, (I, 4): «Audientes fidem vestram in Christo Jesu, et dilectionem quam habetis in sanctos

(1) Wouters, *Dilucid. in Epist. ad Philipp.*

omnes. propter spem, quae reposita est vobis in coelis; quam audistis verbo veritatis Evangelii... sicut didicistis ab Epaphra charissimo conservo nostro qui est fidelis pro vobis minister Christi Jesu.»

Quidam, inter quos S. Hieronymus et S. Thomas, putant, Episcopum Colossensium fuisse Archippum, quia Apostolus (IV, 17) ait: «Dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in Domino, ut illud impleas.»

Sed ex his verbis tantum infertur, Archippum fuisse civitatis presbyterum qui curam hujus Ecclesiae gerebat in absentia Epaphrae.

Haec Ecclesia constabat neophytis non modo gentilibus, sed etiam judaeis: secus enim Apostolus non loqueretur de erroribus judaizantium, qui quidem judaizantes, in omnibus fere civitatibus Asiae Minoris inveniebantur

730. Totum argumentum hujus Epistolae quatuor capitibus continetur, et dividi potes in duas partes: 1.ª *dogmatica* (I-II) ubi postquam egerit Deo gratias pro fide Colossensium, docet unum esse mediatorem Dei et hominum, Christum Jesum, qui cum sit omnium creator et etiam Angelorum, nos Patri per suum sanguines reconciliavit; et subjungit Apostolus, cavendum esse a pseudo prophetis et hominibus vana philosophia inflatis, qui contraria huic doctrinae praedicant. 2.ª pars et *moralis* (III-IV) in eaque Apostolus Colossenses hortatur ut a vitiis se abstineant et virtutem amplectantur; mulieres ut subditae sint viris suis, filii parentibus obediant, et servi dominis suis ex concientia et propter Deum; exponit etiam obligationes parentum in filios, et dominorum in servos; demum hortatur ut omnes orationi instent; et consuetis salutationibus Epistolam absolvit.

731. Apostolus, tum ab Epaphra, tum ex epistola quam ipsi scripserant Laodicenses, didicit quosdam Pseudo-Doctores conatos fuisse persuadere Colossensibus, Christum non esse nostrum Mediatorem, sed Angelos, ideoque orationes non esse ad Deum mittendas in nomine Jesu Christi. Christum autem non esse superiorem Angelis qui haberi debent ut minores Dii, et auctores mundi et hominum: hi errores hausti videntur ex Philosophia Platonica, teste S. Augustino. (1) Praeterea hi falsi Doctores docebant necessitatem observationis legalium.

(1) *De Civit. Dei*, lib. VIII, cap. 12 et seqq.

Ad quos errores corrigendos, Apostolus docet, Christum esse superiorem Angelis, et unicum nostrum Mediatorem, dicens: «Quoniam in ipso condita sunt universa in coelis et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum, et in ipso creata sunt: et ipse est ante omnes, et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens. Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare: et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis ejus, sive quae in terris; sive quae in coelis sunt.» (1) Dein, legalia non esse necessaria ostendit scribens: «Nemo ergo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniae, aut sabbatorum: quae sunt umbra futurorum: corpus antem Christi.» (2)

732. S. Gregorius M. censuit, hanc Epistolam scriptam fuisse Ephesi; sed haec opinio ab omnibus rejicitur. Itaque juxta communem sententiam, haec Epistola scripta fuit ab Apostolo, Romae in prima sua captivitate (ann. 62-63) et missa ad Colossenses per Tychicum et Onesimum.

733. Omnes Patres Apostolici et recentiores, sicut et codices et versiones, unanimiter agnoscunt authentiam hujus Epistolae.

Idem dicendum de primis haereticis, ut de Marcione, Valentino, et ejus discipulo Theodoto.

Favent etiam nostrae Epistolae ejus concordia cum Epistola ad Ephesios; nam fatentibus omnibus, eumdem auctorem habent, eodemque tempore conscriptae sunt.

734. Mayerhoff et Baur, hanc Epistolam adscribunt saeculo 2.°, quia in ipsa aliqui errores gnosticorum refutantur.

Sed jam diximus alibi, nonnullos errores gnosticorum, jam saeculo 1.° notos fuisse, ipsis rationalistis fatentibus.

Hilgenfeld negat authentiam hujus Epistolae, quia credibile non est, quod Paulus bis peragraverit Phrygiam, et tamen fuisset incognitus Colossensibus et Laodicensibus, ut ex ipsa Epistola apparet. (II-1.)

Resp. nullum esse inconveniens in hoc quod Paulus bis peragraverit Phrygiam et tamen non visitaverit Colossam et Lao-

(1) *Ad Coloss.* I, 16-20.
(2) *Ad Coloss.* II, 16-17.

diceam. Nam, in secundo itinere Paulus Lystris profectus per Lycaoniam in orientalem Phrygiae partem intravit et Galatiam proprie dictam ingressus, iter per Mysiam versus Troadem continuavit (Act. XVI, 1-8): in tertio autem itinere ex Lycaonia directe Galatiam proprie dictam ingressus per Phrygiam septentrionalem Ephesum pervenit (Act. XVIII, 23; XIX, 1): unde in utroque itinere nec Colossas nec Laodiceam visitare potuit.

Aliud etiam proponit argumentum Hilgenfeld; sed de ipso statim loquemur in parte exegetica.

PARS EXEGETICA.

735. Quo sensu Christus dicatur *primogenitus omnis creaturae* et etiam, *primogenitus ex mortuis.* = 736. Utrum derogent passioni Christi, haec verba (I, 24): «Adimpleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.» = 737. Num S. Paulus, ut Philosophiae inimicus haberi debeat, propter haec verba. (II, 8) «Videte ne quis vos decipiat per philosophiam.» = 738. Exponatur hic locus, (II, 9): «Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.» = 739. Utrum Apostolus (IV, 16) loquatur de epistola a se scripta ad Laodicenses.

735. Cum Apostolus dicat (I, 15) de Christo, quod sit *primogenitus omnis creaturae,* Ariani hanc deduxerunt conclusionem; ergo Christus est creatura: sed ex ipso contextu infertur hanc illationem esse falsam: nam Apostolus, v. 16 et 17 dicit, Christum esse creatorem omnium rerum, et anteriorem omnibus rebus. Unde Christus dicitur, *primogenitus omnis creaturae,* quia ante omnem creaturam; id est ab aeterno genitus fuit: sicut in Ecclesiastico XXIV, idem Dei Filius seipsum vocat *primogenitum ante omnem creaturam.*

Christus (v. 18) dicitur *primogenitus ex mortuis,* quia fuit primus qui surrexit ad vitam immortalem: et quamvis tum in veteri tum in novo Testamento plures surrexerint ante Christum, tamen surrexerunt ad vitam mortalem, rursum morituri, ut revera mortui sunt.

736. Una ex rationibus qua Hilgenfeld negat authentiam hujus Epistolae est, quia passioni Christi derogare censet haec verba (I, 24): «Adimpleo ea quae desunt passionum Christi, in carne mea, pro corpore ejus, quod est Ecclesia.»

Sed haec objectio pravae interpretationi innititur. Nam sensus Pauli est, satisfactionem Christi sufficientem quidem ex se fuisse, sed ejus merita non omnibus et singulis peccatoribus

applicata esse; et inter hos, plures non esse consecuturos fructum passionis Christi, nisi hujus ministri se sacrificarent et paterentur pro peccatorum conversione.

S. Augustinus et S. Leo, sic exponunt praedictum locum: passio Christi fuit sufficientissima et infiniti valoris; unde illa deficientia de qua loquitur Apostolus non est ex parte Christi, sed suorum membrorum; nam juxta Apostolum, Christus est caput Ecclesiae cum qua constituit unum corpus; et hoc modo passioni Christi aliquid deest; cum enim membra ejus gloriam non sit adepturi nisi vi mortificationis et passionis, idcirco, donec membra Christi sint in mundo, vere dici potest quod ejus passioni aliquid deest: et ideo Paulus, ut membrum Christi, sibi ipsi applicat hanc veritatem. Unde S. Leo ait: «Passio Domini usque ad finem perducitur mundi; et sicut in sanctis ipse honoratur, ipse diligitur; et in pauperibus ipse patitur, ipse vestitur; ita in omnibus, qui pro justia adversa tolerant, ipse compatitur.» (1)

737. Nunc quaeritur, utrum ex his verbis (II, 8) «Videte ne quis vos decipiat per philosophiam» inferri possit, Paulum esse Philosophicae scientiae hostem.

Negative respondendum est: quia non raro argumentis philosophicis, et testimoniis etiam philosophorum utitur ad suas doctrinas confirmandas. Apostolus itaque hic agi de erronea philosophia Gnosticorum et Simonianorum, ut apparet ex verbis «et inanem fallaciam» ejusdem loci.

738. Exponatur hic locus, (II, 9): «Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.»

Corporaliter in hoc loco idem significat ac *realiter et substantialiter*, ut constat ex v. 17; «Quae sunt umbra futurorum: corpus autem Christi.»

Itaque sensus est, quod divinitas sit in Christo, non *umbratiliter* ut loquitur S. Augustinus, vel in figura, ut in templo judaeorum; neque per simplicem communicationem gratiae, ut in Angelis, sed substantialiter et essentialiter, per unionem substantialem naturae divina cum humana in Persona Verbi; et non modo in anima, sicut in justis, sed etiam incorpore vi ejusdem unionis substantialis.

Vox *plenitudo* adhibetur ab Apostolo, ad ostendendum ad-

(1) *Serm. ultim. de pass. Domini.*

versus gnosticos, Christum non esse simplicem emanationem a substantia divina, neque meram Dei virtutem, sed veram atque realem Personam divinam quae omnibus perfectionibus divinis dotata est.

739. Utrum ex his verbis, (IV, 16): «Et cum lecta fuerit apud vos epistola haec, facite ut et in Laodicentium Ecclesia legatur, et eam quae Laodicensium est, vos legatis», inferatur, Apostolum scripsisse ad Laodicenses aliquam Epistolam.

Affirmative respondent Sixtus Senensis (1) et alii auctores ab Estio et A Lapide citatis. Meo pauperrimo iudicio haec opinio non est rejicienda, si tantum ad ipsum contextum libri attendamus: nam sicut Paulus vult, ut Laodicenses legant Epistolam quam ipse misit ad Colossenses, ita etiam vult, ut a Colossensibus legatur Epistola ab Apostolo ad Laodicenses scripta.

Praeterea verisimile non est, quod Epistola quae dicitur Laodicentium, esset in manu horum, vel colossensium, et non in manu Pauli: quidem a Paulo mitti potuit una cum Epistola ad Colossenses, sed de tali missione nihil omnino dicitur in Epistola nostra.

Tamen interpretes communiter contrariam tuentur sententiam. Nam in tota antiquitate nulla est notitia praedictae epistolae: imo S. Hieronymus scribit: (2) «Legunt quidam epistolam ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur.»

Et septima Synodus: «Epistolam ad Laodicenses Apostolo adscriptam, Patres nostri tanquam alienam, reprobarunt.»

Igitur epistola dicitur *Loadicentium*, quia a Laodicensibus Paulo scripta est; epistola enim dicitur *ejus* a quo scripta est. Paulus vero, eam legi voluit a Colossensibus, quia, absque dubio, pulcherrima continebat testimonia fidei et charitatis Laodicensium, quibus ad has virtutes colendas excitari poterant Colossenses.

(1) *Biblioth. Sanct.* Lib. II. in Paul.
(2) *De vir. illus.* 16.

Caput XVI

De Epistolis ad Thessalonicenses.

PARS CRITICA.

740. Fundatio Ecclesiae Thessalonicae.=741. Quid contineat 1.ª Epistola.=742. Ejus occasio et scopus.=743. Locus et tempus scriptionis.=744. Doctrina 2.ae Epistolae, ejusque finis.=745. De loco et tempore quo scripta est.=746. Authentia utriusque Epistolae. Solvuntur objectiones Schmidt, Baur aliorumque rationalistarum, praesertim adversus 2.am Epistolam.

740. Thessalonica, antiquitus dicta est *Therma*, ob scaturigines aquarum calidarum quae ibi inveniebantur. Cassander, Antipatris filius, hanc urbem amplificavit et ditavit, eique nomen uxoris suae Thessalonicae, Philippi Magni filiae, imposuit. Sed alii putant, hoc nomen impositum fuisse a Philippo a magnis victoriis quas a Thessalis nactus fuit. Cum Macedonia, provincia romana facta est, Thessalonica erat fere principalis civitas totius Macedoniae et sedes Pretoris, non parum conferens ad hanc prosperitatem civitatis, ejus optimus portus in sinu thermaico situs.

Celebris etiam est haec civitas ob stragem suorum incolarum sub imperio Theodosii. Hodie pertinet ad Turcarum Imperium: dicitur Salonica vel Soloniki, et habet fere 70.000 incolas.

Postquam Paulus Philippis discedere coactus est, Thessalonicam venit una cum Sila et evangelium Christi praedicare coepit in synagoga judaeorum, ex quibus pauci crediderunt, sed ex gentilibus, multitudo magna, et plures mulieres nobiles. Itaque paucis diebus fundata est haec Ecclesia. Judaei autem zelantes, facta turba, concitaverunt civitatem. Tunc Paulus et Silas transierunt in Beraeam, ubi praedicaverunt in synagoga Judaeorum, et multi crediderunt tum ex Gentilibus, tum etiam ex Judaeis. Cum autem id scivissent judaei Thessalonicenses, venerunt Beraeam et commoverunt multitudinem; propter quod Paulus, relictis ibi Timotheo et Sila, perductus est a fratribus usque Athenas, et ad se vocavit Timotheum et Silam, mittens Timottheum ad Thessalonicenses ut consolaretur neophytos.

741. Prima Epistola continet quinque capita. In primis Apostolus laudat Thessalonicenses de eorum fide, patientia et charitate quibus virtutibus facti sunt exemplum ac forma omnium Christianorum Achajae et Macedoniae Cap. II Apostolus se defendit adversus eos qui eum accusabant, de adulatione, de vanitate et avaritia, dicens: «Neque aliquando fuimus in sermone adulationis, sicut scitis; neque in occasione avaritiae... Nec quaerentes ab hominibus gloriam... Ita desiderantes vos cupide, volebamus tradere vobis non solum Evangelium Dei, sed etiam animas nostras.» Cum quidam nimia de parentum suorum morte tristitia afficerentur, ac nimis anxii ac solliciti essent de tempore extremi judicii, eos consolatur, dicens omnes resurrecturos esse, neque eos qui residui sunt in adventum Domini, praeventuros esse eos qui prius mortui sunt. Deinde hortatur omnes, ut parati sint ad illum extremum diem, quia dies Domini veniet sicut fur in nocte. Denique mutuam charitatem, praepositis obedientiam aliasque virtutes commendat, eorum orationes postulat et salutationibus concludit Epistolam.

742. Postquam Paulus praedicavit Athenis, venit Corinthum, ubi Timotheus rediens e Thessalonica, ei manifestavit statum illius Ecclesiae, nempe fervorem neophytorum non obstantibus persecutionibus judaeorum, et amorem eorum erga Apostolum. Tamen etiam narravit Timotheus Paulo, judaeos eum accusasse de vanitate et avaritia, et quasi seductorem et falsarium habere: etiam Timotheus Apostolo notum fecit, quod plures neophyti adhuc non omnino a vitiis gentilium se abstinuissent; quod nonnulli manerent otiosi quia jam proximum judicabant diem adventus Domini, et alii hac de causa, tristitia afficiebantur de sorte eorum qui ante illum diem e vivis sublati essent. His omnibus permotus, Apostolus suam scripsit Epistolam.

743. In pluribus codicibus graecis apparet subscriptio qua haec Epistola dicitur *Athenis* scripta: id ipsum docent Pseudo-Athanasius et Theodoretus: sed certum videtur, Apostolum scripsisse hanc Epistolam Corinthi, non vero Athenis.

Nam cap. III dicit se non scripsisse Epistolam, nisi post reditum Timothei a Thessalonica: et quidem v. 6 scribit: «Nunc autem veniente Timotheo ad nos a vobis, et annuntiante nobis fidem et charitatem vestram etc»: jam vero ex Act. XVIII, 5 scimus, rediens a Thessalonica invenisse Paulum Corinthi.

Praeterea Paulus, ut patet ex loco citato, scripsit epistolam postquam agnovit stabilitatem Thessalonicentium in fide; de hoc autem non fuit certus Athenis, secus non misisset Timotheum ad Thessalonicenses; ergo neque epistolam scripsit Athenis, sed Corinthi circ. ann. 53.

Illa autem inscriptio graeca est interpolata et mendosa; nam in nullis codicibus emendatis invenitur.

744. 2.ª Epistola continet tria capita. In priori Epistola Paulus manifestaverat Thessalonicensibus, vehemens suum desiderium eos videndi; cum ergo hoc ei impossibile fuisset, ideo scribit hanc Epistolam, in qua laudat Thessalonicensium fidem eosque ad constanter pro Christo patiendum hortatur. Quoniam vero ea quae in prima Epistola de resurrectione et de extremo judicio, non bene intellecta fuissent a Thessalonicensibus, ita ut aliqui crederent finem mundi jam instare, et quidam impostor hunc errorem confirmare procuraret, supposita vel ficta Pauli Epistola, denuo et clarius eis scripsit Apostolus docens Christum venturum non esse ante adventum Anti-Christi *hominis peccati, filii perditionis* in *virtute et signis et prodigiis mendacibus, quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui*: otiosos redarguit et severius monet; hortatur omnes ut a pravorum hominum conversatione se abstineant, et constanter teneant traditiones ab eo acceptas, sive *per sermonem*, sive *per epistolam*. Et demum ad fraudes cavendas circa suas epistolas hanc tesseram seu signum apponit ad eas dignoscendas: «Salutatio *mea manu* Pauli: quod est signum in omni epistola, ita scribo. (III, 17).»

Ex his patet quis sit finis et scopus hujus Epistolae.

745. Juxta subscriptionem graecam, haec 2.ª Epistola scripta fuit Athenis: sed juxta omnes, hujusmodi subscriptio est mendosa et interpolata. Nam si primam Apostolus scripsit, postquam Athenis Corinthum venerat non potuit hanc secundam Athenis scribere, quia Corintho non est reversus Athenas, sed navigavit in Syriam venitque Ephesum. (1) Itaque Apostolus hanc Epistolam Corinthi, brevi temporis intervallo post primam, scripsit, sicut constat ex connexione argumenti cum prima; ex eo quod adhuc cum ipso sint Timotheus et Sylvanus, et ex identitate status Ecclesiae Thessalonicensis. Animadvertendum est Paulum Corinthi mansisse 18 mensibus, donec Judaei eum

(1) Act. XVIII, 18-19.

adduxerunt ad tribunal Gallionis. Probabile est, nostram Epistolam paulo ante hoc tempus scriptam fuisse.

Grotius docuit, ex his duabus Epistolis, secundam esse primam, quamvis posteriorem locum occupet, eo quod posterius cognita fuerit. Et ratio est: quia in fine 2.ª Epistolae Paulus apponit signum speciale, ut cognoscant esse suam, id est Pauli; quod non fecisset, si prius aliam scripsisset.

Resp. Apostolum hoc signum apposuisse in sua Epistola, ut non confuderetur cum alia ab aliquo homine perverso ficta. Praeterea, simplex lectio utriusque Epistolae sufficit, ut quilibet videat, secundam esse continuationem et expositionem primae.

746. Authentiam harum Epistolarum, omnes Patres unanimiter agnoscunt. Pro Ecclesia Asiatica et Africana testes sunt S. Irenaeus et Tertullianus, qui frequentissime in suis scriptis utramque Epistolam adhibent: pro Ecclesia Romana Frag. Muratorii, in quo legimus Paulum Thessalonicensibus *pro* correptione» bis scripsisse; et demum pro Ecclesia Alexandrina, S. Clemens qui ex utraque Epistola, praesertim vero, ex prima, testimonia sumit.

Id ipsum confirmant omnes Versiones et Codices.

Schmidet, Baur, falsam supponunt 1.am Epistolam, eo quod auctor ipsius erronee docuisset, Paulum in secundo Christi adventu in vivis fore.

De hac objectione aliqua dicemus in parte exegetica.

Contra 2.am Epistolam dicunt, eam primae oppositam esse: in hac enim adventus Christi annuntiatur ut vicinus: in altera autem legimus adhuc signa precursoria non apparuisse.

Resp. in nulla harum Epistolarum, certus tempus adventus Domini determinari. Sed solutio hujus argumenti pendet ex praecedentis solutione, de qua, ut diximus, in parte exegetica.

Demum contra authentiam et integritatem 2.ae Epistolae affirmant, doctrinam Antichristi desumptam esse ex Apocalypsi, et Antichristi descriptionem Neroni convenire; unde inferunt, hanc Epistolam post Neronem scriptam fuisse, ideoque et post mortem Pauli.

Quae de Antichristo dicuntur, fortasse Thessalonicensibus erant clara, ex eis quae Apostolus praesens eos docuit; nobis vero, sive catholicis sive rationalistis sunt obscurissima, ut constat ex pluribus diversis, imo et contrariis interpretationibus

horum locurum: ergo ex ipsis non licet solidum argumentum inferre pro vel contra authentiam alicujus sacri libri: unde ut dicit S. Augustinus: «Melius est premi incognitis sed utilibus signis, quam inutiliter ea interpretando a jugo servitutis eductam cervicem laqueis erroris inserere.» (1)

PARS EXEGETICA

747. Ex his verbis (I Thess. IV, 6): «Nos qui vivimus simul rapiemur cum eis in nubibus etc.» ¿infertur secundum Domini adventum futurum esse ad huc vivente S. Paulo? = 748. Exponatur hic locus, (I Thess. V, 21) «Omnia autem probate; quod bonum est tenete. = 749. Quid significet illa *discessio* de qua, II Thess. II, 3. = 750. Quomodo illa Pauli praedictio de Antichristo (II Thess. II, 8) «Quem dominus Jesus interficiet spiritu oris sui» concilietur cum Apoc. XIX, 20 ubi dicitur, sub figura bestiae, Antichristum vivum in infernum mittendum.

747. Quaeritur, utrum ex his verbis, «Nos qui vivimus simul rapiemur cum illis in nubibus etc.» inferatur, secundum adventum Domini futurum esse adhuc vivente S. Paulo.

Ad interpretationem hujus loci, scire oportet, Thessalonicenses in hoc errasse quod credidissent, secundum adventum Domini jam proximum esse, et eos, qui illa die in vivis forent, prius surrecturos esse, quam illi qui antea mortui sunt.

Itaque quoad primum errorem, Apostolus asserit diem adventus Domini incertum esse, dicens: «De temporibus autem, et momentis, fratres, non indigetis ut scribamus vobis. Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet.» (2)

Quoad alium errorem, juxta aliquos, Apostolus hypothetice loquitur, quasi diceret: Si nos in vivis futuri sumus in die adventus Domini, non prius resurgemus, quam illi qui ante nos mortui sunt. Alii dicunt, Apostolum pronomine *Nos* designare fideles: ait enim S. Joannes Chrysostomus: «*Nos* non de se ipso dicit, quia non erat mansurus usque ad resurrectionem, sed fideles intelligit.» (3) Et S. Augustinus scribit: «Illorum, quos viventes inventurus est Christus, personam in se atque illos, qui tunc vivebant, transfigurabat Apostolus.» (4) Alii demum

(1) *De Doct. Christ.* lib. III, cap. 9.
(2) *I ad Thess.*, V, 1-2.
(3) *In I Thess. hom. 7, 2.*
(4) *De Civit Dei*, Lib. XX, 20.

putant, Apostolum ex mente Thessalonicentium loqui et eorum falso supposito quasi ad hominem argumentari.

A quibusdam quaeritur, num hi qui vivent tempore adventus Domini, morituri sint. Quidam Patres graeci opinati sunt, electos superstites tempore adventus Domini, non esse morituros. Sed juxta Patres, generatim, et praesertim latinos, omnes omnino homines gustabunt mortem. S. Thomas putat, quod illi qui adhuc vivent circa diem extremi judicii, morituri sint ante sonum tubae et resurrectionem jam antea mortuorum, ut simul cum his, ad sonum tubae resurgant. (1) Sed S. Augustinus censet, illos esse morituros paulo post resurrectionem aliorum mortuorum, ut tamen statim suscitentur. (2)

748. Exponatur hic locus (I Thess. V, 21): «Omnia autem probate; quod bonum est tenete.»

Ex his verbis, prima fronte, videtur inferri, licitum esse homini probare, seu in se ipso experiri malum morale seu peccatum. Sed hic non est sensus hujus loci: nam Apostolus, v. 20: «Prophetias nolite spernere» dixerat: et ideo Apostolus vul ut Thesalonicenses examini subjiciant doctrinas pseudopropetarum seu judaizantium, sed eos monet ut amplectantur quae juxta Evangelium sunt.

749. Apostolus ut corrigat errorem Thessalonicensium credentium jam proximum esse diem extremi judicii, scribit: «Ne quis vos seducat ullo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis etc.

Nunc quaeritur, quid significet illa *discessio*. Triplex datur interpretatio: quidam per illam discessionem, quae graece *apostasia* dicitur, intelligunt defectionem omnium gentium ab Imperio Romano; sic S. Hieronymus; «Nisi venerit discessio primum, quod graece dicitur ἀποστασια ut omnes gentes, quae Romano imperio subjacent, recedant ab eis, et revelatus fuerit, id est, ostensus.... homo peccati, in quo fons peccatorum est; et filius perditionis, id est, Diaboli; ipse est enim universorum perditio, qui adversatur Christo, et ideo vocatur anti-Christus: et extolletur super omne quod dicitur Deus, ut cunctarum gentium deos sive probatam omnem et veram religionem suo calcet pede: et in templo Dei, vel Hierosolymis.... Christus non veniet.»

(1) *In Cap. IV. hujus Epist. lect. 2.*
(2) *Loc. sup. cit.*

Sed haec opinio communiter rejicitur, quia illa *apostasia* seu *discessio*, potius significat defectionem spiritualem a Religione et fide, quam politicam ab Imperio terreno. Praeterea jam omnes gentes ab Imperio romano deflexerunt, solumque nomen hujus Imperii reliquum habemus; neque tamen Christus adhuc advenit. (1)

(1) Plures sunt qui censent, diem Domini jam venisse, ideoque Apostolum praecitato loco non loqui de die extremi judicii. Audiatur Vigouroux:-«Son de esta opinión hombres de espíritu recto. La reserva de San Pablo en este punto, como el lenguaje enigmático de S. Juan en el Apocalipsis, les hace creer que se trata de acontecimientos políticos concernientes al imperio romano, de los cuales hubiera sido peligroso para la Iglesia hablar claramente. Sobre este principio, varios autores ven en el *día del Señor* la ruina de Jerusalem. Claudio que reinaba en la época en que fué escrita esta carta, sería, según ellos, del que se ha dicho: *Qui tenet nunc teneat*, y Nerón, aquel cuyo retrato está trazado en los versículos 3, 4, 8, 9. Por la separación, *discessio*, 3, comprenden la insurrección de la Judea contra el Imperio. Otros creen que se trata más bien de la ruina de Roma. Para estos, el término *discessio* indicaría la disolución del imperio ó la defección de los diversos pueblos que Roma se había unido. Tal es la interpretación de S. Jerónimo. Según él, estas palabras, qui *tenet nunc*, deben entenderse del emperador de Roma en general ó de la majestad imperial: pero no se ve bien á quien se aplicarían estas expresiones tan enérgicas: *Homo peccati: iniquus ille*. Otros entienden por ο φατεχων, el Anticristo, cuya venida debe preceder al segundo advenimiento del Salvador. Otros, por último, entendiendo aquellas palabras de Nuestro Señor, Maestro supremo, dicen que el Anticristo no debe aparecer hasta que las sociedades humanas hagan profesión de estar sometidas á Jesucristo, pero que, cuando se hubiesen separado de él, el enemigo de Dios aparecerá y triunfará momentáneamente, para sucumbir muy luego y perecer para siempre, Bosuet piensa que no se puede cortar esta dificultad de un modo seguro. Según él, los Tesalónicos estaban mejor instruídos que nosotros sobre este punto, pero no nos ha transmitido el secreto que les fué revelado. Parece que podría invocarse aquí un principio establecido por Bosuet mismo en su Comentario sobre la Apocalipsis y creer que la predicción de S. Pablo podia, como la de S. Juan, cumplirse de varias maneras. Figurando la ruina de Jerusalem y la de Roma, la destrucción del imperio y la del reino de Judea, el fin del mundo, ¿qué impide pensar que después de haberse verificado una primera vez por estos acontecimientos ambas profecías, la de S. Pablo y la de S. Juan, se cumpla de nuevo y de una manera más sorprendente al fin de los tiempos, por la ruina del mundo y el juicio final? Es la opinión de Dom Calmet. Según su explicación, Nerón y Simón el Mago serían la figura, uno del perverso que debe obrar el misterio de iniquidad, el otro del grande enemigo de Dios, que S. Pablo tiene principalmente á la vista, etc.» *Manual. Bibl. Epist. á los Tesalon.*

Alii ut S.S. Anselmus et Thomas, per illam *discessionem*, intelligunt defectionem universalem a fide Catholica et ab obedientia Romani Pontificis. Huic opinioni favent illa Christi verba: «Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?» (1): et etiam haec alia: «Et multi pseudo prophetae surgent, et seducent multos; et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.» (2)

Tamen hujusmodi defectio futura non est universalis omnino; secus Portae Inferi praevalerent adversus Ecclesiam.

750. Quomodo illa Pauli praedictio de Antichristo (II. Thess. II, 8) «Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui», concilietur cum Apoc. XIX, 20, ubi dicitur, sub figura bestiae, Antichristum vivum in infernum mittendum.

Resp. cum Schouppe: «Utrumque hoc fieri poterit. Christus enim vel per se, vel potius per Michaelem archangelum, praecipitabit Antichristum e sublimi aere deorsum in terram: terra autem dehiscente, rapietur ille vivus in gehennam. Et sic a Christo interficietur solo *spiritu oris sui*, id est, solo jussu et nutu. Sicut autem Core, Dathan et Abiron (Numer. XVI, 33) probabilius in ipso descensu ad tartara sunt mortui; ita probabilius in ipso descensu ad infernum morietur Antichristus; dicitur tamen *vivus mittendus in infernum*, quia vivus eo dimitti et descendere incipiet. Omitto, aliunde certum non esse, nomine *bestiae* designari Antichristum.» (3)

Caput XVII

De Epistolis ad Timotheum.

PARS CRITICA.

751. Quae Epistolae dicantur Pastorales. = 752. Quis fuerit Timotheus. 753. Prioris Epistolae summa. = 754. Quo tempore, loco et occasione scripta fuerit. = 755. Authentia. = 756. Objectiones Baur solvuntur. = 757. Argumentum alterius Epistolae. = 758. Quo tempore et loco fuerit exarata. = 759. Authentia. = 760. Apaxlegomena quae in his Epistolis inveniuntur.

751. Duae Epistolae ad Timotheum et unica ad Titum di-

(1) *Luc.* XVIII, 8.
(2) *Matth.* XXIV, 12.
(3) *Curs. Sac. Scrip.* P. II. Sec. I. *Difficult. Epist. ad Galat. et reliq.*

cuntur Pastorales quia ad Pastores animarum seu Episcopos missae sunt, et doctrinas atque instructiones continent ad rectum muneris episcopalis exercitium. Cum reliquae Epistolae ad fideles generatim scriptae sint, hae autem Episcopis, hinc quod quaedam inter ipsas detur differentia, tum quoad doctrinam, tum etiam quoad formam litterariam.

752. Timotheus, Lystris in Licaonia natus est, ex patre gentili, et ex matre judaea sed ad fidem Christi conversa, sicut etiam avia Timothei: haec vocabatur Loyda, illa vero Eunnice. Cum Paulo notum esset studium quo Timotheus Sacrarum Scripturarum lectioni operam dabat, ipsum in comitem suum elegit. Peragravit cum Apostolo Asiam, et dein Macedoniam anno 52, praedicantes Evangelium Philippis, Thessalonicae et Bereae. Cum Paulus coactus esset relinquere Thessalonicam et Beream, venit Athenis, ubi ad se vocavit Timotheum, eumque Thessalonicam misit, ut ei notum faceret statum illius Ecclesiae simulque confirmaret fideles. Reversus est Corinthi, ubi invenit Apostolum cui plura de Ecclesia Thessalonicentium communicavit. Paulo post, Apostolus jussit Timotheo ut una cum Erasto praecederet eum in Macedoniam, et colligeret eleemosynas pro pauperibus Jerusalem. Postea missus est ad Corinthios, ut quosdam abusus corrigeret; et multum commendatur Timotheus in Epistola quam Paulus scripsit ad Corinthios. Deinde peragravit cum Apostolo Macedoniam et Achajam, et aliquo tempore commoratus est Philippis et venit Troadem ubi erat suus magister. Fuit comes Pauli in prima captivitate Romana, ut constat ex Epistola ad Philemonem. Ordinatus Episcopus, ei Paulus commendavit curam Ecclesia Ephesi, ubi ordinavit diaconos, presbyteros et etiam episcopos. Paulus, in secunda captivitate Romana, vocavit ad se, dilectum suum discipulum Timotheum, qui post mortem sui magistri, reversus est Ephesum, et cum gentilium exsecranda et idololatrica festa acriter damnaret, lapidibus obrutus, mortuus est; ejusque festum Ecclesia Romana die 24 Jannuarii celebrat.

753. Haec Epistola sex continet capita, in quibus, Apostolus hanc tradit doctrinam. Cap. I, post salutationem monet Thimotheum ut attente invigilet contra pseudo Apostolos, qui veram Christi doctrinam pervertere conabantur. Cap. II fieri jubet orationes publicas pro regibus et magistratibus; docet, quae sint praecipuae virtutes mulieris christianae, nempe in or-

natu modestiam, subjectionem viris, et silentium in Ecclesia, cum ipsis datum sit, discere non docere. Cap. III exponit Episcoporum officia; dotes et munera eorum qui ordinandi sint episcopi, vel diaconi; et etiam conditiones mulierum quae sacris ministeriis addicendae sint. Cap. IV, monet Timotheum, ut falsa et inepta devitet, lectioni, exhortationi et doctrinae sedulo incumbat, et in omnibus se ipsum praebeat fidelibus, vitae exemplar: deinde cap. V plura tradit de modo agendi cum senioribus, juvenibus et viduis; et docet accusationem adversus presbyterum non facile esse recipiendam, nec cito cuiquam manus imponendas: demum Cap. VI, tradit munera servorum in dominos; avaritiam damnat ejusque mala refert, et denique hortatur Timotheum ut servet traditiones et devitet prophanas vocum novitates.

754. Juxta inscriptionem quorumdam exemplarium graecorum, haec Epistola scripta fuit Laodiceae in Phrygia: sed haec inscriptio nullam fidem meretur, cum post Constantinum apposita fuerit. Non defuerunt qui arbitrarentur Caesareae fuisse scriptam; sed haec sententia ab omnibus rejicitur. Juxta editionem complutensem, haec Epistola scripta fuit Philippis. Hodie interpretes communiter tenent, scriptam fuisse in Macedonia, quin tamen determinent urbem Macedoniae ex qua primo prodiisset.

Quoad tempus, quidam cum Baronio et Estio, putant hanc Epistolam scriptam fuisse anno 57 in Macedonia, quo se receperat Paulus postquam coactus est Epheso discedere propter tumultum Demetrii argentarii. Sed haec sententia merito rejicitur: nam cap. I, 3, legimus: «Rogavi te ut remaneres Ephesi, dum irem in Macedoniam, ut denuntiares quibusdam, ne aliter docerent»: et cap. III, 14 adjungit: «Haec tibi scribo, sperans me ad te cito venire» jam vero cum Paulus, ob tumultum Demetrii reliquit Ephesum et protectus est in Macedoniam, Timotheus non mansit Ephesi; sed Paulo adfuit in Macedonia, ibique cum ipso secundam misit Epistolam ad Corinthios ut ex hujus Epistolae cap. I, v. 1, constat.

Alii ut Reithmayr, putant hanc Epistolam scriptam in brevi itinere Apostoli in Achajam, in illo spatio temporis quo Apostolus Ephesi commoratus est, ideoque anno 56.

Alii demum, ut Wouters censent scriptam fuisse post primam captivitatem Romanam, anno 65; nam anno 64 Apostolus

profecturus in Macedoniam, Timotheum jam a se consecratum Episcopum, Ephesi reliquit: et haec est opinio probabilior.

755. In operibus S. Clementis Rom., S. Ignatii Martyr, S. Polycarpi, S. Justini M. aliorumque Patrum Apostolicorum, plures inveniuntur allusiones ad duas Epistolas Pauli ad Timotheum (1) Deinde pro Ecclesia *Romana*, in Fragmento Muratorii legimus: «ad Titum una et ad Timotheum duae pro affectione et dilectione (scriptae) in honorem tamen Ecclesiae Catholicae et in ordinationem ecclesiasticae disciplinae sanctificatae.» In ecclesia *Africana*, Tertullianus dicit, quod Marcion epistolas «ad Timotheum duas et unam ad Titum recusaverit.» (2)

In ecclesia *Gallicana* S. Irenaeus, et in *Alexandrina* S. Clemens, saepissime ex his Epistolis testimonia desumunt.

S. Hieronymus ait: «Scripsit... praeterea ad discipulos suos, Timotheo duas, Tito unam, Philemoni unam.» (3) Et S. Augustinus: «Quisquis dicit... apostolum Paulum Timotheo et Tito non debuisse praecipere quid vel quemadmodum praeciperet aliis. *Quas tres* apostolicas epistolas ante oculos habere debet, cui est in Ecclesia doctoris persona imposita.» (4)

Demum testes sunt hujusmodi authentiae, omnes versiones graecae, latinae, syriacae et copticae, universique codices. Eam igitur negare non licet, quin simul negetur universalis Ecclesiae traditio.

756. Primis elapsi saeculi temporibus, authentiam prioris Epistolae negavit Schleiermacher, et postea Baur, Eichhorn et de Wette apocrypham eam esse dixerunt. Eorum praecipua argumenta haec sunt:

1.um In hac Epistola quaedam inveniuntur vocabula (ἅπαξ λεγόμενα) quae in aliis Epistolis noc ocurrunt, ut *Fidelis Deus*, *depositum*, *homo Dei* etc. Resp. similia vocabula, etiam in aliis epistolis, ut ad Galat, Ephes. inveniri. Neque mirum esse debet, quod in nostra Epistola, quaedam specialia vocabula occurrant, si consideretur diversitas materiae; quod Epistola scripta fuerit post exortas novas haereses; et demum quod subjectum cui

(1) Cons. Cornely, *Curs. Sac. Scrip. Introd. spec.* in *N. T. De Epist. pastoral. authent.*
(2) *Cont. Marc.* V, 21.
(3) *De vir. illust.* 16.
(4) *De Doctr. Christ.* Lib. IV, 16.

Epistola mittitur, sit non simplex fidelis sed episcopus, cum quo Apostolus loqui poterat adhibendo terminologiam specialem et magis scientificam.

2.um Supponunt hanc epistolam saeculo 2.° scriptam fuisse a quodam falsario qui optime noverat stylum S. Pauli.

Resp. hoc argumentum esse vere ineptum et ridiculum: si enim falsarius optime noverat stylum S. Pauli ¿quare in hac epistola a se ficta quaedam adhibet vocabula quibus communiter non utitur Apostolus in aliis Epistolis?

3.um In hac Epistola sermo est de hierarchia eclesiastica, quae instituta est post mortem Apostolorum.

Resp. hoc postremum falsissimum esse; nemo enim nescit apostolos elegisse septem diaconos, et ubique constituisse episcopos et presbyteros, ut apparet etiam ex aliis Epistolis Pauli.

757. Secunda Epistola quatuor capitibus hanc continet doctrinam. Cap. I. postquam manifestavit Apostolus suam dilectionem erga Timotheum, ejusque matrem et aviam, hortatur discipulum ut non cesset a praedicatione Evangelii. Conqueritur de quibusdam amicis et discipulis qui a se aversi sunt; sed multum laudat Onesiphorum. Cap. II, Apostolus suo exemplo hortatur Timotheum ad tolerandas passiones pro Christo. Monet, ut juvenilia desideria fugiat, justitiam, charitatem et pacem sectetur cum his qui invocant Dominum, et contentiones cum his qui a veritate exciderunt devitet. Cap. III. Exponit characteres pseudo apostolorum, qui sunt *homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi... sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes* etc: et dicit Timotheo: *Et hos devita... Tu vero permane in his, quae didicisti, et credita sunt tibi: sciens a qou didiceris*. Demum eum hortatur ad lectionem Sacrae Scripturae, quia *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus*. Denique, Cap. IV praedicationem verbi Dei commendat, dicens: *Praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina*. Annuntiat Apostolus proximam suam mortem; quasdam salutationes mittit, et rogat Timotheum ut veniat ad se cum Marco.

758. Quidam absque fundamento docuerunt hanc Epistolam Caesareae scriptam fuisse: alii cum Hug, eam censent exaratam Romae in primis vinculis Apostoli. Sed opinio probabi-

lior et communior est eorum qui dicunt Paulum eam scripsisse Romae in secundis vinculis, dum jam morti esset proximus: quod probatur ex his verbis Epistolae, (IV, 6): «Ego enim jam delibor, et tempus resolutionis meae instat: bonum certamen certavi, cursum consummavi.» Quod vero his verbis Apostolus significet proximitatem suae mortis, testantur Patres: nam S. Joannes Chrysost. ait: «Videtur autem tunc scripsisse epistolam, cum proximus esset fini. Ego enim, inquit, jam delibor.» (1) Et alibi hanc Epistolam vocat *Testamentum Pauli morientis*. (2) S. Augustinus scribit: «Apostolum Paulum, quem certe invenimus sine ullis meritis bonis, imo multis meritis malis Dei gratiam consecutum, reddentis bona pro malis: videamus quid dicat *sua jam propinquante passione* scribens ad Timotheum: «Ego enim jam immolor etc.» (3) Demum S. Hieronymus, haec habet: «Sciendum autem in prima satisfactione, necdum Neronis Imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant Historiae, Paulum a Nerone dimissum, ut Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus praedicaret, sicut ipse scribit 2 ad Timth, *eo tempore*, *quo passus est*, et de vinculis dictat epistolam.» (4)

Scripsit itaque Paulus hanc Epistolam anno 66-67.

Occassio Epistolae, haec fuit. Postquam Paulus peragravit Cretam, Hispaniam aliasque regiones, et visitavit Ecclesias a se fundatas Asiae, Macedoniae et Achajae, Romam venit anno 66, ubi a Nerone in carcerem conjectus est, eo quod plures ex ipsa domo Imperiali, ad fidem Christi convertisset. Tunc plures amici ab eo aversi sunt, sive ad fundandas novas Ecclesias, vel etiam metu persecutionis, et cum esset solus cum Luca, scripsit ad dilectum suum discipulum Timotheum rogans ut ad se veniat cum Marco, et denuo ei inculcat ea quae ad ministerium pastorale spectant.

759. Authentia hujus Epistolae iisdem argumentis probatur ac autentia primae. Ibi etiam adversariorum difficultates solutae fuerunt (num. 755-756 huj. Cap.)

760. Apaxlegomena epistolarum pastoralium a rationalistis numerantur 81 in 1.ª ad Timotheum; 63 in altera; et 44 in ea

(1) *Hom. 1 in hanc Epist.*
(2) *Hom. 9 in hanc Epist.*
(3) *De Grat. et lib. arbit.* Cap. 6.
(4) *De viris illust.* 16.

quae est ad Titum. Hujusmodi termini proprii seu locutiones insolitae sunt *Fidelis Deus, fidelis sermo, fabulae, vaniloquium, profana, genealogia, homo Dei, haereticus homo, depositum, rex saeculorum, sana doctrina, sani in fide* etc. (1)

PARS EXEGETICA.

761. Quare Apostolus mentionem faciat de Episcopis et Diaconibus, non vero de Sacerdotibus seu Presbyteris.=762. Quo sensu Apostolus, Epist. I. cap. I, 9, dicat: «Sciens hoc quia lex justo non est posita, sed injustis et non subditis.»=763. Quo etiam sensu (ibid. v. 15) Apostolus asserat se esse primum inter peccatores.=764. Sensus hujus loci (ibid. III, 1): Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.»=765. An contradictio existat inter cap. V, 14. ubi legitur: «Volo ergo juniores nubere», et I ad Cor. VII, ubi omnes ad castitatem exhortans ait. «Volo omnes esse sicut meipsum.»

761. Apostolus mentionem facit de Episcopis et Diaconibus, non autem de Sacerdotibus, juxta aliquos, quia tam parvus erat numerus sacerdotum, ut non judicaverit necessarium de ipsis specialiter loqui. Secundum aliquos, quia functiones Sacerdotum, exceptis Ordinationibus, identicae erant functionibus Episcoporum. Et demum juxta S. Hieronymum, quia hoc tempore titulo episcopali designabantur non modo Episcopi sed etiam Sacerdotes.

762. Apostolus, I ad Timoth. I, 9, docet, legem positam esse non justis, sed injustis et non subditis; quod prima fronte falsum videtur, cum lex omnes obliget, exceptis non subditis.

Sensus est, juxta Chrysostomum, quod lex quatenus minatur, seu poenae legis non sunt positae, sive non imponuntur justis, sed injustis et non subditis, id est, his qui legem nolunt servare.

763. Quo sensu Apostolus, I ad Timoth. I, 15, dicat. se esse primum inter peccatores.

Hic locus valde obcurus est, propter quod interpretes inter se non conveniunt.

Juxta Estium, Apostolus his argumentatur adversus illos qui limites apponebant misericordiae Dei et redemptioni Jesu Christi; et ut ostendat, omnes peccatores salutem consequi posse, seipsum ponit ut exemplum: et hoc sensu dicit se esse primum inter peccatores.

(1) Conf. Vigouroux, *Man. Biblic. Epist. Pastor.*

S. Augustinus sic interpretatur hunc locum: «Quomodo in artificialibus, quicumque vult aedificare, dicit: Qui sit primus structor? Aut si curari velit: Quis est primus medicus? Non utique interrogat quis prior sit aetate, aut quis prior sit professione: sed quis prior sit arte. Quomodo illi in arte primi, sic iste in iniquitate primus. Quare Paulus in iniquitate primus? Recolite Saulum, et invenietis. Nonne ille est, cui ad lapidandum Stephanum manus una non sufficiebat, et aliorum vestimenta servabat. Nonne ipse, qui Ecclesiam ubique persequebatur? Nonne ipse est, qui litteras acceperat a Principibus Sacerdotum? Quia parum illi erat persequi Christianos, qui erant in Jerusalem, sed volebat ad alia loca venire, ubi eos inveniret, et ligaret, et puniendos adduceret... Ipse est ergo, qui primus erat persecutor, illo pejor non fuit.» (1)

764 Sensus hujus loci (I ad Timoth. III. 1): «Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.»

Apostolus hoc loco docet, ipsum honorem vel dignitatem appetere non esse licitum. Sic S. Augustinus: «Locus superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur.» (2) Quod si de opere seu functione episcopali agatur, neque illud debet appetere, sed ab aliis sibi impositum humiliter suscipere; nam utrum idoneus sit, non est ipsius judicare, sed aliorum, et ut dicit S. Hieronymus: «Facilius est adipisci quam promereri» (3)

Episcopatus dicitur *bonum opus*, quia publicam atque aeternam populi salutem procurare, procul dubio, est opus bonum et honestissimum. Vocatur ab Apostolo *opus*, quia ut ait S. Augustinus: «Vult exponere quid sit episcopatus, quia nomen est operis non honoris.» (4)

765. Apostolus, hic I Epist. V, 14, dicit: «Volo ergo juniores nubere.» sed I ad Cor. VII, omnes ad castitatem exhortans ait: «Volo omnes esse sicut me ipsum.» Paulus vero erat caelebs. ¿Nonne inter haec duo loca datur, contradictio?

Animadvertendum est, hic Apostolum loqui praesertim de viduis: itaque primo loco vult viduas juniores nubere, si periculum incontinentiae adsit, quia talibus, ut ipsemet Apostolus, cap.

(1) *Serm. 175 de Paulo.*
(2) *De civit. Dei.* Lib. XIX, 19.
(3) *In Tit.*
(4) Loc. sup. cit.

cit. ad Cor. v. 9 dicit, *melius est nubere quam uri.* Alio vero loco, vult ut viduae non nubant, si se contineant, quia hoc absolute et secundum se est melius: cum status virginitatis vel abstinentiae a carnalibus, praeferendus sit statui matrimonii.

Caput XVIII

De Epistolis ad Titum et Philemonem.

PARS CRITICA

766. Quis fuerit Titus.=767. Summa hujus Epistolae.=768. Quo tempore, loco et occasione scripta fuerit.=769. Authentia.=770. Quis fuerit Philemon.=771. Argumentum Epistolae.=772. Tempus locus et occasio.=773. Authentia.

766. Titus probabiliter Antiochenus genere, fuit Gentilis ante conversionem, propter quod Paulus noluit eum circumcidere. Numquam fit Titi mentio in Actibus Apostolorum, nam Titus *Justus* cujus hospes fuit Apostolus Corinthi, erat proselytus judaeus, ex quo Apostolus Corinthum venit: sed Titus cui Paulus scribit, multo antea ad fidem conversus fuerat, et Paulus secum adducerat ad Concilium Hierosolymitanum. Ab Apostolo vocatur *dilectus filius*, quia ab ipso, probabiliter, fuit ad fidem conversus et baptizatus: et adeo charus erat suo magistro, ut testetur se non habuisse requiem in Troade eo quod Titum fratrem suum non invenisset. (2, Cor. II, 13.)

In tertio itinere, cum Paulus esset Ephesi, scripsit primam suam Epistolam ad Corinthios, et paulo post misit Titum in civitatem Corinthi, ut quem effectum sortita fuisset sua Epistola, observaret. Paulus relicta civitate Ephesi transiit in Macedoniam, ibique suscepit gaudens Titum qui a Corintho venerat, ut eum consolaretur optimis nuntiis de statu Ecclesiae Corintiorum. Contentus Paulus optimo successu laboris iTiti, denuo misit eum ad praedictam Ecclesiam, ut secundam Epistolam ei traderet, el collectarum negotium terminaret. Dum Paulus praedicavit Ephesi tribus annis, navigavit in Cretam, ibique fundavit Ecclesiam cui praefuit Titum. Eusebius, S. Isidorus Hisp. et S. Hieronymus, asserunt Titum Episcopum cretensem fuisse, ibique mortuum esse annos natum 94, cum vitam caelibem

usque ad finem duxisset. Ecclesia Romana ejus festum celebrat die 4 Januarii.

767. Praesens Epistola tribus capitibus hanc doctrinam continet. Cap. I. Apostolus, post salutationem, exponit conditiones eorum qui ordinandi sunt ad officium presbyterorum et Episcoporum, qui tales esse debent ut possint exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere, praesertim illos de quibus dixit poeta Epimenides: «Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.» Cap. II docet Titum, quomodo se gerere debeat cum senibus, adolescentulis et juvenibus, quasque virtutes eis inculcare oporteat, exhortans, ut seipsum praebeat exemplum bonorum operum in omnibus. Dein in memoriam revocat magna beneficia quibus Salvator nos cummulavit: et cap. III. obediendum esse principibus docet; justificationem nostram fieri per gratiam Christi; opera bona esse necessaria ad salutem; monet Titum, ut stultas quaestiones et vanas contentiones devitet, sicut etiam et haereticum hominem post unam et alteram correptionem: vocat eum ad se Nicopolim: commendat Zenam et Apollo, ut nihil illis desit; et ut de more, salutationibus concludit Epistolam.

768. Difficile est admodum determinare quo loco et tempore scripta fuerit haec Epistola. In primis certum est, Paulum cum Tito jam fuisse in insula Creta, priusquam hanc Epistolam scriberet, ibique fundasse Ecclesiam eique praefuisse Titum, quem nostra Epistola vocat ad se Nicopolim. Regulae vero quas pro constituendis presbyteris praescribit, satis indicant scriptam fuisse paulo post fundationem Ecclesiae Cretensis.

Nunc difficultas est in determinando tempore fundationis hujus Ecclesiae.

Nonnullas opiniones exponemus. Quidam putant, Paulum hanc Eclesiam fundasse, ibique Titum reliquisse, cum vinctus Romam duceretur. Quae opinio pluribus non placet, quia in illa occasione Paulus nec tempus nec libertatem habuit ad annuntiandum Cristi Evangelium. «Quae recte quidem sunt dicta, ait Cornely, sed rem non omnia attingunt. Etenim Paulum aut Titum Cretensibus primos Evangelium attulisse nullibi asseritur: e contra ex nostra epistola evidenter elucet ante eorum adventum Christianos in insula jam adfuisse. In eo enim omnes consentiunt Paulum diu in insula non esse commoratum: nihilominus in nostra epistola jam de haeresibus loquitur, quae inter

Cretenses pullularant, at paucis illis hebdomadis, quibus ipse Evangelii semen sparsit, exoriri certissime non potuerunt. Omnino igitur admittamus oportet, bonum nuntium jam antea esse in insula propagatum: neque improbabile est, Cretes illos, qui in prima Pentecoste S. Petri sermonem audiverant (Act. II. 11), prima Evangelii semina in patriam attulisse; atque insequentibus annis, quando in omnibus fere portibus Syriae, Asiae Min., Graeciae, Evangelium fructificare coeperat, nova semper semina in insulam esse allata facile intelligitur. Quare Paulus a. 61. vinctus adveniens Christianos procul dubio jam invenit, atque pauci dies, quos ibi peregit, sufficere potuerunt, ut de eorum statu certior redditus Titum reliquendum statueret, qui presbyteris constitutis et hierarchia stabilita eos in justas, ut ita dicamus, ecclesias colligeret et haereticorum conatus impugnaret.» (1)

Caminero sic exponit suam opinionem. «Dum Paulus Ephesi per trienium praedicavit, ut dictum est, celeri itinere venit in Cretam insulam (Candia) ibi evangelii fundamenta jecit pluribus in locis, Titumque reliquit loco sui, ut quae ad plenius constituendas regendasque novas illas ecclesias necessaria erant, ipse perageret. Tunc Ephesum reddiit, ubi epistolam scripsit (anno 57) ut recte munere sibi commisso Titus fungeretur.... Rationes hoc tempus assignandi hujus epistolae compositioni supra, cum de Timotheo ageretur, adductae sunt, ac simul caeteras opiniones deserendi. Quibus addi potest (III, 13) commendatio Tito facta de Apollo, qui circa pascha anni 57 Ephesi erat (I. Cor. XVI, 12); injunctio ut Titus veniat (postquam Demas aut Tychicus apud illum fuerint) Nicopolim, ubi Paulus hiemare constituerat, quae civitas in Graecia erat, ubi Paulus ait (I Cor. XVI, 6) se hiemem transigere velle ‹*forsitan*› Corinthi; demum post 1.am ad Cor. scriptam fuisse constat ex eo quod Apollo voluntatem Epheso migrandi non habebat cum haec scriberetur (I Cor. XVI, 12), quando vero epistola ad Titum scripta fuit, jam proficiscens sistitur, Tito commendatur, ipsique litteras affert. Quod si Titus postea aliis in locis invenitur, ut in Dalmatia (2 Tim. IV, 10) et paulo postquam in Creta relictus est, varias missiones suscepit (2 Cor. II, 12, 13; VIII, 16...), id tantum evincit non ibi mansisse tam-

(1) Op. saep. cit. *Introd. Special. in N. T. De Epist. ad Tit.*

quam in dioecesi proprie dicta, et saltem brevia itinera pro utilitate Ecclesiae suscepisse, prout fecit Timotheus similiter Ephesi relictus.» (1) «Sed haec quoque opinio, ait Cornely, cum Actuum narrationi contradicat, omni probabilitate est destituta. Quam plurima quidem itinera a multis interpretibus triennio illi ephesio attribuuntur, sed immerito: Apostolum enim illo tempore breves quasdam excursiones in civitates vicinas fecisse nec negamus nec asserimus, aut quominus eum per multos menses aut per annum integrum Ephesum reliquisse dicamus, prohibent cum verba S. Lucae narrantis eum «*quotidie.... per biennium*» in scola Tyranni cujusdam disputasse, tum verba Pauli ipsius presbyteris ephesiis in memoriam revocantis *per triennium nocte et die* se non cessasse cum lacrymis monentem unumquemque eorum.» Itinerum autem, quae Epheso profectus Apostolus in Macedoniam et Achajam atque ex Achaja per Macedoniam et maritimam Asiae oram in Palaestinam suscepit, historiam tam accurate Lucas nobis narrat, ut nullibi iter creticum inserere liceat: in Palaestinam vero reversus Hierosolymis in vincula conjectus est.» Et statim subjungit: «Probabile autem habemus, S. Paulum ex prioribus vinculis liberatum Roma in Hispaniam esse profectum atque paucis mensibus postea (aestate vel auctumno a. 64) ex Hispania in Orientem revertentem ad insulam Cretam appulisse ecclesiarum fundamentis positis Titum, ut reliqua disponeret, reliquisse: visitatis deinde Asiae et Macedoniae ecclesiis, cum in Italiam reverti vellet, discipulum Nicopolim Epiri ad se advocasse, ut reliquorum itinerum socium eum adhiberet pro Timotheo, quem Ephesi reliquerat (aestate a. 65).» (2)

Quoad *locum*, nihil certi dici potest: S. Hieronymus tradit Apostolum hanc Epistolam scripsisse Nicopoli, (3) quod tamen non concordat cum verbis Apostoli (III, 12), ubi dicit se nondum in illam civitatem venisse.

Wouters, hanc Epistolam Philippis scriptam censet, eodem moraliter tempore quo prima ad Timotheum. (4)

¿Qua *occasione* scripta fuerit haec Epistola? Cum Paulus insulam Cretam reliquit, ordinavit Tito ut abusus quosdam

(1) *Manual. Isag.* Introd. Partic. Sect. III. Cap. LXV.
(2) Op. et loc. supra cit.
(3) *Prol. ad Tit.*
(4) *Dilucid. in hanc Epist.* Quaest. I.

corrigeret et presbyteros in civitatibus constitueret, et quamvis praesens et verbis ei haec innueret, voluit ea scriptis consignare, et praesertim conditiones illorum qui eligendi erant ad presbyteratum. Praeterea status Ecclesiarum Cretensium erat valde difficilis; in primis ex conditione ipsorum Cretensium, de quibus Epimenides poeta cretensis scripserat: «Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.» Deinde juxta Philon et Josephum Flavium, plures ex incolis insulae erant Judaei, qui fidem christianam pervertere conabantur, quos commemorat Apostolus cum scribit, (I, 10-11): «Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui et seductores; maxime qui de circumcisione sunt: quos oportet redargui: qui universas domos subvertunt, docentes quae non oportet, turpis lucri gratia.» In his ergo rerum adjunctis, opportunum judicavit Apostolus scribere Tito epistolam; quae quidem multo brevior est quam illa quae est ad Timotheum; nam Titus, ut provectior aetate, ecclesiasticis gerendis rebus erat exercitatior: Timotheus autem ut junior, informari egebat.

769. Authentiam hujus Epistolae negavit inter veteres Marcion, et inter modernos Eichhorn aliique.

Eusebius hanc Epistolam inter eas collocat quae sinc controversia admissae sunt. Inter Patres Apostolicos, in operibus S.S. Ignatii et Justini M. M. non obscurae allusiones ad nostram Epistolam inveniuntur. Tatianus, S. Justini discipulus, quamvis rejecerit duas ad Timotheum, «hanc vel maxime, hoc est, ad Titum apostoli praenuntiandum credidit, parvipendens Marcionis et aliorum qui cum eo in hac parte consentiunt, auctoritatem,» ut ait S. Hieron. (1) Jam a saeculo II, innumera sunt testimonia, nempe pro ecclesia *Romana* fragmentum Muratorii quod hanc Epistolam exhibet. In ecclesia *Africana* Tertullianus, qui miratur quod Marcion «ad Timotheum duas et unam ad Titum de ecclesiastico statu compositas recusaverit.» In ecclesia *Gallicana* S. Irenaeus in suis operibus saepe nostram adhibet Epistolam. Idem dicendum de S. Clemente Alex, et Origene, qui testes sunt pro ecclesia *Alexandrina*.

Demum omnes versiones, omnesque vetustissimi codices hanc Epistolam continent, eamque Paulo attribuunt.

770. ¿Quis fuerit Philemon? Erat Philemon incola Colo-

(1) Loc. sup. cit.

ssensis, qui cum notitiam habuisset de predicatione Pauli ad Ephesios, venit Ephesum, ibique ad fidem conversus est una cum Epaphra, qui revertentes Colossas, hanc Ecclesiam fundaverunt. Nonnulli censent, Philemenom fuisse presbyterum, nam Paulus commemorat ecclesiam quae erat in domo sua. Martyrii coronam adeptus est, una cum uxore sua Appia in persecutione Neronis.

771. Brevissima est haec Epistola, et unica a Paulo personae particulari scripta. Habet unum caput cum 25 versibus. In primis Apostolus suum affectum ostendit erga Philemonem, uxorem ejus Appiam et Archippum. Statim rogat Philemonem et jubet in nomine Jesu-Christi, ut suscipiat Onesimum non jam ut servum, sed ut fratrem charissimum, et remittat ei quod debet. Monet, ut paret ei hospitium, nam sperabat cito eos visitaturum per orationes eorum. Consuetis salutationibus absolvit Epistolam.

772. Hanc Epistolam scripsit Paulus in priori captivitate Romana, et cum proxima esset ejus liberatio, ut infertur ex his verbis (v. 22): «Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.» Missa est cum Tychico et Onesimo, cum Epistolis ad Philippenses, Colossenses et Ephesios.

Occasio hujus Epistolae haec fuit. Erat servus Philemonis quidam Onesimus, qui domino clam pecuniam subtrahit, sed timore poenae fugit et Romam venit, ubi Paulus eum ad fidem convertit. Cum Onesimus Paulo suum peccatum manifestaret Apostolus dedit ei hanc Epistolam ut eam traderet Philemoni, qui suum servum non modo ut fratrem suscepit, sed ei debitum dimisit. Dein Onesimus Pauli adjutor fuit, qui eum constituit episcopum Beraeae in Macedonia.

773. Cum haec Epistola sit brevissima et non dogmatica, ideo non ita frequenter a Patribus citatur sicut et reliquae Epistolae. Non tamen desunt testimonia pro ejus authentia. Fragmentum Muratorii eam continet: Eusebius eam inter libros non controversos recenset· Etiam Marcion, hanc Epistolam in sum canonem recepit, teste Tertulliano qui ait: «Soli huic Epistolae brevitas sua profuit, ut falsarias manus Marcionis evaderet.» (1) S. Hieronymus, contra illos qui negabant authentiam

(1) *Adv. Marc.* 5, 21.

hujus Epistolae scribit: «Hi et caeteri istiusmodi, volunt aut epistolam non esse Pauli... aut etiam, si Pauli sit, nihil habere quod aedificare nos possit, et a plerisque veteribus repudiatam, dum commendandi tantum scribatur officio, non docendi. At contrario qui germanae auctoritatis eam esse defendunt, nunquam in toto orbe a cunctis Ecclesiis fuisse susceptam, nisi Pauli Apostoli crederetur.» (1)

Erasmus de hac epistola loquens, Cicerone inferiorem nequaquam esse incunctanter affirmat. Etiam Renan ipsam multum laudat et Paulo tribuit. (2)

A solvendis argumentis adversariorum abstinemus, cum nullius sint roboris.

PARS EXEGETICA

774. Quales sint presbyteri de quibus Apostolus loquitur (I. 5): «Hujus rei gratia reliqui te Cretae..... ut constituas per civitates presbyteros.» = 775 Exponatur hic locus, (I, 15): «Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum.» = 776. Cujus sit haec sententia, (I. 12): «Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.»

774. Presbyteri de quibus Apostolus loquitur (I, 5) sunt Episcopi; nam statim exponit conditiones Episcoporum, dicens, «Oportet enim Episcopum sine crimine esse etc.» Sed fortasse dices, impossibile fuisse Tito, presbyteros, id est Episcopos constituere per omnes civitates Cretae, quae juxta Homerum erant centum. Sed Apostolus, juxta Ecclesiae morem, loquitur tantum de civitatibus insignioribus, et praesertim de his, in quibus erant multi fideles, cujusmodi civitates adhuc in Creta paucae erant.

775. Exponatur hic locus, (I, 15): «Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum.»

Paulus vers. praecedenti loquitur de judaizantibus qui quasdam escas immundas esse dicebant. Ad refutandum igitur hunc errorem, Apostolus docet, christianis per sanguinem Domini mundatis, nullam esse escam immundam neque ex se, neque alicujus legis prohibitione, cum talis prohibitio jam cessaverit.

(1) *Prol. in hanc Epist.*

(2) «Pocas páginas, ait Renan, tienen un acento tan marcado de sinceridad. Solo Pablo, según toda apariencia, ha podido escribir esta pequeña obra maestra.» *Apud. Vigouroux.*

BIBLIOTECA PROVINCIAL Y REGISTRO DE LA PROPIEDAD PALENCIA

Quod si aliquando Christiani abstinent a quibusdam escis, hoc fit tantum spiritu poenitentiae; ergo mundis, id est, christianis, omnia sunt munda. Sed coinquinatis et infidelibus, id est judaizantibus, ex conscientia erronea qua voluntarie laborant, nihil est mundum, nam ipsae etiam escae mundae sunt immundae.

776. Cujus sit haec sententia (I, 12): «Cretenses semper mendaces, malae bestiae, ventres pigri.»

Sic respondet S. Hieronymus: «Sunt, qui putant hunc versum de Callymacho Gyrenensi Poeta sumptum, et aliqua ex parte non errant. Si quidem et ipse in laudibus Jovis adversus Cretenses scriptitans, qui sepulchrum ejus se custodire gloriabantur, ait: Cretenses semper mendaces, qui et sepulchrum ejus Sacrilega mente fabricati sunt. Verum ut supra diximus, integer versus de Epimenide Poeta ab Apostolo sumptus est, et ejus Callymachus in suo Poemate est usus exordio.»

Apostolus vocat Epimenidem prophetam, non quia verus fuisset propheta, sed quia de Oraculis scripsit; ideo vocat eum *Prophetam ipsorum*, id est Cretensium. Plutarcus dicit Epimenidem vixisse quinquaginta annis in quadam spelunca. Cicero in suo *Tract. Divinationis* et Plato in *Libro Legum*, commemorant prophetias Epimenidis.

Caput XIX

De Epistola ad Hebraeos

PARS CRITICA.

777. Summa hujus Epistolae. = 778. An canonica sit et Paulum Apostolum habeat auctorem. = 779. Solvuntur objectiones. = 780. Utrum sit de fide Apostolum esse auctorem hujus Epistolae. = 781. Opiniones quoad Ecclesiam ad quam missa fuit. = 782. Qua lingua fuerit exarata. = 783. Tempus et locus. = 784. Occasio et scopus.

777. Haec Epistola caret prologo, et epilogus brevissimus est: continet tredecim capita, et dividi potest in duas partes, quorum prior *dogmatica* (I, 1-X, 18); altera *moralis* (X, 19-XIII.) Prior pars in tres sectiones dividi potest cum S. Thoma: ait enim Angelicus Doctor: «Intendit ostentare excellentiam Novi Testamenti ad Vetus per excellentiam Christi quantum ad tres personas sollemnes in ipso Veteri Testamento contentas, scilicet

Angelos, per quos Lex tradita est, Moysen, a quo vel per quem, data est, Sacerdotem, per quem ministrabatur: unde primo, praefert Christum Angelis, secundo Moysi, tertio sacerdotio Veteris Testamenti.» (1) Et quidem Apostolus ostendit, superiorem excellentiam Christi prae Angelis; nam Christus est Filius Dei quem Angeli adorare tenentur; praeterea Christus est omnium Creator, Angeli vero non sunt nisi ministri; quod si Christus aliquo tempore minoratus est, atque morti traditus ob hominum salutem id fieri oportuisse docet Apostolus. (I-II) Deinde ostendit Christum superiorem esse Moysi: hic enim non erat nisi servus in domo aliena, Christus autem Filius in domo sua. Statim innixus Psal. XXXVI, 6-11, hortatur judaeos ad fidem accipiendam et retinendam, ne eis contingat quoad salutem, quod contigit eorum parentibus qui ob incredulitatem suam exclusi sunt ab ingressu in Palaestinam (III IV, 13.) Tertio demonstrat excellentiam sacerdotii Christi prae Sacerdotio Veteris Testamenti. Nam Christus habet conditiones ad sacerdotium requisitas, nempe naturam humanam, passibilitatem, *ut condolere possit iis qui ignorant et errant,* et divinam vocationem. Christus est sacerdos secundum ordinem Melchisedech, qui ab Apostolo proponitur ut typus Christi. Jam vero sacerdotium Melchisedech excellentior est sacerdotio levitico: 1.° ratione *personae,* qui Abraham pater Levi decimas obtulit Melchisedec, ab eoque benedictionem accepit: sacerdotium leviticum erat abrogandum; sacerdotium Melchisedech erat aeternum. Sacerdotes levitici, ut mortales, multi sunt, et etiam pro se ipsis sacrificia offerre tenebantur; sacerdotium Melchisedech est unum, et ut sanctissimum semel hostiam perfectam obtulit. 2.° ratione *munerum;* nam tabernaculum Christi est in coelis cujus umbra erat tabernaculum leviticum: sacrificium Christi per suum sanguinem emundat nos interius, et non tantum exterius ut sacrificia vetera. Dein ostendit necessitatem mortis Christi, ad confirmandum suum Testamentum, nam etiam V. T. sanguine confirmatum est. Deinde loquitur, de sufficientia mortis Christi pro delendis peccatis, et de inefficacia antiquorum sacrificiorum. (IV, 13-X, 19.) In parte *morali,* Apostolus hortatur lectores ad perseverantiam in fide, charitatem fraternam, hospitalitatem, et castitatem. Demum eorum orationibus se commendat, promittit se cum Timotheo mox venturum esse ad eos, et salutatinibus claudit Epistolam.

(1) In Hebr. 1. Lec. 1.

778. Cum fere omnia testimonia que pro canonicitate hujus Epistolae adducuntur, ostendant etiam ejus authentiam, ideo de his duabus quaestionibus simul agemus, quamvis ab invicem sejungi queant; sunt enim Patres et interpretes catholici, qui hanc Epistolam canonicam esse fatentur, eam tamen ab Apostolo conscriptam fuisse negant.

Jam inter antiquos motum est dubium de authentia hujus Epistolae: nam Augustinus ait, quod «aliquibus haec epistola esset incerta». (1) Et S. Hieronymus scribit: «Latina consuetudine non recipi hanc epistolam.» (2) et alibi ipsemet scribit: «Epistola quae fertur ad hebraeos non ejus (Pauli) creditur propter styli sermonisque dissonantiam.» (3) Successu temporis, hanc authentiam negarunt inter catholicos Erasmus et Cajetanus. Ex protestantibus et rationalistis, quidam admittunt hanc Epistolam esse Pauli, sed alii negant; nonnulli Barnabam ejus auctorem faciunt ut Wieseler et Thiench; alii Lucam, ut Grotius; alii Apollo ut Lutherus et cum eo Clericus, Bleek, De-Wette, et Bunsen; nonnulli etiam Silam; et demum teste Sixto Senense, non defuere qui eam attribuerent Tertulliano.

Contra hos omnes ergo ostendemus argumentis externis et internis, *Epistolam ad Hebraeos esse canonicam, atque Paulum habere auctorem.* Prob. 1.° *Argumentis externis.* Ecclesia Graeca et Orientalis, hanc Epistola communi consensu in canonem recepit, eamque Paulo tribuit, teste S. Hieronymo, qui ait: «Illud nostris (Latinis) dicendum est, hanc epistolam quae inscribitur ad Hebraeos non solum ab Ecclesiis Orientis, sed ab omnibus retro ecclesiasticis graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi.» (4)

Et revera, innumera sunt testimonia Ecclesiae Graecae et Orientalis. Eusebius de S. Clemente Alex. scribit: «Epistolam autem ad Hebraeos Pauli quidem esse affirmat, sed hebraico sermone, utpote ad Hebraeos, primum scriptum fuisse.» Et de S. Pantaeno: «Jamvero sicut beatus ille presbyter (Pantaenus) dicebat, quandoquidem Dominus omnipotentis Dei Apostolus Hebraeos missus fuerat, prae modestia Paulus, qui ad Gentes

(1) *De peccat. merit. et remiss.* Lib. I, 50.
(2) *Epist. ad Dardan.*
(3) *De vir. illust.* 16.
(4) *Epist. ad Dardan.*

erat directus, Hebraeorum Apostolum se minime inscribit tum ob suam erga Dominum reverentiam, tum quod ex abundanti ipse gentium praeco et Apostolus ad Hebraeos scriberet.» (1) Etiam Origenes admittit Epistolam esse Pauli, quamvis dicat ipsam dictionem esse alterius. Etiam canonicitatem et authentiam hujus Epistolae agnoscunt, S. Cyrillus Hier., S. Eprhem, S. Gregorius Nazianzenus, S. Joannes Chrysostomus (2) caeterique Patres Graeci, sicut etiam Synodus Antiochena (an. 264) et Concilium Laodicenum.

In omnibus Codicibus graecis continetur nostra Epistola. Praeterea Versiones Syriacae Peschito et Philoxeniana, Coptica et Armeniana hanc Pauli exhibent Epistolam.

Consentiunt etiam haeretici, Manichaei, Montanistae, Novatiani et Cathari qui hac Epistola usi sunt ad suos erros cohonestandos. Etiam Ariani ipsam admiserunt, teste Epiphanio, quamvis postea eam rejecerint, a catholicis ex ejusdem Epistolae verbis lacessiti. Demum Eusebius quamvis arianis favens, tamen hanc Epistolam, inter scripturas unanimiter receptas collocat (ομολογουμενας.)

Ergo dubitari nequit de unanimi consensu Ecclesiae Graecae et Orientalis quoad canonicitatem et authentiam Epistolae ad Hebraeos

In Ecclesia Occidentali tribus prioribus saeculis, pauca sunt testimonia pro authentia et canonicitate nostrae Epistolae; sed non desunt omnino. Et quidem teste S. Hieronymo, S. Clemens Rom. saepe allegavit Epistolam ad Hebraeos, quod unusquisque videre potest in prima ejusdem epistola ad Corinthios. (3): quod si non nomitat Paulum, observandum est, Clementem aliosque scriptores illius temporis, nunquam nominare auctores quorum testimoniis utuntur. Rufinus enumerans sacros libros, post Acta ait: «Pauli epistolae quatuordecim.» (4) S. Hilarius, S. Ambrosius pluresque alii hanc Epistolam agnoverunt. Praeterea S. Hieronymus ait: «Epistolam ad Hebraeos omnes Graeci recipiunt, et *nonnulli Latinorum*. (5) Insuper in Epist. ad Dardanum, supra citata, fatetur non solum Orientis

(1) Euseb. *Hist. Eccles.* VI, 14.
(2) *Homil. in hanc Epist.*
(3) *De viris. illust.* 26.
(4) *Exposit. in symbol.* n. 37.
(5) *Epist. 126 ad Evagrium.*

Ecclesias, sed *omnes retro ecclesiasticos graeci sermonis scriptores* illam Epistolam ut Pauli recepisse; cum ergo constet, tribus prioribus saeculis, plures scriptores latinos graeco sermone scripsisse, eosque ab Orientalibus Hieronymus distinguat, possumus eos connumerare inter illos *scriptores ecclesiasticos graeci sermonis*, qui nostram Epistolam ut Pauli receperunt.

Jam a saeculo IV unanimis est consensus P.P. Latinorum quoad canonicitatem et authentiam Epistolae Pauli ad Hebraeos: brevitatis gratia, duorum tantum testimonia proferemus. S. Hieronymus scribit: «Quod si eam (Epistolam ad Hebraeos) Latinorum consuetudo non recipit inter Scripturas Canonicas: nec Graecorum quidem Ecclesiae Apocalypsim Joannis eadem libertate recipiunt: et tamen *nos utraque suscipimus*, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum Scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque utuntur testimoniis, non, ut interdum de Apocryphis facere solent: quippe qui et Gentilium litterarum raro utantur exemplis; sed *quasi Canonicis* et *Ecclesiasticis*.» (1) Et S. Augustinus ait: «Quamquam nonnullis epistola ad Hebraeos incerta sit, tamen magis me movet auctoritas Ecclesiarum Orientalium, quae hanc etiam in Canonicis habent.» (2)

Plura sunt etiam Concilia, quae nostrae Thesis veritatem confirmant: nempe, praeter Concilium Laodicenum jam citatum, Carthaginense III, Can. 47; Romanum septuaginta Episcoporum, sub Gelasio I Pontifice: Florentinum in Decreto Armenis dato, et Tridentinum, Sess. 4. His addi possunt catalogi librorum sacrorum Innocentii I in epistola 3 ad Exuperium; S. Gregorii Nazianzeni in carmine de Scripturis authenticis et S. Joannis Damasceni, (3) qui Epistolam ad Hebraeos, et quidem sub nomine Pauli, his catalogis inseruerunt.

Demum, quidam, cum Bellarmino, hoc argumentum proponunt. Petrus primam suam Epistolam scripsit ad Hebraeos inter gentes dispersos; et ad eosdem etiam secundam misit Epistolam, ut infertur ex his verbis, cap. III, 1: «Hanc vobis charissimi secundam scribo Epistolam.» Jam vero, in hoc eodem capite v. 15, subjungit: «Sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis;» ergo Paulus ali-

(1) *Epist. 129.*
(2) *De peccat. merit.* Lib. I. 27.
(3) *De Fide.* IV, 18.

quam Epistolam scripsit ad Hebraeos; sed praeter nostram nulla alia assignari potest.

Probatur Thesis *argumentis internis*. Auctor hujus Epistolae est judaeus ad Christum conversus, et scripsit ante annum 70. Nam seipsum exhibet ut ejusdem patriae ac aetatis cum Christo (I, 1, 2; XI, 2;) supponit templum adhuc existens, sicut etiam et sacrificia et sacerdotium, quod dici non potuit post annum 70. Mentionem facit de Timotheo, de eoque loquitur, quasi de discipulo et comite suarum peregrinationum; loquitur etiam de suis vinculis; quae omnia non nisi Paulo Apostolo convenire queunt.

Eadem veritas evincitur ex *materia* et *forma* Epistolae. Nam si de *materia* sermo sit, eamdem pertractat Apostolus fere in omnibus Epistolis, ostendendo cessationem rituum Mosaicorum, praestantiam novae Legis supra veterem, redemptionem per Jesum Cristum, typicam Legis veteris significationem etc.

Quoad *formam*, quamvis stylus differat ab stylo caeterarum Epistolarum, de quo infra, tamen quaedam occurrunt formulae phrases et imagines, Paulo propriae ac familiares: ex. gr.: cap. II, 2, vocatur lex *per angelos dictus sermo,* sicut ad Galat. III, 19. Similiter, cap. IV, 12, verbum Dei repraesentatur sub imagine *gladii,* sicut fit ad Ephes, VI, 17. Item cap. VIII, 5, omnia Legis veteris vocantur *umbra* futurorum, sicut etiam ad Coloss. II, 17.

Demum magna auctoritas, quam haec Epistola in Ecclesia consecuta est, nostrae sententiae procul dubio favet.

Denique genuinitas hujus Epistola probari potest etiam *negative*, id est, ostendendo, nemini ex illis scriptoribus, quibus a nonnullis attributa fuit, praedicta indicia interna convenire. Et quidem, non Tertulliano, qui eam citat et Barnabae tribuit. (1): neque Barnabae, quia nullibi legitur Barnabam captivum in Italiam venisse, ibique in vinculis fuisse: neque S. Clementi Romano, qui neque Timothei comes fuit, ut dicitur in Epistola, neque unquam visitavit hebraeos in Palaestina degentes; id ipsum dicendum de Luca, qui in Italia in vinculis non fuit, neque munus Doctoris Hebraeorum gessit. Id a fortiori dicendum de Sila et Apollo.

Igitur, praeter Paulum, nullus alius assignari potest auctor hujus Epistolae.

779. Contra canonicitatem et authentiam hujus Epistolae

(1) *De Pudicit.* C. 20.

sequentes objectiones proponuntur: 1.ª Circa authentiam hujus Epistolae vel omnino silent vel eam rejiciunt, S. Irenaeus, S. Hippolytus, Canon Muratorii et Patres latini trium priorum saeculorum.

Resp. in primis, juxta Eusebium (1) S. Irenaeum in suis disputationibus mentionem fecisse Epistolae ad Hebraeos: praeterea S. Irenaeus non texit catalogum omnium librorum sacrorum, sed eos vel omnes vel aliquos pro data opportunitate citavit. Neque dici potest S. Hippolytum hanc Epistolam rejecisse vel alteri quam Paulo tribuisse; nam eam saepe allegat in suis operibus. (2) Fragmentum Muratorianum preterquamquod est auctoritate privata confectum, non est nisi *fragmentum*, in eoque, etiam alii libri desiderantur. Et in omni casu, de omissione nostri libri dicendum est quod generatim, de librorum deutero-canonicorum dicitur. Quoad Patres Latinos, jam ostensum est eorum dissensum minime fuisse universalem tribus prioribus saeculis. (3)

2.ª In omnibus Paulinis Epistolis, Paulus seipsum nominatur: quod tamen non contingit in nostra Epistola.

Resp. cum Eusebio (4), juxta S. Clem. Alex. «Quod Pauli nomen praese no ferat, id facile explicatur; quia enim Hebraeis scriberet, qui sinistram de ipso opinionem haberent, prudenti consilio usus, illos statim ab initio apposita nominis sui inscriptione, absterrere noluit.» Praeterea, Apostolus ad Galat II ait: «Creditum est mihi Evangelium praeputii sicut Petro circumcisionis.»; quibus verbis asserit vicarium pro Christo ad Judaeos Apostolatum non sibi sed Petro commissum fuisse: ne ergo S. Petri munus videretur invadere, ideo tacuit nomen suum. Praeterea hic liber non est proprie dicta Epistola, sed potius homilia quaedam vel liber hortatorius, vel tractatus theologicus. Deinde ex postremis verbis Epistolae, facile cognoscitur quis fuerit ejus auctor. Demum argumentum propositum est mere negativum.

3.ª Stylus hujus Epistolae diversus est ab stylo reliquarum Epistolarum Paulinarum.

---

(1) *Hist. Eccles.* Lib. V, c. 25, 26.
(2) *In Comment. in Daniel.* XIII coll. Hebr. X, 31, apud Ubaldi.
(3) Cons. Card. Franzelin, *Tract. de Div. Tradit. in Scrip.* Thes. XIV.
(4) *Hist. Eccles.* VI, 14.

Huic objectioni sic respondet S. Hieronymus: «Scripserat ut Hebraeus Hebraeis hebraice, id est suo eloquio dissertissime, ut ea quae eloquenter scripta fuerunt in hebraeo, eloquentius verterentur in graecum: et hanc causam esse dicunt quod a caeteris Pauli epistolis discrepare videatur.» (1)

Juxta S. Clem. Alex. haec Epistola scripta fuit hebraice ab Apostolo, et a S. Luca in graecum versa. Origenes admittit sententias Epistolae esse Pauli, sed ipsam dictionem vel litteram esse alterius. Sed probabilior opinio auctoritate Eusebii, Euthalii, Theodoreti et S. Hieronymi confirmata, et etiam affinitate cum priori Epistola S. Clementis Rom. ad Corinthios, est quod Epistola scripta fuerit ab Apostolo hebraice, et paulo post a S. Clemente in graecum translata. Sic fortasse explicatur defectus inscriptionis, cum hujusmodi versio nulli determinatae Ecclesiae destinata fuerit: etiam diversitas styli, cum S. Clemens versionem non fecerit ad litteram; et difficultas ut reciperetur in Ecclesiis Occidentalibus, quia textus originalis hebraicus probabiliter deperditus est, versio autem S. Clementis, ad Ecclesias Graecas missa fuit. Tamen ut supra dictum est, in ipsa graeca versione quaedam formulae, imagines et phrases occurrunt, quae stylum Pauli, procul dubio, redolent.

4.ª Paulus, ad Galat. I, 11-12, dicit se evangelium accepisse et didicisse non ab hominibus, sed per revelationem Jesu Christi: sed auctor hujus Epistolae videtur fuisse ex numero eorum, qui Evangelium acceperunt non a Domino, sed ab aliis, ut infertur ex his verbis: «Quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem; quae cum initium accepisset enarrari per Dominum, ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est.»

Resp. Apostolum loqui in prima persona, modo concionatorio, ut gratior fuerit sermo; sed loquebatur de fidelibus tunc viventibus et usque ad finem mundi victuros; ut dum in I ad Thessalonicenses dicit «Nos qui vivimus, qui relinquimus, simul rapiemur etc. Neque hoc insolitum est in Scripturis: nam etiam Isaias eodem modo loquitur, cap. LXIV, 6: «Facti sumus velut immundi omnes nos.»

780. Quaeritur utrum sit de fide, Apostolum esse auctorem hujus Epistolae.

Ante omnia, admitti non potest opinio Cajetani asserentis,

(1) *De vir. illust.* 16

hanc Epistolam non esse canonicam, modo non sit Apostoli: nam Ecclesia eam in canonem recepit, non praecise quia est Apostoli, sed quia cognovit eam esse divinitus inspiratam.

Quoad quaestionem propositam, plures dicunt non esse de fide auctorem hujus Epistolae fuisse Apostolum, quia haec quaestio est critica; sed quaestiones criticae in conciliis definiri non solent (1) Deinde quia etiam Concilium Tridentinum Psalterium tribuit Davidi; neque tamen omnes Psalmi sunt Davidis; et demum, quia ante Conc. Tridentinum facta fuerat declaratio *quatuordecim epistolae Pauli,* et tamen plures catholici dubitarunt de authentia Epistolae ad Hebraeos.

Sed probabilior videtur opinio Cornely dicentis: «Quapropter *Concilium Trid.* in suo S. Scripturarum canone illi inter «quatuordecim epistolas Pauli Apostoli» jure merito locum assignavit. Qua definitione Patres Tridentinos proxime et directe solam canonicitatem epistolae asseruisse non negamus, at simul etiam paulinam ejus originem inter catholicos extra controversiam posuisse existimamus. Id enim pleno nostro jure, nisi omnia nos fallunt, ex magna diligentia colligimus, qua Patres terminos suos ad libros sacros designandos elegerunt. Namque ne Davidem omnium Psalmorum auctorem viderentur asserere, primi schematis termino «Davidis centum quinquaginta Psalmi» rejecto Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum» dicere maluerunt. Procul igitur dubio, nisi S. Paulum epistolae ad Hebraeos auctorem asserere voluissent, aliam elegissent expressionem: neque enim ignorarunt a Cajetano et Erasmo non minus, quam a pseudo-reformatoribus epistolae canonicitatem, quia dubia eis esset paulina origo, in controversiam esse vocatam. Quocirca cum *Cano* aliisque gravibus thelogis affirmamus: «cum haereticum sit hanc epistolam a Scripturis S. excludere, certe temerarium est (nequid amplius dicamus) de ejus auctore dubitare, quam Paulum fuisse certissimis testimoniis constat.» (1)

781. Cui Ecclesiae haec Epistola missa fuerit. Interpretes catholici generatim tenent, eam missam fuisse ad Ecclesiam Hierosolymitanam; plures protestantes, hanc Ecclesiam putant

---

(1) Sic. P. Fernandez. *Curs. Theol. Introd. in Sac. Script.* Tract. I. Sect. IV, Cap. III.

(1) *Curs. Sac. Scrip. Introd. Spec. in N. T. De Epist. ad Heb.*

esse Alexandrinam; demum Baur et moderni critici eam scriptam censent ad Ecclesiam Romanam.

Haec ultima sententia, merito rejicitur, quia post decretum Claudii expulsionis judaeorum (an. 51) solis christianis ex gentilitate venientibus constabat Ecclesia Romana. Sed juxta omnes, haec Epistola scripta fuit ad judaeo-christianos tantum, ut postea ostendemus.

Neque secunda sententia est vera, quia probari non potest, Ecclesiam Alexandrinam ex solis judaeo-christianis constitisse, et praeterea quia S. Pantaenus qui scholae alexandrinae praefuit, centum annis postquam haec Epistola fuit scripta, ignoravit eam fuisse missam ad Ecclesiam Alexandrinam.

Igitur, probabilior opinio est prior, juxta quam Apostolus hanc Epistolam scripsit Ecclesiae Hierosolymitanae, seu christianis Palaestinensibus. 1.° Quia ut dicit S. Hieronymus scripta fuit *hebraeis hebraice;* sed judaeis extra Palaestinam degentibus, lingua hebraica seu syro-chaldaica non erat familiaris nec fere nota. 2.° neque dici potest hanc Epistolam scriptam fuisse ad omnes Hebraeos dispersos, sed ad Hebraeos determinatae regionis, ut satis apparet ex illis verbis, (XIII, 23) «Cognoscite fratrem nostrum Timotheum dimissum, cum quo (si celerius venerit) videbo vos.» quod Apostolus non dixisset, si de *omnibus* Hebraeis dispersis sermo esset in Epistola.» 3.° quia auctor suos lectores supponit cultui mosaico et caeremoniis veteris Legis addictos, quod optime congruit judaeis Palaestinensibus; 4.° quia lectores hujus Epistolae erant non neophyti, sed jam multo antea ad fidem conversi, persecutionibus afflicti, et nonnulli etiam, propter Christum, morti traditi; quod optime quadrat judaeis Hierosolymitanis et generatim Palaestinensibus; 5.° quia in Epistola nihil dicitur de illis contentionibus quae communes erant Ecclesiis coalescentibus ex christianis judaeis et gentilibus; hoc etiam perfecte convenit Ecclesiae Hierosolymitanae, in qua omnes christiani ex judaeorum erant gente. Demum 6.° stylus hortatorius et deprecatorius, et minime imperativus quo Apostolus utitur, satis indicat lectores aliquam animositatem vel invidiam contra Paulum habuisse; quod de nemine melius dici potest quam de judaeis Palaestinensibus.

782. Communiter creditur hanc Epistolam scriptam fuisse hebraice. Nam S. Clemens Alex. scribit: «Epistolam ad Hebraeos Pauli quidem esse affirmat, sed hebraico sermone,

utpote ad hebraeos primum scriptam fuisse: Lucam vero eamdem graeco sermone interpretatam graecis hominibus edidisse. Quare in ea epistola et in actibus apostolorum eumdem dictionis colorem reperiri.» (1) Et Eusebius putat textum hebraicum Pauli ad graecum translatum fuisse per S. Clementem Rom. S. Hieronymus ait: «Paulus scribebat ad Hebraeos, et propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputaverat: scripserat *ut Hebraeus Hebraeis hebraice*, id est, suo eloquio disertissime, ut ea quae eloquenter scripta fuerant in Hebraeo, eloquentius verterentur in graecum; et hanc causam esse quod a caeteris Pauli Epistolis discrepare videatur.» (2)

783. Omnes catholici, et plures ex rationalistis affirmant, hanc epistolam ante annum 67 scriptam fuisse, et probabiliter inter an. 60-67. Nam auctor supponit cultum judaicum et templum adhuc existens; templum vero destructum fuit ipso anno 67 vel paulo post, quod factum silentio non praeteriisset Apostolus, si Epistola scripta fuisset post ipsum. Falsae ergo et absurdae sunt opiniones quorumdam rationalistarum dicentium, nostram Epistolam exaratam fuisse vel post annum 70, aut ad finem saeculi I, vel aetate Trajani Imperatoris.

Scripta fuit Romae, in prioribus vinculis Apostoli. Nam in primis, constat scriptam fuisse in Italia, ex his verbis (XIII, 24) «Salutant vos de Italia fratres» quibus verbis ut Thedoretus ait, «Apostolus ostendit undenam scripserit epistolam.» Haec alia verba, (X, 34) «nam et vinctis compassi estis» ostendunt, Apostolum eam scripsisse, cum in vinculis esset in Italia, nempe Romae, et quidem in primis vinculis, quia orationes petit a suis lectoribus «quo celerius illis restituatur.» (XIII, 19.)

784. Scopus seu finis hujus Epistolae fuit hortatorius et consolatorius, ne christiani persecutionibus afflicti a fide deflecterent; et simul ostendere superiorem excellentiam Novi Testamenti supra Vetus.

Occasio vero haec fuit. Christiani Palaestinenses, ob prudentem tolerantiam Apostolorum, ad templum accedebant, et festa atque caeremonias legales servabant: sed quidam ex eis omnia legalia putabant esse ad salutem necesaria, et scandalizabantur eo quod Apostolus et ab eo conversi praedicta legalia

(1) Apud Euseb. *Hist. Eccl.* Lib. VI, c. 14.
(2) *De vir. illust.* 16.

ut inutilia haberent. Hanc persuassionem fovit quidam nomine Tebuthes, caput Ebionitarum, qui cum non esset electus Episcopus post mortem Jacobi, divisiones et contentiones propagare sibi proposuit. His si addantur persecutiones quibus aflicti erant christiani Palaestinenses, ut demonstrat martyrium Jacobi, facile quisintelliget quod in periculo essent amittendi fidem. His ergo de causis permotus Apostolus hanc scripsit Epistolam. (1)

PARS EXEGETICA.

785. Exponantur haec loca: 1us «Qui facit angelos suos spiritus. (I, 7): 2us «Qui cum sit figura substantiae ejus.» (I, 3): 3us Minuisti eum paulo minus ab angelis (II, 7): 4us Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt.» (XIII, 10.=786. De Christo orante in horto et cruce, dicit Paulus (V. 7): «Exauditus est pro sua reverentia», quod Christus negare videtur exclamando: «Deus meus ut qui dereliquisti me.» (Math XXVII, 46).=787. Ex his verbis: «Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati..... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam» (VI, 4, 6,) ¿infertur ne esse peccata omnino irremissibilia?.=788. Quo sensu Christus dicatur Sacerdos secundum ordinen Melchisedech.

785. Quoad 1.um locum «Qui facit angelos suos spiritus quaeritur» quod sit subjectum vel substantivum, et quod praedicatum vel adjectivum. Dupliciter hic locus interpretari potest: nempe «Qui angelos suos facit spiritus, id est *veloces ut ventum*, ut ad omnia loca Dei ordinationes transmittant;» vel alio modo: Qui spiritus suos facit angelos, id est nuncios; haec est enim significatio vocis graecae (ἄγγελος) Angelus. In utroque casu, angeli non sunt nisi ministri Dei, et idcirco Christo inferiores, quod ab Apostolo erat demonstrandum.

In 2.° loco «Qui cum sit... figura substantiae ejus» non significat *figuram* proprie dictam, quia substantia divina nullam hujusmodi potest habere figuram: sed significat, juxta Angelicum Doctorem, imaginem subtantialem, vivam, permanentem et perfectissiman Patris, per generationem aeternam a Patre impressam in Filio: Filius autem, non est imago artificialis, sed naturalis, et ideo est ejusdem naturae cum suo prototypo, id est, cum Patre.

Quoad 3.um locum, videtur ipsum involvere aliquid contrarium doctrinae Apostoli qui ostendere vult, Christum esse supe-

(1) Conf. op. saep. cit. Cornely, Ubaldi et Vigouroux, in hanc Epist.

riorem Angelis; nam (II, 7) ipse Apostolus dicit: «Minuisti eum paulo minus ab Angelis.»

Resp. cum S. Augustino, illa verba *paulo minus*, idem significare ac *aliquo*, vel *parvo tempore*, id est, tempore passionis, eo quod Angeli naturaliter sint impassibiles. Nam S. Augustinus, et cum eo, fere omnes Patres et theologi docent, angelos superiores esse hominibus, si natura humana consideretur ut corruptibilitati subjecta, ratione peccati; cum ergo natura Christi humana, nullo modo fuisset peccatrix, ideo non est inferior angelis, nisi propter passionem et mortem, cui non necessitate naturae, sed voluntarie se subjecit Christus Dominus; quod ex his verbis infertur (II, 9): «Eum autem qui modico quam Angeli minoratus est, videmus Jesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum.»

Ex 4.° loco «Habemus altare de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deserviunt» prima fronte, videtur inferri, sacerdotes catholicos edere non posse de mensa eucharistica; sed sensus Apostoli est, quod ab hac mensa excludantur, sacerdotes veteris Legis; hi enim sunt qui *tabernaculo* deserviunt. Vel clarius et explicatius, sensus praedicti loci est: «In novo Testamento habemus altare, in quo offertur corpus et sanguis Christi, de quibus edere non licet his quibus adhuc necessariae videntur caeremoniae Legis mosaicae.»

786. De Christo orante in horto et cruce, dicit Paulus (V, 7); «Exauditus est pro sua reverentia», quod Christus negare videtur exclamando: «Deus meus, ut quid dereliquisti me.» (Matth. XXVII, 46).

Sensus Apostoli non est, inquit Schouppe, quod Christus exauditus fuerit, in petitione sua conditionata: *Si possibile est, transeat a me calix...* verum, in sua petitione absoluta et proprie dicta; qua oravit, non pro fuga crucis et mortis; sed pro implenda Patris voluntate circa passionem suam hujusque fructum; scilicet, ut sua passione et morte mereretur sibi resurrectionem a morte, nobis autem salutem tam corporis quam animae.—Dixit tamen in cruce, *se esse a Patre derelictum*; eo tantum sensu, quod Pater eum a morte non eriperet, nec consolatione in carne et parte animae inferiore afficeret; sed Filium suum doloribus et tormentis cruciari usque ad divisionem animae a corpore permitteret. Praeterea, Tirinus et Corn. A Lapide censent, Dominum ostendere voluisse, se esse illum ipsum, nempe

Messiam, de quo agit Psalmus XXII, *Deus, Deus meus... ¿quare me dereliquisti?* atque ideo initium illius psalmi, imo psalmum integrum in cruce recitasse.» (1)

787. Ex his verbis (VI, 4, 6); «Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad poenitentiam», ¿infertur ne esse peccata omnino irremissibilia?

Juxta multos Patres, hic Apostolus loquitur de iteratione Baptismi: unde, secundum Apostolum, poenitentia non est impossibilis iis qui peccaverunt post Baptismum, sed tamen impossibile est obtinere effectus quos Baptismus producit. Quidquid sit, Apostolus non dicit, conversionem cujuslibet peccatoris esse absolute impossibilem, sed quandoque esse *difficillimam*, ita ut fere necessarium sit quod Deus aliquod miraculum operetur. Similia loca in Sacris Scripturis inveniuntur: ex. gr. (Matth. XII, 32); «Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro:» ubi, juxta Patres, sermo non est de *absoluta irremissibilitate* peccati, sed de *magna difficultate*, propter malam dispositionem peccatoris.

788. Quare Christus dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech.

Cristus dicitur, Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: 1.° quia sicut Melchisedech, eo quod esset sacerdos Dei altissimi obtulit sacrificium in pane et vino, ita et Christus Salvator noster, instituit augustissimum Sacramentum et Sacrificium novae Legis, sub speciebus panis et vini. 2.° quia ut ipsemet Apostolus ait (VII, 3), Melchisedech «sine patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitae habens, assimilatus autem Filio Dei,» sine patre ut homo, sine matre ut Deus, cujus aeterna generatio est sine initio neque fine: et 3.° quia sicut Melchisedech fuit sacerdos, non vi suae genealogiae, neque jure haereditario, ita, neque Christus fuit Sacerdos ex vi Legis, juxta quam Sacerdotium perpetuari debebat in familia Aaronis, sed vi essentiae suae, juxta illa verba, cap. VII, 16, «Qui non secundum legem mandati carnalis factus est, sed secundum virtutem vitae insolubilis.»

(1) *Curs. Sac. Script.* P. II. Sect. I. Difficult. Epist. Pauli.

Caput XX

De Epistolis Catholicis.

789. Quae sint Epistolae catholicae et qua ratione sic nuncupentur. = 790. Earum ordo.

De Epistolis S. Petri.

PARS CRITICA.

791. Notitiae biographicae hujus Apostoli. = 792. Summa prioris Epistolae. = 793. Quo loco et tempore scripta fuerit. Num hoc factum sit Babylone. = 794. Ad quos missa fuerit, et qua occasione. = 795. Authentia. = 796. Argumentum alterius Epistolae. = 797. Quibus fidelibus eam S. Petrus scripserit, et qua occasione et fine. = 798. Utrum sit authentica et canonica haec Epistola. = 799. Quare Ecclesia eam non receperit ab initio. = 800. Solvuntur objectiones contra authentiam et canonicitatem hujus Epistolae. = 801. Quo loco et tempore haec Epistola scripta sit.

799. Duae Epistolae Petri, tres Joannis, una Jacobi, et una Judae, dicuntur *catholicae*, non quia doctrinam tradunt catholicam, hoc enim commune est omnibus omnino Epistolis, sed quia exceptis fortasse 2.ª et 3.ª Joannis, reliquae omnes ad universitatem fidelium scriptae sunt: vox enim graeca *catholica* idem significat ac vox latina *universalis*.

Nonnulli has epistolas vocant *catholicas* quia quamdam collectionem constituebant scriptorum apostolicorum distinctam ab Evangeliis et Epistolis S. Pauli. Hujusmodi Epistolae dictae sunt etiam *canonicae* ut distinguerentur ab apocryphis.

790. Usque ad saeculum IV, ita hae Epistolae ordinabantur, in Ecclesiis Alexandrina, Hierosolymitana et in omnibus Ecclesiis Asiae, ut primum locum occuparet Epistola Jacobi, dein Epistolae Petri, et postremo Joannis, juxta illum ordinem quo apparent «Jacobus, Cephas et Joannes» (Galat, II. 9); quod facile intelligitur, si in memoriam quis revocet, inter judaeo-christianos, Apostolum praedilectum fuisse Jacobum.

Sed in Ecclesiis Occidentalibus, a temporibus Origenis, Epistolae Petri, primo loco apparent, fortasse propter dignitatem Principis Apostolorum.

Ordo reliquarum Epistolarum catholicarum, diversus est in Ecclesiis Occidentalibus. Nos de his agemus secundum ordinem a Concilio Tridentino, in suo Canone, propositum.

791. *Epistola 1.ª S. Petri.* S. Petrus, Bethsaidae natus, filius fuit Jonnae et frater S. Andreae Apostoli, et uterque erant piscatores atque habitabant Capharnaum. Prius discipuli fuerant S. Joannis Baptistae, et postea audita praedicatione Domini, ab eo electi sunt in Apostolatum. Vocabatur Simon, cujus nomen mutavit Salvator in *Cephas*, quod syriace idem significat ac *Petra* vel *Petrus*. Fuit Apostolus fidelissimus, et pro Domino non semel mori paratus; sed ¡en misera hominis conditio!; ad vocem cujusdam ancillae, ter suum Magistrum negavit; quod peccatum postea amare flevit. Post Resurrectionem Domini, constitutus est Princeps Apostolorum et Caput visibile totius Ecclesiae, quam auctoritatem exercere incoepit post Ascensionem Christi; nam semel accepto Spiritu Sancto, prior, inter omnes Apostolos praedicavit in Jerusalem, ibique primum Concilium congregavit ipsique praefuit; decrevit electionem alterius Apostoli loco Judae proditoris; praecepit electionem septem diaconorum; viriliter sacrilegas petitiones Simonis Magi rejecit; damnavit Ananiam et Saphiram, et primus in Ecclesia recepit Cornelium qui ex gentilitate erat. Fere quinque annis mansit in Judaea praedicans verbum Dei, ejusque veritatem magnis miraculis confirmans. Percurrit Samariam, Liddam, Joppe et Caesaream: circa annum 38 J. C., suam cathedram statuit Antiochiae, quae erat celeberrima civitas Orientis in Syria. Peragravit etiam Pontum, Galatiam, Capadotiam et Bythiniam, et reversus Jerusalem miraculose liberatus est a carcere in qua ab Herode conjectus fuerat. Relicto Evodio ut praesset Ecclesiae Antiochiae, Romam venit (ann. 42) ibique Ecclesiam fundavit; sed hanc civitatem relinquere coactus est ob decretum Claudii expulsionis judaeorum. Romam reversus anno 56, multum pro Christo laboravit, et anno 67, a Nerone morte mulctatus est, et sic martyrii coronam adeptus, eo genere mortis quod Salvator ei praedixerat.

792. Haec Epistola quinque capitibus constat: Cap. I. Deo gratias agit propter vocationem eorum ad fidem, et ad vitam aeternam quae obtinetur per tribulationem; et hortatur lectores ut in puritate vitae ambulent, eo quod redempti sint, non auro vel argento, sed pretioso sanguine Jesu-Christi: Cap. II. Vult S. Petrus, ut fideles sint quasi pueri absque malitia, et ut genus electum, gens sancta et regale sacerdotium. Commendat obedientiam superioribus, et patientiam in laboribus ad imitatio-

nem Christi. Cap. III. exhortationes continet ad conjuges, et omnes hortatur ad imitandum charitatem et patientiam Christi. Cap. IV hortatur omnes ad bona opera facienda, ut hoc exemplo, gentes fidem Christi amplectantur. Pati pro Christo, non debet esse tristitiae motivum. Cap. V. hortatur ministros Ecclesiae, ut verbo et exemplo caeteros pascant, charitate non dominatione in clericos. Commendat juvenibus obedientiam et humilitatem, et omnibus vigilantiam, quia diabolus, tamquam leo rugiens, circuit quaerens quem devoret, et salutationibus absolvit Epistolam.

793. Plures sunt falsae opiniones, circa locum hujus Epistolae, ex eo quod S. Petrus dicat ad finem Epistolae «Salutat vos ecclesia quae est in Babylone coelecta.»

Sunt qui censuerunt hic agi de Babylone Aegyptiorum: sed non probatur ibi Petrum unquam accessisse; et praeterea illa Babylon non erat civitas, sed tantum locus munitus pro una legione Romana militum. Alii, inter quos Harduinus, catholicus quidem, sed novitatum amator, putant Babylonem significare Jerusalem, quia Jeremias Jerusalem Babylonem vocat; sed non est consequentia ex uno in aliud. Erasmus et plerique ex protestantibus, tenent Babylonem de qua S. Petrus loquitur, esse Babylonem Assyriae: sed haec sententia admitti non potest, quia aetate S. Petri, non nisi ruinae illius civitatis existebant.

Itaque juxta communem catholicorum sententiam, cui etiam subscribunt Grotius, Clarius, Zegerus et alii, haec Epistola scripta fuit Romae, ideoque, illud nomen *Babylone*, non litteraliter sed metaphorice intelligendum est: hoc enim sensu, id est, quatenus Romam significat, praedictum nomen accepit S. Joannes in suo Apocalypsi, et hoc commune et vulgare erat apud Judaeos; nam sicut Babylonii persecuti sunt judaeos, et primum templum Hierosolymitanum destruxerunt, id ipsum fecerunt Romani cum secundo templo et judaeis coaevis.

Praeterea omnes Patres docent, in hac Epistola nomine Babylonis designari civitatem Romae. Inter alios Eusebius scribit: «Constat porro Petrum hujus Marci mentionem facere in priori epistola, quam Romae texuisse dicitur; quam quidem epistolam ibi praescriptam ostendit, dum civitatem illam verbi translatione Babylonem appellat, hoc modo: *Salutat vos Ecclesia* etc. (1) S. Hieronymus ait: «Meminit hujus Marci et Petrus in

(1) *Hist. Eccl.* Lib. II. Cap. 14.

epistola prima sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans.» (1) Et demum Grotius scribit: «De Babylone dissident veteres, et novi interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit. Novi Babylonem in Chaldaea. Ego veteribus assentior.» (2)

Deinde quia nomine Babylonis, figurata locutione, tunc Roma optime designari potuit, quia propter idolorum multitudinem, diversitatem cultuum, gentium, linguarum et vitiorum grassantem licentiam, vera erat Babylon seu confusio.

Demum, S. Petrus salutationem mittit nomine Marci: jam vero, constat Marcum Romae fuisse, sed nullibi invenitur vestigium de ejus mansione in Babylone.

Ideo protestantes negant hanc Epistolam Romae exaratam fuisse, quia docent S. Petrum numquam Romae accessisse, ut sic facilius Petri Primatum rejiciant: sed ut bene dicit Grotius, nemo christianorum negabit Petrum Romae fuisse; secus veracitas omnis historiae et traditionis neganda foret-Neque dicas Paulum in Epistola ad Romanos omnino silere de S. Petro; nam vel tunc Petrus absens erat, vel Paulus prudenti consilio nihil de S. Petro dixit, ne locum ejus mansionis adversariis proderet: et fortasse hac de causa S. Petrus, loco Romae, nomen Babylonis posuit in Epistola.

Quoad *tempus*, certo affirmari potest, hanc epistolam scriptam fuisse post annum 43, J. C., nam Cap. IV, 16, fideles vocat christianos, qui tamen non ita vocari coeperunt, nisi a praedicto anno.

Plures, ut Wouters, censent hanc Epistolam paulo postquam Petrus profectus est Romam, scriptam fuisse: nam Marcus adhuc ibi erat: sed ex Eusebio scimus, Marcum anno 3.° Claudii Alexandriam in Aegyptum ad regendam illam Ecclesiam a Petro missum fuisse; ergo haec Epistola scripta fuit ante annum 3.^{um} Claudii, seu ante annum 43 Aerae vulgaris.

Haec opinio solidum fundamentum non habet; nam ex Epist. ad Col. IV, 10, scimus, Marcum Romam reversum fuisse, cum Paulus esset in vinculis, et huic tempori adscribitur generatim compositio hujus Epistolae. Nam allusiones quae fiunt ad Epist. ad Romanos et ad Ephesios, et etiam ad Epist. Jacobi,

(1) *De vir. illust.* 19.
(2) *In hanc. Epist. Com.*

denotant eam exaratam fuisse post hujusmodi Epistolas. Praeterea Christianos supponit magnis persecutionibus et calamitatibus afflictos a magistratibus gentilibus qui eos habebant ut homicidas et latrones: quae omnia optime conveniunt persecutioni Neronis qui postquam flammis tradidit Romam, hujus criminis reos fecit Christianos: ergo circa hoc tempus (an. 64 vel 65) scripta fuit haec Epistola.

794. Nunc quaeritur, ad quos missa fuerit nostra Epistola. Juxta inscriptionem, missa fuit, «electis advenis dispersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et Bithyniae.» Quoad interpretes variae sunt eorum sententiae: nam juxta aliquos, haec Epistola scripta fuit, ad judaeos, qui ex gentilibus facti sunt discipuli Moysis: alii tuentur scriptam indistincte ad Christianos extra Palaestinam habitantes: sed hae duae sententiae nulla pollent probabilitate. Eusebius (1) et S. Hieronymus (2) eam censent scriptam ad judaeo-christianos: sed S. Augustinus, eam directam affirmat ad gentes (3) Probabilior opinio ea est quae docet, hanc Epistolam scriptam fuisse *primario* ad judaeo-christianos, et *secundario* ad gentiles-christianos. Quod scripta fuerit ad judaeos infertur ex illo vocabulo *advenis*, quod convenit non gentilibus sed judaeis, qui in regionibus quas commemorat Petrus, advenae erat. De his etiam intelligi debent haec verba, Cap. II, v. 11: «Obsecro vos tanquam advenas, et peregrinos abstinere vos a carnalibus desideriis, quae militant adversus animam, conversationem vestram inter Gentes habentes bonam.» De mulieribus etiam hebraeis intelligendus est hic locus, III, 5-6: «Sic enim aliquando et sanctae mulieres, sperantes in Deo, ornabant se, subjectae propriis viris. Sicut Sara obediebat Abrahae, dominum eum vocans: cujus estis filiae benefacientes, et non pertimentes ullam perturbationem.»

Quod etiam ad Gentiles sit scripta, probant aliqua loca ipsius Epistolae, ut cap. II, 10, ubi dicitur: «Qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei: qui non consecuti misericordiam, nunc autem misericordiam consecuti:» quae verba, Apostolus ad Rom. IX, interpretatur de vocatione Gentium. Similiter, verba cap. I, 18: «Redempti estis de vana vestra

(1) *His. Eccl.* Lib. III. Cap. 4.
(2) *De viris illust.* 1.
(3) *Lib. 22 cont. Faustum*, cap. 89.

conversatione paternae traditionis», de judaeis dici non potuerunt. Demum illa verba, cap. IV, 3: «Sufficit praeteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis... et illicitis Idolorum cultibus,» de Gentibus dicta esse, evidens, procul dubio, est.

Occasio hujus Epistolae haec fuit, nempe persecutio moralis, quam conversi ad fidem propter Judaeos incredulos pati cogebantur: et etiam timor ne persecutio materialis Neroniana usque ad illas regiones se extenderet; et idcirco ut eos in fide confirmet scribit Petrus suam Epistolam.

795. Authentiam hujus Epistolae, inter veteres, negarunt, discipuli Pauli de Samosata, dicti *Pauliciani*, et Theodorus de Mopsuesta. Protestantes unanimiter hanc Epistolam admiserunt, donec saeculo XVIII, eam rejecit Cludius, quem ex parte secutus est Eichhorn, attribuens eam non Petro sed Marco.

Sed omnes omnino Patres tum Orientales, tum Occidentales genuinitatem hujus Epistolae agnoverunt. Eusebius inter libros *non controversos*, eum collocat. Juxta Erasmum, nostra Epistola «Est plena auctoritatis et majestatis apostolicae, verbis parca, sententiis differta.»

In Canone Muratorii non invenitur: sed ut saepe dictum est, hic canon non est completus, sed potius fragmentum. Juxta nonnullos, sicut Evangelio Joannis conjungitur hujus prior Epistola in hoc canone; sic fortasse, nostra Epistola conjuncta fuit Evangelio Marci, cujus praecipuus auctor fuit Petrus.

Demum omnes codices versionesque vetustissimae hanc Epistolam continent eamque S. Petro adscribunt.

796. *Argumentum alterius Epistolae.* Tribus constat capitibus: cap. I, exponit quomodo per Christum omnia nobis bona donata sint, quare lectores hortatur in virtutes ascendere, ut per bona opera certam vocationem faciant. Certos reddit de proxima ejus morte; et proponens veritatem Evangelii ex transfiguratione Christi, cujus testis fuit, commendat fidei firmitatem. Cap. II, vivis coloribus pravitatem pseudo-doctorum depingit, acriter eorum novitates arguit, eisque terribiles poenas servari docet, in memoriam revocans punitionem angelorum, hominum in diluvio et Sodomorum et Gomorrhaeorum. Cap. III et postremo, hortatur lectores ut fortes sint in fide adversus falsos doctores, et spem eorum roborat, annuntiando secundum Christi adventum, ad quem parati esse debent. Laudat scripta

S. Pauli, quae indocti et instabiles depravant ad suam ipsorum perditionem.

797. Haec Epistola scripta est ad eosdem, ad quos prima; ut evidenter infertur ex his verbis, (III, 1): «Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo epistolam.»

Placata jam illa persecutione materiali, ad quam S. Petrus, praeparaverat suos lectores in prima Epistola, quidam apparent falsi doctores, depravantes scripta S. Pauli, et docentes sufficientiam fidei ad salutem absque bonis operibus; negantes secundum adventum Salvatoris ejusque divinitatem, praedicantes cultum angelorum, et suo immorali exemplo, mores perversissimos introducentes ubique. Unde Petrus, ad suos lectores, praesertim neophytos, in fide confirmandos, et ad errores pseudo-doctorum propulsandos, scripsit hac Epistolam.

798. Authentiam 2.ae Epistolae Petri negarunt, Calvinus, Grotius, Erasmus, Semler, Renan, aliique. Nos hanc authentiam probabimus:

1.° *Argumentis internis*: ex inscriptione ipsius Epistolae, cap. I, v. 1; «Simon Petrus, servus et Apostolus Jesu Cristi»: quae si dicatur interpolata, tunc interpolatio probanda foret in omnibus versionibus, codicibus et auctoribus innumeris. Praeterea, ex verbis (III, 1) supra citatis scimus, hanc Epistolam scriptam fuisse ab ipso qui scripsit primam; hujus autem auctorem fuisse Petrum omnes fatentur. Deinde auctor hujus Epistolae fuit testis transfigurationis Domini, ut eruitur ex cap. I, 17-18; «Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum hujuscemodi a magnifica gloria: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite. Et hanc nos audivimus de coelo allatam cum essemus cum ipso in Monte Sancto»: jam vero, testes transfigurationis fuerunt Petrus, Jacobus et Joannes; cum ergo duobus postremis Epistola adcribi nequeat, eam Petro tribuere necessarium est. Praeterea, haec verba (I, 14): «Certus, quod velox est depositio tabernaculi mei, secundum quod et Dominus noster Jesus Cristus significavit mihi» Petro conveniunt, juxta illud Joannis (XXI, 18-19): «Cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum.» Denique (III, 15-16) Paulum fratrem appellat, et extra fidem esse pronuntiat qui

Pauli epistolas non intelligentes depravant. ¿Quis ita loqui auderet nisi fuisset Petrus?

Eadem veritas evincitur *argumentis externis*. Hanc epistolam suo canoni inseruerunt Concilium Laodicenum, Inocentius I Epist. 3 ad Exuperium, Gelasius I in Concilio Romano 70 Episcoporum, Athanasius in Synopsi, S. Augustinus, lib. III de Doct. Christ. cap. 8, et demum plures Patres tam Graeci quam Latini, inter quos Origenes et S. Hieronymus, in suis operibus, ex hac Epistola, tamquam Scriptura Sacra, proferunt testimonia. (1)

799. Cum haec Epistola authentica sit ¿quare omnes Ecclesiae et Patres, eam ab initio non receperunt in canonem SS. Librorum.

«Verum mirum non est, inquit Caminero, parvam epistolam ab aliquibus scriptoribus ecclesiasticis non allegari, ob non datam forte occasionem, aut etiam quia eam, in Asiam minorem primum missam, non omnes congnoverunt; postea vero, cum nec Petrus jam esset, nec eam a Patribus commemoratam viderent, diversumque stylum animadverterent, P P. et ecclesiae renuerunt eam in canonem recipere; non enim ii erant qui quae libet pia reciperent, sed quae certa traditione ab Apostolis habebant. Postea vero quam haec traditio satis innotuit, ab omnibus ecclesiis admissa est, et in catalogis saeculi 4.i labentis, et in omnibus fere saeculi 5i Patribus habetur.» (2)

800. Contra authentiam hujus Epistolae sequentia proponuntur argumenta 1.um Silentium Patrum Apostolicorum, et omissio hujus Epistolae in versione syriaca et canone Muratorii.

Resp. hoc argumentum esse mere negativum et ideo nihil probare: nam ex eo quod aliqui Patres sileant, non infertur eos negare Epistolam. Sed insuper silentium Patrum Apostolicorum non est universale; nam verisimile est eam prae oculis habuisse, S S. Barnabas, Clemens Rom, Polycarpus, Justinus M. et Theophilus Antiochenus. (3)

Quidquid sit de omissione in versione Syriaca, quae certa non est, sed potius falsa juxta Hug et Franzelin, omnes editio-

(1) Cons. Ubaldi, *op. cit. Introd. Crit.* P. I. Sec. I. Cap. I. Art. III. Thes. IV.

(2) *Manual. Isag.* Introd. Partic. Sect. III, Cap. LXVIII.

(3) Vide op. saep. cit. Cornely, *Introd. special. in hanc. Epist.*

nes hujus versionis nostram Epistolam continent, et Patres Ecclesiae Syriacae, ut S. Ephrem eam ut canonicam habuerunt.

Quoad fragmentum Muratorii, res dubia est, nam ibi tantum dicitur. *Et Petri tantum recipimus, quam quidam ex nostris legi in Ecclesia nolunt.*

2.um Dicunt adversarii, Originem dubitasse de authentia hujus Epistolae; et etiam S. Hieronymum asserere, eam a plerisque negari esse Petri, propter styli cum priori dissonantiam (1)

Resp. Origenem afirmare «Petrum duarum epistolarum suarum tubis personasse» et secundam Epistolam sub nomine Petri allegasse (2)

Quoad S. Hieronymum audi quid ipse dicat: «Denique et duae epistolae, que feruntur Petri, stylo inter se, et charactere discrepant, structuraque verborum. Ex quo intelligimus, pro necessitate rerum diversis eum usum interpretibus.» (3): et ipsemet commendans Paulino studium Sacrorum Scripturarum, hortatur ut saepe legat «septem epistolas tam mysticas quam succintas, a Jacobo, Petro, Joanne et Juda conscriptas.»

3.um Ex his verbis (III, 2); «Ut memores sitis eorum quae praedixi verborum a sanctis Prophetis, et Apostolorum *nostrorum*», videtur inferri, auctorem hujus libri non fuisse Apostolum.

Resp. in optimis manuscriptis et editione critica Tischendorf, legi *vestrorum*, ut in latina vulgata.

4.um Ajunt adversarii nostram Epistolam, et praesertim Cap. II, esse plagium verumque furtum litterarium Epistolae S. Judae, quod S. Petro indignum est.

Resp. in primis incertum esse, an nostra Epistola anterior vel posterior sit Epistolae S. Judae. Sed quamvis sit posterior, nullum est inconveniens neque aliquid S. Petro indignum, in hoc quod, Petrus qui contra eosdem haereses et pseudo-doctores scripserat ac S. Judas, aliqua ex hujus Epistola desumat, ut sic etiam sua auctoritate apostolica confirmaret hanc Epistolam, in cujus inscriptione non constat, conditio apostolica S. Judae.

801. Petrus hanc Epistolam scripsit paulo ante suam mortem, ut eruitur ex his verbis (I, 14); «Certus quod velox est

(1) *De vir. illust.* 1.
(2) *In Jos. Hom.* 7. 1. (apud Cornely.)
(3) *Epist. CL*, 11.

depositio tabernaculi mei.» Igitur eam composuit Romae anno 66 vel 67. (1)

PARS EXEGETICA

802. Exponatur hic locus (I, Pet. II, 18): «Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis.—803. Quomodo intelligenda sint haec verba, (I Pet. III, 19-20): «His qui in carcere erant, spiritibus veniens praedicavit: qui increduli fuerant aliquando... in diebus Noe.

802. Servi obedire debent dominis etiam dyscolis, quia hac tantum de causa non amittunt jus super servos, modo nihil praecipiant aut vetent, quod sit contrarium legi naturali vel dignitati humanae. Similiter regibus, etiam dyscolis obediendum est, in his quae non opponuntur legi naturali, vel divinae vel ecclesiasticae, neque legi fundamentali Status, si sermo sit de regibus *constitutionalibus*.

803. Secundo loco citato, non agitur de carcere seu inferno damnatorum, sed Limbo ubi erant animae Patrum. Igitur anima Christi descendens ad hunc locum, annuntiavit suum Adventum iis animabus, et etiam animabus eorum, qui ante diluvium credere noluerunt Noe, ipsis proximum diluvium praedicenti: qui tamen postea, jam diluvio adveniente, poenitentiam egerunt, et ut oportebat contriti obierunt. Has ergo animas, sicut et veterum patriarcharum, Christus in Limbum descendens, est consolatus. Sic hunc locum interpretatur S. Hieronymus.

(1) Conf. *Inst. Apolog.* etc. P. Vicent. M. Gatti, lib. II. Tract. IV, Dissert. unic. Cap. II.

Caput XXI

De Epistolis S. Joannis.

PARS CRITICA.

804. Summa prioris Epistolae.—805. Authentia.—806. Cuinam Ecclesiae missa fuerit. Opinio S. Augustini.—807.—De integritate hujus Epistolae. Opiniones quoad authentiam v. 7, cap. V: «Quoniam tres sunt qui testimonium dant in coelo: Pater, Verbum et Spiritus Sanctus: et hi tres unum sunt».—808. Argumentum 2.ae Epistolae.—809. Quae sit illa Electa cui haec Epistola mittitur.—810. Doctrina 3.ae Epistolae.—811. Quis sit Gajus cui Joannes hanc scripsit Epistolam.—812. Ostendatur authentia 2.ae et 3.ae Epistolae, et objectiones solvantur.—812. Quo tempore et loco, hae tres Epistolae exaratae fuerint.

804. Prior Epistola quinque constat capitibus: cap. I ostendit Joannes veritatem et fructum Evangelii, et media habendi societatem cum Deo et Filio ejus Jesu Christo, cujus sanguine mundantur omnia hominum peccata, a quibus nemo est immunis. Cap. II, hortatur ad vitandum peccatum, ad charitatem fraternam, et fugam ab amore mundi, et societate haereticorum seu antichristorum Cap. III. Commendat iterum charitatem fraternam, et amoris Dei erga homines signa praebet: distinctio inter filios Dei et diaboli. Denique hortatur omnes, ut mandata Dei servent. Cap. IV. Manifestat in quo distinguantur spiritus qui sunt vel non Dei: loquitur de amore Dei et proximi. Cap. V et postremo, ait eum qui natus est ex Deo victurum esse mundum. Tres sunt in terra qui testantur Christum esse verum hominem: et tres in coelo testantur ipsum esse verum Deum. Qui in eum credit vitam aeternam consequetur.

805. Inter veteres, authentiam hujus Epistolae negarunt Cerinthiani et Alogi, ne admittere cogerentur Divinitatem et Incarnationem Jesu Christi: hos secuti sunt posteriori aetate Cludius et Lange; et demum nostris temporibus Neotubingiani, eam S. Joanni abjudicant, et alicui scriptori saeculi 2, tribuunt.

Probatur authentia. Quamvis nullibi in hac Epistola nomen Joannis reperiatur, tamen eam Joannis esse negari non potest, propter ejus cum quarto Evangelio affinitatem, tum quoad materiam, tum etiam quoad formam et stylum, ut postea videbimus. Teste Eusebio (1) «Papias testimoniis ex priore Joannis

(1) *Hist. Eccl.* III, 39.

Epistola desumptis utitur.» S. Polycarpus alludit ad S. Joann. IV, 2, dicens: «Omnis enim qui non confitetur Jesum Christum in carne venisse antichristus est.» (1) S. Irenaeus (2) ait: «Quemadmodum Joannes Domini discipulus confirmat dicens: *Filioli novissima hora est*, alludens ad I Joann. II, 18. Tertullianus (3) inquit: «Denique inspiciamus, quem Apostoli viderint: Quod vidimus, inquit Joannes, quod audivimus etc. (I, Joann. I, 1.) S. Dionisius Alex. haec scribit: Evangelium et prima Joannis epistola, non solum vitio carent, sed etiam summa cum verborum elegantia, maximo sententiarum pondere, et concinna elocutionis dispositione perscripta sunt.» (4) Demum S. Augustinus ait: «Canonica est ista Epistola, per omnes gentes recitatur, orbis terrae auctoritate retinetur, orbem terrarum ipse aedificavit.» (5)

Denique Eusebius eam inter libros *non controversos* collocat, et versio syriaca Peschito et fragmentum Muratorianum eam recipiunt atque Joanni attribuunt.

806. Quoad Ecclesiam ad quam S. Joannes scripsit hanc Epistolam, diversae sunt sententiae; nonnulli tuentur ad christianos Galilaeae missam fuisse; juxta Ligtfoot missa fuit ad Corinthios; sed hae sententiae omni carent fundamento. S. Augustinus putavit, S. Joannem eam scripsisse ad Parthos, seu christianos hujus regionis Persiae: sed haec opinio ipsi Epistolae repugnat: haec enim, missa fuit procul dubio a S. Joanne illis christianis quos optime noverat, et inter quos commoratus fuerat: S. Joannem vero in Persiam venisse nullibi constat: erravit igitur Sanctus Doctor, fortasse propter inscriptionem προς παρθενους, quam teste S. Clemente Alex. habebat secunda Epistola, cujus inscriptionis quasi contractio habetur *ad Parthos*.

Sunt qui negant nostram Epistolam alicui Ecclesiae fuisse destinatam, sed ad omnes indeterminate, et ideo haberi debet ut encyclica; et hoc inferunt ex defectu salutationis sive in principio sive in fine.

Sed melius Caminero, Cornely et alii censent, eam missam

(1) *Ad Philipp.* 7.
(2) *C. haer.* III, 16.
(3) *C. Prax.* 15.
(4) Apud Euseb. *Hist.* Lib. VII, cap. 20.
(5) *Tract. 7 in I Epist. S. Joann.*

fuisse ad Ecclesias Asiae minoris. Nam ex ipsa Epistola infertur, 1.um lectores esse notos Joanni, et hunc inter eos commorasse: 2.um inter suos lectores plures esse ex gentilitate ad fidem conversos; nam solis judaeis non dixisset: «Filioli, custodite vos a simulacris.» 3.um inter ipsos, plures esse haereticos qui divinitatem Jesu Christi negant: haec autem omnia Ecclesiis Asiae minoris perfecte quadrant; utique 1.um quia ibi S. Joannes largo tempore exercuerat ministerium apostolicum; etiam 2.um qui in illis Ecclesiis plures erant christiani qui ex gentilismo venerant; et demum 3.um quia ibi suos errores progaverant Cerinthus, Ebion et Nicolaitae, adversarii divinitatis Christi.

Praeterea scimus Evangelium Joannis destinatum fuisse ad Ecclesias Asiae minoris. Jam vero, finis hujus Epistolae idem est ac finis Evangelii, nempe divinitatem Jesu Christi demonstrare: idem est *mandatum novum* quod in utroque libro proponitur, quasi fundamentum vitae christianae, nempe charitas fraterna; iidem sunt haeretici, adversus quos uterque liber pugnat; stylus et spiritus charitatis identicus tum in nostra Epistola tum in quarto Evangelio; qui libri, praeterea, incipiunt a Verbo; ergo magna probabilitate dici potest, unum eumdemque esse auctorem horum librorum, et ad eosdem christianos missos fuisse. Quare haec Epistola habetur ut praeparatio et prologus quarti Evangelii.

807. Controversia, circa authentiam, v. 7, cap. V, agitari coepit saeculo XVI, exorta haeresi socinianorum, qui Trinitatem negarunt: nam catholici adversus socinianos, clarissimum Joannis praedictum testimonium adhibebant, quod rem evidenter demonstrat; quapropter nullum aliud effugium habuerunt sociniani, quam negare authentiam illius testimonii. Richardus Simon, ad excessum criticus, favit adversariis, ad quorum numerum etiam accessit Vincenzi, et non pauci catholici recentiores.

Nos breviter, argumenta pro utraque sententia, nempe affirmativa et negativa proponemus.

1.um Ecclesia Catholica in Conciliis Tridentino et Vaticano, anathemate damnat eum qui omnes libros canonicos cum *omnibus suis partibus*, pro sacris et canonicis non susceperit, aut eos divinitus inspiratos esse negaverit; atqui versus de quo est sermo est pars 1.ae Epistolae Joannis; ergo ut sacer et canonicus admittendus est.

2.um Ex traditione: S. Cyprianus ad praedictum locum nostrae Epistolae alludit dicens: «De Patre, et Filio et Spiritu Sancto scriptum est: et hi tres unum sunt» (1) Similiter S. Augustinus scribens: «Vis habere bonam causam? habeto duos vel tres testes Patrem et Filium et Spiritum Sanctum.» (2) Abundant eodem sensu S. Fulgentius (3) et Tertullianus. (4) Etiam Cassiodorus qui V et VI saeculo floruit, quique ad suum opus scribendum, summa cura, Codices sacros vetustiores et emendatiores collegit, atque in nullo ex his Codicibus praedictum versum 7.um deesse observavit, inquit: «Testificantur in terra tria mysteria, aqua, sanguis et spiritus, quae in passione Domini leguntur impleta: in coelo autem Pater, Filius et Spiritus Sanctus, et hi tres unus Deus est.» (5) Victor Uticensis Episcopus, qui vixit circa annum 480, asserit Eugenium Cartaginensem Episcopum obtulisse Hunnerico Wandalorum regi, formulam fidei ab ipso Eugenio et aliis 400 Episcopis Africae, Sardiniae et Corsicae suscriptam, quae sic se habet: «Ut adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre et Filio Spiritum sanctum doceamus, Joannis Evangelistae testimonio comprobatur. Ait enim: «Tres sunt qui testimonium perhibent in coelo, Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, et hi tres unum sunt.» «Jam vero, inquit Wouters, non ausus fuisset Eugenius versum illum in sua fidei Confessione ponere, nisi indubitatum fuisset illum esse S. Joannis: alias Ariani, quorum haeresis isto versu jugulabatur, mox reposuissent, versum illum non esse genuinum; et falsi convicissent Eugenium cum aliis 400 Episcopis: nullus autem Arianus de hoc vel cogitavit: ergo indubitatum est quod tam ab Arianis, quam a Catholicis haberetur ut genuinus.» (6)

3.um Praedictum locum continent plurimi codices, ut Vaticanus, Dublinensis, Poritanus, cujus auctoritate compulsus admisit Erasmus, locum de quo est quaestio, Berolinensis, Basileensis, quinque Veronenses etc. et fere omnes codices, et versiones latinae et editiones typographicae; inter quas Complutensis. Quod in pluribus codicibus graecis non appareat, dicta pericopes, fuit opus Arianorum, et fortasse Eusebii, cui Constantinus commisit correc-

(1) *De unitat. Eccl.* 6.
(2) *Tract. 36 in Joann.*, n. 10.
(3) *Resp. cont. Arianos, in fine.*
(4) *Cont. Praxeas*, c. 25.
(5) *Complectiones in Epist. et Act. Apost.* apud Wouters.
(6) *Dilucid. in hanc. Epist.*

tionem textus, ut nova editio Eusebii fuisset fons aliarum: Eusebius vero, dubiae orthodoxiae, in Trinitate, fortasse nostram pericopem truncavit.

4.um Demum, ut bene habet Cl. Fernandez. «¿Quisnam hocce testimonium fabricavit? quandonam, ubi additum est textui epistolae? usque *evidenter* non probetur interpolatio, tenendum est ex regulis critices textum ad primum *Joannis* exemplar pertinere. Et nec dicas ¿quomodo in tot codicibus omittitur? Ommisssio quippe facile admitti potest propter amanuensium incuriam vel minimam diligentiam; tum etiam propter similitudinem, quam cum altero *testimonio spiritus, aquae et sanguinis* habet, et facillime in scribendo ab uno ad alterum fit transitus. Contra: cum sermo sit de additione hoc admittere teneris et simul exponere (A) pluribus in locis amanuenses, vel adnotatores testimonium idem addidisse (B) quod magnam nactum sic auctoritatem, ita ut nedum exemplaria Bibliorum sed Patres admitterent sine oppositione. Haec enim quis explicat? Mihi quidem dificillima, ingenue fateor, videntur.» (1)

Sed ad haec omnia argumenta, sic respondent adversarii:

Ad 1.um Concilium Tridentinum decrevit, ut fieret editio Vulgatae, quam emendatissima; sed non definierunt canonicum fore omne id quod nova editio contineret. Deinde, inclusio praedicti versus, non constituit definitionem dogmaticam. Praeterea illis verbis, «cum omnibus suis partibus» Concilium refertur ad quaedam Scripturae loca, quae a protestantibus negabantur, non autem ad versum de quo agimus, (2) Demum, Concilium loquitur de omni eo quod ad integritatem substantialem Scripturarum pertinet; quid vero ad hujusmodi integritatem pertineat, ex hac regula dignoscitur, nempe, «prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri vulgata latina editione habentur.» Jam vero, pericopes, de qua sermo est, in Ecclesia Catholica, id est, in *tota* Ecclesia, cognita non fuit, usque ad saeculum XII; quia neque in Ecclesia latina, neque graeca habetur testimonium certum usque ad saeculum V vel VI.

Ad 2.um Ex testimoniis adductis Patrum, ad summum infer-

(1) *Curs. Theol. Introd. in Sac. Script. Tract.* I, Sect. IV, Cap. VI.

(2) Hoc, meo saltem judicio, credibile non videtur, cum Patribus Concilii, nota fuerint dubia Cajetani et Erasmi circa hunc versum, sicut et dubia et negationes protestantium circa alia loca.

tur, illos quidem credidisse et docuisse in Deo tres esse Personas in una essentia; sed necessarium non est supponere illos agnovisse versum de quo disceptatur. Et etiam hoc supposito semper verum erit, tribus prioribus saeculis, hunc versum Ecclesiae notum minime fuisse.

Ad 3.um Citatus versus, tantum in 4 codicibus graecis invenitur; sed in 193 deest. Similiter deest in 50 codicibus latinis. Praeterea, in ipsis codicibus in quibus praedictus versus continetur, non eodem modo eum exhibent; in quibusdam enim invenitur, sicut in nostra Vulgata; in aliis, ut in Codice Toletano saeculi X, versus 8 occupat locum versus septimi, et e converso; demum in nonnullis, sic hi duo versus leguntur: «Quia tres sunt, qui testimonium dant, spiritus et aqua et sanguis, et tres unum sunt. Sicut et in coelo tres sunt, pater, verbum et spiritus, et tres unum sunt.»

Nobis qui compendio studemus haec innuere sufficiat.

808. Joannis 2.ª Epistola brevissima est; non enim habet nisi unum caput cum tredecim versiculis; in quibus Joannes laudat fidem Electae et filiorum ejus, et hortatur eos ut perseverent in novo mandato, seu in charitate, ut ab haereticis fugiant, neque *ave* eis dicant, et demum, ut fideles sint in doctrina Christi. Postremo dicit, nolle plura scribere per chartam et atramentum; sperat enim se futurum apud eos, et os ad os loqui, ut gaudium eorum sit plenum: et salutat Electam nomine filiorum sororis suae.

809. Quaeritur, quae sit illa Electa cui haec Epistola mittitur.

Quidam ut Wouters censent, Electam fuisse, non aliquam Ecclesiam, sed personam particularem, id est, piam aliquam matronam, fortasse Ephesi; quia insolitum est, litteras ad aliquam Ecclesiam mittere, sub hac inscriptione: omnes enim Ecclesiae, electae sunt. Sed Cornely hanc opinionem rejicit, quia Joannes salutat Electam, nomine filiorum sororis suae Electae; non autem est verosimile, quod in una eademque familia, duae sorores idem nomen habeant. P. Mariana, sic hunc locum interpretatur: «Salutant te, filii sororis tuae, oh. Electa»; sed nemo non videt, hanc interpretationem esse valde arbitrariam et contortam.

Alii legunt *electae Dominae*, ita ut vox graeca κυρία sit nomen proprium mulieris; sed hoc est contra inscriptionem graecam.

Nonnulli Patres, ut S. Clemens Alex. et S. Hieronymus, et

major pars recentiorum interpretum, censent subjectum hujus Epistolae esse aliquam Ecclesiam particularem, fortasse Corinthianam vel Romanam. Sed probabilius, est aliqua ex Ecclesiis Asiae, quam Joannes fundavit vel visitavit: nam argumentum, id est, Divinitas Christi et charitas fraterna, idem est ac in praecedenti Epistola et 4.° Evangelio: scimus autem, in Ecclesiis Asiae Minoris, suos errores propagasse, illos «qui non confitentur Christum in carne venisse.»

810. Etiam 3.ª Epistola est brevissima, nam summa ejus doctrinae, unico capite, cum 14 vers. continetur. Laudat Gajum propter suam charitatem erga peregrinos, et reprehendit Diotrephem, eo quod non modo non suscipiat fratres, sed eos de Ecclesia ejiciat. Hortatur Gajum ut non imitetur hoc malum exemplum, et laudat Demetrium, cui testimonium perhibent omnes: et claudit Epistolam his verbis: «Multa habui tibi scridere; sed nolui per atramentum et calamum scribere tibi: Spero autem protinus te videre, et os ad os loquemur, Pax tibi. Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.»

811. Quaeritur, quis sit ille Gajus, cui haec Epistola mittitur. Res valde incerta est; nam in Scripturis varii sunt Christiani hujus nominis; nempe Gajus vel Cajus Macedonicus, qui erat cum Apostolis Ephesi, in tumultu Demetrii argentarii (Act. XIX, 29); alter Derbensis comes Pauli in navigatione inter Graeciam et Palaestinam (Act. XX, 4); alter Corinthius cujus hospes fuit Paulus (1. Cor. I, 14); demum juxta Constitutiones Apostolicas, Joannes quemdam Cajum constituit Episcopum Pergami. S. Beda opinatur, hanc Epistolam missam fuisse, ad Cajum Corinthianum.

Neque scimus, quis fuerit Diotrephes: aliqui arbitrantur, fuisse Episcopum, eo quod de Ecclesia ejecisset eos, qui charitatem exercebant erga peregrinos a Joanne missos.

812. Quoad authentiam 2.ae et 3.ae Joannis, quidam ex antiquis de ea dubitarunt, et inter recentiores Grotius, Erasmus, Bretschneider aliique.

Adversus hos, probatur autenthia harum Epistolarum:

1.° *Argumentis externis.* S. Irenaeus, citat 2.am Joannis Epistolam dicens: «Quos (haereticos) et Dominus nobis cavere praedixit, et discipulus ejus Joannes in praedicta epistola fugere eos praecipit dicens: multi seductores exierunt in hunc mundum, qui non confitentur Jesum Christum in carne venisse.

Hic est seductor et Antichristus. Videte eos ne perdatis quod operati estis»; quae verba desumpta sunt ex 2.° Joannis, v. 7-8. Etiam allegat hanc Joannis, Epist. S. Clemens. Alex., (1) nam citata prima, eam vocat *majorem epistolam*, ergo supponit aliam vel alias esse minores. Etiam Origenes, (2) cum suam exponit sententiam hujusmodi tres Epistolas agnoscit. Et S. Hieronymus inquit: «Scripsit autem Joannes unam epistolam quae ab universis Ecclesiis et eruditis viris probatur; reliquae autem duae quarum principium: Senior etc. Joannis presbyteri esse asseruntur» (3); qui presbyter, juxta sententiam ipsius S. Hieronymi est Joannes Evangelista; nam inquit: «Clangat tuba Evangelica filius tonitrui quem Jesus amavit plurimum, qui de pectore Salvatoris doctrinarum fluenta potavit: Presbyter Electae Dominae et filiis ejus, quos ego diligo in veritate. Et in alia epistola: Presbyter Gajo charissimo etc.» (4)

Nihil dicam de innumeris codicibus, versionibus et canonibus qui has Epistolas continent.

Prob. 2.° *argumentis internis*. Nam hae Epistolae charitatem spirant, sicut 4.um Evangelium, et 1.am Joannis: quaedam locutiones, ut *testimonium perhibere, manere in veritate, ex Deo esse* etc. communes sunt omnibus his libris. Plures protestantes, et rationalistae ut Eichhorn, De Wette, propter hanc similitudinem styli, nostras Epistolas, ut genuinas admittunt.

Praeterea ipsa scriptio *Senior Electae, Senior Gajo,* veritatis nostrae sententiae indicium est. Quis enim alius praeter Joannem, illo generico titulo *Presbyteri vel Senioris* intelligi potuit in Ecclesiis Asiae minoris?

Objectiones. Arguunt 1.° Plures Patres, inter quos Origenes et S. Hieronymus, dubitasse de his Epistolis.

Resp. Origenem et S. Hieronymum loqui de dubiis aliorum ut ex probationibus constat: quod si quidam Patres dubitarunt, huic dubio occasionem dederunt, brevitas Epistolarum, et ipsarum character familiaris, unde minus innotuerunt Ecclesiis.

2.um Auctor horum Epistolarum non vocatur Apostolus sed Senior.

Resp. neque auctorem prioris Epistolae vocari Apostolum.

(1) *Strom.* Lib. II, c. 15.
(2) *Hom. VII, in Josue.*
(3) *De vir. illust. 20.*
(4) *Epis. 85 ad Evagrium.*

Joannes dicitur *Senior seu Presbyter*, quia jam tunc senes erat; vel quia in Ecclesiis Asiae minoris Apostoli dicebantur Presbyteri: cum ergo, illo tempore non alius esset Apostolus nisi Joannes, nomen Presbyteri sufficiens erat ut a fidelibus cognosceretur Auctor Epistolarum.

3.um Desunt hujusmodi Epistolae in versione Syriaca et fragmento Muratorii.

Resp. saltem saeculo IV has Epistolas in praedicta versione fuisse, ut ex quibusdam testimoniis S. Ephrem constat. (1) Fragmentum Muratorii, saltem duas exhibet Joannis Epistolas, quae tamen tres includunt, quia probabiliter secunda adjecta fuit primae, appendicis loco.

813. Grotius censet 1.am Epistolam exaratam ante annum 70, quia *novissima hora* de qua sermo est (II, 18) hora est subversionis Jerusalem. Caminero asserit eam fuisse scriptam Ephesi circa annum 70-80. Quoad alias Epistolas nihil certum neque probabile dici potest de loco et tempore, quamvis credantur scriptae inter ann. 80 et 90, eo quod auctor dicatur *Senior*.

PARS EXEGETICA.

814. In Epist. I Joannis, II, 7, mandatum diligendi proximum vocatur *vetus*, et in 4.° Evangelio idem mandatum vocatur *novum:* ¿quomodo haec concilientur?—815. Quo sensu I Joann., II, 18, dicatur Antichristos esse plures, dum Scriptura alibi (II Thes. II, 8) doceat Antichristum esse unicum. —816. Verus sensus vers. 7 et 8, cap. V. Epist. I Joannis: «Quoniam tres sunt qui testimonium etc.—817. De haeretico dicitur (II. Joann. 10): «Noli recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.»; ¿ubi ergo dilectio inimicorum?

814. Praedictum mandatum vocari potest, et vetus et novum; *vetus* quia ab initio mundi primis parentibus omnibusque hominibus datum fuit, cum sit primum mandatum legis naturalis. Dicitur *novum* quia est character novae legis Evangelicae; Christus enim suum erga homines amorem proponit, ut typum amoris quo homines invicem diligere debent: «Ut diligatis invicem sicut dilexi vos.» (Joann. XIII, 34)

815. Antichristus quidem unicus est, et in fine mundi veniet ut Christo contradicat ejusque Ecclesiam impugnet: sed jam aetate S. Joannis, multi erant, haeretici nempe et pseudo-doctores,

(1) *In serm. de amore paupert.*

qui omnibus modis Christo contradicebant, ejusque Ecclesiam impugnabant; unde, per similitudinem, bene vocantur *Antichristi.*

816. Juxta omnes Patres et Theologos, haec verba (I. Joann. V, 7) «Tres sunt qui testimonium dant in coelo, Pater, Verbum et Spiritus Sanctus; et hi tres unum sunt» significant S S. Trinitatem, id est, consubstantialitatem et pluralitatem Personarum. Sociniani asserunt illa verba «et hi tres unum sunt» non significare unitatem naturae, sed unitatem testimonii: nam v. 8. «Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, et aqua, et sanguis; et hi tres unum sunt.» haec postrema verba non denotant unitatem naturae, sed unitatem testimonii, quatenus concurrunt ad testificandum Christum esse verum hominem.

Sed praedicta postrema verba v. 8 desiderantur in multis codicibus latinis: codices graeci, ipsa quidem exhibent, sed hoc modo (καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσιν) «et hi tres *in unum sunt*», id est in unum concurrunt testimonium. Unde non sine fundamento praesumitur vel fraude Arianorum, ant oscitantia amanuensium, illam particulam *in* a latinis codicibus excidisse.

Sed supra dicta postrema verba v. 8 «et hi tres unum sunt» vere significant unitatem naturae; nam spiritus quem Jesus tradidit, et sanguis et aqua quae fluxerunt ex ejus latere, sunt unum substantialiter, seu pertinent ad unam eamdemque humanitatem Christi, sicut Pater, Verbum et Spiritus Sanctus pertinet ad unam et eamdem subtantiam divinam, cum hac tamen differentia, quod nempe, natura divina sit simplicissima, humana autem composita. (1)

817. Videtur praecepto dilectionis inimicorum opponi quod dicitur (II Joan. 10) de haereticis: «Nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis.»

Nulla datur oppositio, quia denegatio hospitii et salutationis praecipitur non ex odio adversus proximum quamvis haereticum, sed ne videamus ejus haeresi communicare; unde S. Joannes addit: «Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis.» Nam in triplici casu nobis prohibetur communicatio cum haereticis; nempe, cum adest periculum perversionis; cum hac communicatione videamur favere haeresi; et demum, cum scandalo ocassionem praebet.

---

(1) Cons. Billuart. *Sum. S. Thomae. Tract. de Smo Trin. Myst.* Dissert. proem. Art. II.

Caput XXII

De Epistola S. Jacobi.

PARS CRITICA.

818. Summa hujus Epistolae.—819. Quis Jacobus fuerit ejus auctor.—820. Quibus fidelibus destinetur.—821. Tempus, locus, et occasio.—822. Authentia et canonicitas.—823. Quare Lutherus hanc authentiam negaverit.—824.—Alii libri qui S. Jacobo tribuuntur.

818. Scopus generalis hujus Epistolae est exponere veram naturam fidei salutaris, de qua Apostolus loquitur in suis Epistolis, atque reprimere ambitionem magisterii quorumdam neophytorum, qui adhuc parum versati in Christi doctrina, doctoris munere fungi praetendebant. Cap. I, hortatur fideles ad patientiam in tentationibus, ad postulandam a Deo sapientiam; ut orationi instent, et contenti sint paupertate: commendat tarditatem ad loquendum et promptitudinem ad audiendum verbum Dei; et demum docet, neminem esse religiosum, nisi refraenet linguam, et exerceat misericordiae opera et fugiat a spiritu mundano. Cap. II, monet, ut non sint acceptores personarum, sed servent totam Legem et misericordiam exerceant erga proximos, praesertim pauperes. Docet fidem sine operibus nihil prodesse, et hoc probat exemplo daemonum et Abrahae. Cap. III. Exponit mala linguae et difficultatem eam gubernandi, et differentiam inter terrenam et coelestem sapientiam. Cap. IV. Docet concupiscentiam esse originem contentionum: vitandam esse detractionem, et in omnibus obediendum Deo, Cap. V. Deus puniet divites qui opprimunt pauperes. Hortatur omnes ad patientiam in tribulationibus et ad non jurandum. Promulgat Sacramentum Extremae Unctionis, et ostendit efficaciam orationis.

819. Omnes unanimiter fatentur, auctorem hujus Epistolae fuisse Jacobum: sed nunc quaeritur, quis fuerit iste Jacobus.

S. Epiphanius, Dorotheus et Auctor Const. Apost., et inter recentiores Grotius et Erasmus, tres distinguunt Jacobos in Evangelio: 1.us est Jacobus Zebedaei frater Joannis, et Hispaniae Patronus, qui ab Herode Agrippa gladio occisus est: 2.us Jacobus minor, filius Alphaei; et 3.us Jacobus *frater Domini*. Duos priores Jacobos fuisse Apostolos omnes admittunt; sed

juxta supra dictos auctores, Jacobus frater Domini fuit Hierosolymitanus Episcopus sed non Apostolus.

Igitur adversos eos ostendemus Jacobum minorem seu Alphaei esse ipsum Jacobum *fratrem Domini.* 1.° ex his verbis ad Galat. 1, 17: «Neque veni Hierosolymam ad antecessores meos Apostolos... deinde post annos tres veni Hierosolymam videre Petrum, et mansi apud eum diebus quindecim: alium autem Apostolorum non vidi nisi Jacobum fratrem Domini»; ergo juxta S. Paulum, Jacobus *frater Domini* est Apostolus, et idcirco non sunt tres Jacobi, sed duo tantum 2.° quia Sacri Scriptores N. T. ante mortem Jacobi Zebedaei, duos distinguunt Jacobos, nempe filium Zebedaei et Alphaei; sed postquam prior occisus est ab Herode, jam Jacobum vocat sine ullo additamento: quod evidenter demonstrat duos tantum Jacobos insignes fuisse illa aetate in Ecclesia. Et quidem Lucas in Act. Apost, XII, 1-2, refert *Jacobum fratrem Joannis* ab Herode occisum; verum ex hoc tempore alterum Jacobum vocat simpliciter Jacobum (Act XII, 17; XXI, 18); Similiter Paulus, ad Gal. I, 19, loquens de primo suo adventu Hierosolymam, adhuc vivente Jacobo Zebedaei, alterum Jacobum vocat *fratrem Domini*: sed in cap. II, 9, cum tertio venisset Hierosolymam, jam mortuo Jacobo Zebedaei, dicit simpliciter, *Jacobum* una cum Cepha et Joanne vidisse.

Praecipua ex objectionibus adversariorum haec est: collatis Matth. XXVII, 56, Joann. XIX, 25, infertur Jacobum fratrem Domini fuisse filium Cleophae, nam dicitur filius Mariae Cleophae, id est uxoris Cleophae: sed Jacobus minor Apostolus, fuit filius Alphaei, ut ex pluribus Evangelii locis constat.

Quidam respondent, Cleopham non fuisse virum sed patrem Mariae: virum autem ejus Alphaeum; quod probabile non videtur, cum non feminae ex nomine patris, sed ex nomine viri designentur generatim in Scripturis. Propter quod alii censet, Mariam primo nupsisse Alphaeo, et hoc mortuo, Cleophae; atque Alphaeum fuisse patrem Jacobi; Mariam vero designari ex nomine mariti viventis, nempe Cleophae. Demum alii dicunt, Alphaeum et Cleopham esse nomina unius ejusdemque viri: plures enim binomines viri in N. T. occurrunt. Neque desunt qui affirment Alphaeum et Cleopham unum idemque esse nomen. (1)

(1) Cons. Ubaldi. *Introd. in Sac. Scrip. Introd. Crit.* P. I. Sec. I. Cap. I. Art. III. Thes. III.

Cum ergo constet, Jacobum *fratrem Domini* et Jacobum Alphaei unum idemque esse, et idcirco, inter Apostolos duos tantum Jacobos fuisse, nempe Jacobum Zebedaei, seu majorem, et Jacobum Alphaei, seu minorem, quaeritur, quis eorum fuerit auctor nostrae Epistolae.

S. Isidorus Hisp. eam tribuit, Jacobo Zebedaei, dicens: «Jacobus, filius Zebedaei, fratrer Joannis, quartus in ordine, duodecim tribubus, quae sunt in dispersione Gentium, scripsit, atque Hispaniae et occidentalium locorum populis Evangelium praedicavit.» (1) Huic opinioni favent alii auctores hispani, et non nulli codices et versiones ut arabica, liturgia Muzarabica, etc. Sed universalis fere traditio hanc Epistolam tribuit S. Jacobo minori: nam concilium Milevitanum. can. 7, et Tridentinum sess. XIV, nostram Epistolam adscribunt Jacobo fratri Domini. Praeterea haec Epistola scripta fuit, post Epistolam ad Romanos, cum scopus Jacobi fuerit corrigere falsas interpretationes praedictae Epistolae Pauli, quoad fidem justificantem: jam vero, Paulus suam Epistolam scripsit ad Romanos, diu post mortem S. Jacobi majoris.

Adversarii dicunt auctorem hujus Epistolae non fuisse Apostolum, quia initio Epistolae non se nominat vel designat qualitate Apostoli.

Sed hoc argumentum nihil probat, quia etiam Paulus in Epistolis ad Thessalonicenses, ad Philippenses et ad Philemonem, se tantum *Paulum* appellat, additis verbis *servus Dei*

S. Jacobus dicitur *frater Domini,* non quod fuerit germanus, id est, frater uterinus, ut Renam aliique impii docuerunt, sed tantum propinquus vel consanguineus: nam mater Jacobi erat soror B. M. Virginis, ut dicitur Joann. XIX, 25. Juxta alios Alphaeus erat frater S. Josephi, sponsi B. M. V.; et ideo Maria Cleophae dici poterat soror B. M. V. et Jacobus etiam, latiores sensu, propinquus Dominis, vel juxta consuetudinem Scripture *frater*. Plures Patres graeci censuerunt, Jacobum et fratres ejus, fuisse S. Josephi filios, qui eos ex primo conjugio habuit priusquam B. M. Virgini nuberet: quod tamen rejicitur a Patribus latinis et theologis, qui S. Josephum semper virginem mansisse existimant.

820. Juxta inscriptionem, haec Epistola destinatur «Duodecim tribubus quae sunt in dispersione;» cum hujusmodi inscriptio

(1) *De vit. et mort. Sanct.* LXXII; Corn. A Lapide, *Praef. in epist. Jac.*

satis vaga sit, quidam asserunt Jacobum scripsisse ad judaeos non conversos ad fidem, aliis opinantibus ad judaeos omnes, sive conversos, sive non conversos, Jacobum scripsisse. Sed ex ipsa Epistola videtur inferri, scriptam fuisse tantum ad judaeos ad fidem conversos: nam Jacobus, initio Epistolae, vocatur «Dei et Domini nostri J. C. servus;» scribit ad eos quos Pater «verbo veritatis genuit,» et super quos «bonum nomen invocatum est» et qui patienter exspectant secundum adventum Domini.

Cl. Caminero docet, (1) hanc Epistolam non esse destinatam omnibus judaeo-christianis dispersis in toto imperio Romano, sed tantum iis qui dispersi erant in Palaestina et Syria post martyrium S Stephani. Nam S. Jacobus vocat congregationes judaeorum *synagogas;* nullam de gentilibus conversis facit mentionem, neque de contentionibus quae communes erant Ecclesiis coalescentibus ex judaeis et gentilibus. Praeterea supponit suos lectores pauperes, et injuste vexatos propter nomen Christi; quae omnia bene conveniunt Ecclesiae Palaestinensi, illa aetate qua eam gubernabat S. Jacobus.

Cornely hanc opinionem non admittit, quia S. Jacobus nihil dicit de illa persecutione de qua loquitur Caminero. (2)

Wouters sic exponit suam sententiam: «Dispersio, de qua mentionem facit S. Jacobus, non est illa sola, de qua agit S. Lucas in Actibus Apostolorum: nam cum ista dispersio tantum fuerat in Judaea et Samaria, et isti fideles Judaei, qui ex decem Tribubus habitabant in Palaestina, admodum pauci essent comparatione illorum, qui habitabant in aliis regionibus, si istis solis scripsisset, non satis apte dicere potuisset: *Duodecim Tribubus, quae sunt in dispersione.* Ac proinde verius est quod haec epistola scripta sit ad omnes fideles judaeos, qui tum in Judaea, tum in aliis, saltem adjacentibus Judaeae, regionibus morabantur. Et ideo etiam scripta est Graece, quia nimirum Graeca lingua erat quasi communis in Oriente, et plures Judaei extra Palaestinam dispersi magis eam callebant quam Hebraicum.»

821. Haec Epistola scripta fuit circa annum 62, paulo ante mortem sui auctoris. Supponit saltem, jam scriptas fuisse Epistolas Pauli ad Romanos et ad Galatas, nam ea que habet quoad necessitatem bonorum operum, ordinata sunt, ad corrigendas

(1) *Man. Isag.* Introd. part. Sec. III, Cap. LXVII.
(2) *Curs. Sac. Scrip. Introd. special. in hanc Epist.*

falsas interpretationes praedictarum Epistolarum Pauli. Neque dici potest, scriptam fuisse post destructionem Jerusalem, vel durante obsidione hujus civitatis, nam haec contigerunt circa annum 67, Jacobus autem anno 62 mortuus est: praeterea, nulla mentio fit in Epistola de hujusmodi factis extraordinariis, quae auctor non omisisset.

Scripta fuit Hierosolymis, quia Jacobus, hanc civitatem, cujus erat Episcopus, numquam deseruit, sicut infertur ex eo quod Paulus, in diversis occasionibus quibus venit Hierosolymam, semper in ea invenit Jacobum. *Occasio* scribendi, haec fuit. Quidam pseudo-doctores simoniani et nicolaitae docebant, ad obtinenda beneficia Redemptionis, sufficere fidem, et ideo bona opera esse omnino inutilia: et hoc ostendere conabantur, testimoniis perverse interpretatis quarumdam Epistolarum Pauli: ad corrigendas ergo has falsas interpretationes, scripta est haec Epistola. Jacobus etiam sibi proposuit hortari fideles crudeliter vexatos, ut persecutiones et tribulationes, pro Christi nomine, patienter tolerarent.

822. Quidam veteres, juxta Eusebium et S. Hieronymum dubitarunt de authentia et canonicitate hujus Epistolae, et inter recentiores Erasmus et Cajetanus; Lutherus hanc Epistolam omnino rejecit.

Probatur authentia et canonicitas Epistolae Jacobi: 1.° testimoniis Patrum: S. Clemens Rom. scribens ad Corinthios, inter alia, ait: «Deus superbit resistit» et statim reprehendit detractionem, et ostendit necessitatem bonorum operum (1); quae generatim ex Epist. Jacobi, et praesertim ex cap. IV, 6-11, desumpta sunt. S. Irenaeus, (2) citat illa verba Jacobi (II, 23): «Credidit Abraham Deo, et reputatum est illi ad justitiam, et amicus Dei factus est.» S. Hieronymus haec habet: «Jacobus qui appellatur frater Domini unam tantum scripsit epistolam, quae de septem catholicis est»; (3) et albi: «Jacobus, Petrus, Joannes, Juda Apostoli septem epistolas scripserunt tam mysticas quam succintas, et breves pariter et longas, breves in verbis, longas in sententiis.» (4) Etiam Patres Orientales primorum saeculorum, ut Origenes, Clemens Alex, Epiphanius,

(1) 1. ad *Corinth.* cap. 30.
(2) *Cont. haer.* IV, 16.
(3) *De vir. illust.* 4.
(4) *Epist. CIII, ad Paulinum.*

Chrysostomus etc., canonicitatem et authentiam hujus Epistolae agnoscunt.

2.° Versiones latina, Syriaca, Aethiopica et Arabica, sicut et vetustissimi codices, hanc Epistolam Jacobo Apostolo adscribunt.

3.° Idem dicendum de Conciliis Laodiceno, Carthaginensi III, can. 47; Hipponense, can. 20, et Romano sub Gelasio I, ut omittant recentiora Concilia et Canones Sacrorum Librorum.

Canon Muratorii utique non continet hanc Epistolam; sed ut saepe diximus, praedictus Canon est defficiens.

823. Lutherus hanc Epistolam rejecit, eamque *stramineam* appellavit, et *Apostolico Spiritu indignam*, hac tantum de causa, nempe; quia in ea suum dogma fundamentale de sola fide justificante expresse damnatur. Sed nulla est auctoritas Lutheri; vel saltem eadem auctoritate Calvinus nostram Epistolam admisit dicens: «Ego quia nullam ejus repudiandae causam satis justam video libenter eam sine controversia amplector.»

824. Jacobo Apostolo etiam adscribuntur, *Proto-Evangelium Jacobi* ab haereticis confictum, et *Liturgia Jacobi* qui in usu est penes Christianos et Jacobitas Assyrios; quae quidem Liturgia, nihil adversus doctrinam catholicam continet; sed Jacobi essse non probatur.

PARS EXEGETICA

825. Verba Jacobi (I, 3): «Probatio patientiam operatur» nonne contradicant verbis Apostoli (Rom. V, 4) «Patientia probationem operatur.»—826. Exponatur hic locus, (II, 10): «Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.»—827. De qua confessione loquatur Jacobus his verbis, (V, 16): «Confitemini ergo alterutrum peccata vestra.»—828. Quae dogmata praesertim proponantur in hac Epistola.

825. Nulla est contradictio inter praedicta verba Jacobi et Pauli: nam *probatio*, id est tolerantia seu perpessio calamitatum et afflictionum, quibus a Deo visitamur, *patientiam operatur*, id est, nos reddit magis humiles atque patientes. Sed *patientia* in tolerandis malis et aerumnis, *probationem operatur*, seu nos probatos efficit coram Deo.

826. S. Augustinus sic exponit hunc locum Jacobi (II, 10): «Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in

uno, factus est omnium reus.» Qui servatis reliquis Decalogi et Evangelii praeceptis, unum tantum transgressus fuerit, graviter peccando, fit omnium reus, quia agit contra charitatem, a qua tota lex pendet; vel quia aeque privatur fine legis, ac si contra omnia praecepta ageret; nam adimpletio caeterorum praeceptorum, ad finem legis consequendum inutilis est. (1)

Juxta S. Thomam, Jacobus loquitur de peccato, ex parte aversionis a Deo, non ex parte conversionis ad creaturas: quia homo in unoquoque peccato se avertit a Deo, et contemnit omnium praeceptorum auctorem: et hunc esse sensum infertur ex vers. 11: «Qui enim dixit: Non maechaberis, dixit et Non occides. Quod si non maechaberis, occides autem, factus es transgressor legis.» (2)

Neque tamem ex hoc infertur, eum qui offendit in uno, esse aequaliter reum ac si offenderit in omnibus, neque aequaliter puniendum.

827. De qua confessione loquatur Jacobus his verbis: «Confitemini ergo alterutrum peccata vestra» (V, 16). Videtur hic Jacobum hortari infirmos, ut ante omnia, se a peccatis, praevia confessione, absolvi curent. Unde sermo est de Confessione Sacramentali; sic hunc locum interpretantur Origenes et Chrysostomus. Illud vero «*confitemini alterutrum*» idem signicat ac «Confitemini peccata vestra, illis quibus a Deo collata est potestas absolvendi a peccatis» juxta illud Petri «Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes.» (3)

Juxta P. Scio, praedictus locus, intelligi etiam potest de confessione inter ipsos fideles, etiam non sacerdotes, ad mutuam correctionem; et hic origo confessionis generalis quae fit in Missa et in Officio divino ad Primam et Completorium.

828. Dogmata quae praesertim in hac Epistola proponuntur sunt: 1.^{um} necessitas bonorum operum ad salutem, praeter fidem. (II, 14-26). 2.^{um} Existentia Sacramentorum, et vis seu efficacia eorum, ad producendam gratiam et remittenda peccata.

(1) *Epist. 29.*
(2) *Summ. Theol.* 1, 2, Q. LXXIII, art. 1, ad 1.
(3) I. *Petri.* IV, 10.

Caput XXIII

De Epistola S. Judae.

PARS CRITICA.

829. Argumentum hujus Epistolae.—830. Quibus et qua occasione scripta fuerit.—831. Locus et tempus.—832. Quis Judas fuerit auctor hujus Epistolae.—833. Ejus canonicitas.—834. Num huic deroget, quod auctor v. 14, alludat ad librum Enoch, vel loquatur de altercatione Michaelis cum diabolo

829. Haec Epistola uno constat capite et 25 versibus. Ostendit Jacobus perversitatem haereticorum, qui fraudulenter inter fideles ingressi sunt, et terribilia mala quae super ipsos ventura sunt, adhibens exempla punitionis Angelorum et Sodomae atque Gomorrhae. Opponit levitatem Michaelis Archangeli cum diabolo, superbiae haereticorum qui in via Cain abierunt, et errore Balaam mercede effusi sunt, et in contradictione Core perierunt. Eos vocat, nubes sine aqua, arbores autumnales, infructiferos et sidera errantia, quibus procella tenebrarum servata est in aeterum. Deinde hortatur fideles, ut nullam habeant communicationem cum haereticis, ut fideles in doctrina ab Apostolis accepta perseverent, et ut se mutuo diligant. Denique magnifica doxologia Epist. concludit.

830. Epistola haec scripta fuit «his qui sunt in Deo Patre dilectis, et Christo Jesu conservatis et vocatis», quibus verbis, videtur significari, missam fuisse ad universos christianos. Tamen ex doctrina, quam continet, et affinitate cum 2.ª Petri et Jacobi, videtur inferri, eam scriptam fuisse ad Ecclesias Asiae minoris, ubi plures erant haeretici, qui perverse interpretantes aliquas Pauli Epistolas, docebant, bona opera non esse necessaria ad salutem (*gratiam Dei transferentes in luxuriam*) et secundum Salvatoris adventum negantes (*blasphemantes quae ignorant*). Unde haec Epistola scripta fuit ad eosdem fideles, et eadem ocassione ac 2.ª Petri, et unica Jacobi.

831. *Locus* scriptionis, nullo modo determinari potest. Quoad *tempus*, diversae opiniones eam collocant inter ann. 64-90. Probabile est, ex versu 17 et 18: «Vos autem charissimi memores estote verborum, quae praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu Christi» scriptam fuisse post Epistolas aliorum Apostolorum, et praesertim post 2.am Petri: nam Judas

subjungit: «Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores etc.» quae verba desumpta sunt, ex 2.ª Petri, Cap. III, 3. Saltem affirmari potest, nostram Epistolam scriptam fuisse ante destructionem Jerusalem: secus, de ea aliquid locutus fuisset auctor.

832. Juxta universalem catholicorum sententiam, auctor hujus Epistolae fuit Judas filius Alphaei et Mariae sororis B. M. Virginis, et frater Apostolorum Jacobi minoris et Simonis, quare in Evangeliis numeratur inter fratres, id est, propinquos Domini. A Matthaeo et Marco, vocatur Thaddaeus vel Lebbaeus, ut eum distinguant a Juda Iscariote. In Apostolatum una cum suis fratribus vocatus est. Juxta Hegesippum et Nicephorum, nupsit cuidam mulieri, cui nomen Maria ex qua habuit duos filios. Secundum Constitutiones Apost. Judas fuit tertius Episcopus Hierosolymitanus, post fratres suos Jacobum et Simonem; sed Eusebius cum Hegesippo credunt, Judam obiisse ante Simonem, qui martyrium passus est, cum esset centum viginti annorum. Si fides adhibenda sit Nicephoro, Judas evangelizavit Galilaeam, Samariam, Idumaeam, Arabiam, Mesopotamiam et Syriam; atque Edessae, in Abgari civitate, quiete et pacifice mortuus est. Tamen Eusebius aliique censent, Thaddaeum illum qui Evangelizavit Syriam, non fuisse Apostolum, sed unum ex discipulis: Thaddaeum autem Apostolum, in Syria martyrio coronatum esse.

Grotius docuit, Judam auctorem hujus Epistolae, non fuisse Apostolum, sed alium ejusdem nominis Episcopum Hierosolymitanum, qui vixit temporibus Hadriani: verba vero illa *frater autem Jacobi*, aliena manu fuisse adjecta ad Epistolae auctoritatem conciliandam. Et his rationibus probat Grotius suum assertum: 1.ª Auctor, initio Epistolae, se ipsum non dicit Apostolum, sed tantum *Jesu-Christi servum*: 2.ª auctor se excludit a numero Apostolorum his verbis, v. 17: «Vos autem, charissimi, memores estote verborum quae praedicta sunt ab Apostolis Domini nostri Jesu-Christi.»

Resp. ad 1.um neque Paulum in Epistolis ad Thessalonicenses, ad Philippenses et ad Philemonem, neque Jacobum in sua Epistola vocari Apostolos. Ad 2.um illis verbis Judam non se excludere a numero Apostolorum: hic enim loquendi modus, communis est etiam aliis sacris Scriptoribus: sic Petrus in I Epist. Cap. I, 12, his verbis «per eos qui evangelizaverunt vo-

bis Spiritu Sancto misso de coelo etc.» utique se distinguit ab his qui eos evangelizaverunt, quia ipse Petrus cum illis praedicatoribus tunc non fuit: tamen non se excludit a numero eorum, id est, Apostolorum.

833. Cum fere omnia testimonia quae militant pro hujus Epistolae canonicitate, etiam ipsius authentiam demonstrent, quaestionem de canonicitate statuemus.

Justa Eusebium et S. Hieronymum, quidam ex antiquis de hac Epistola dubitarunt, ut Simoniani et Nicolaitae inter haereticos, posteriori aetate eos secuti sunt Bolten, Berger, Welker et Grotius.

Probatur canonicitas et simul genuinitas Epistolae Judae. Inter veteres Patres, S. Clemens Alex, scribit: «Scire enim vos volo, inquit Judas, quod Deus qui semel servavit populum ex Aegypto secundo perdidit eos qui non crediderunt: et angelos qui non custodierunt etc» quibus verbis alludit ad Judam (5-6) (1) Tertullianus: «Henoch, apud Judam Apostolum (14-15) testimonium possidet.» (2) Origenes inquit: «Judas epistolam scripsit paucorum quidem versuum sed plenam efficacibus verbis gratiae coelestis.» (3) S. Hieronymus ait: «Judas frater Jacobi parvam, quae de septem catholicis est, epistolam reliquit. Et quia de libro Enoch, qui apocryphus est, in ea assumit testimonium, a plerisque rejicitur: tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit, et inter sanctas Scripturas computatur.» (4) Et alibi: «Jacobus, Petrus, Joannes et Juda Apostoli septem epistolas scripserunt.» (5) S. Augustinus, nostram Epistolam in suum canonem retulit, eamque Judae tribuit. (6)

Hanc eamdem veritatem confirmant, fragmentum Muratorii, versiones Itala, Syriaca, Arabica et Aethiopica, codices universi, et omnes Canones Sacrorum Librorum a Conciliis Carthaginensi et Hypponensi ad Tridentinum.

834. Grotius, et quidam antiqui negarunt genuinitatem hujus Epistolae, quia auctor desumit (14-15) testimonium de libro Enoch qui apocryphus est.

---

(1) *Paedagog.* Lib. III. Cap. 8.
(2) *De hab. faemin.* Lib. I. Cap. 3.
(3) *In Matth* XIII, 55.
(4) *De vir. illust.* 15.
(5) *Epist. ad Paulinum.* CIII.
(6) *De Doct. Christ.* Lib. II. Cap. VIII.

Resp. Tertullianum conatum fuisse ostendere auctoritatem libri Enoch; neque eam absolute rejicit Origenes et juxta S. Augustinum, patriarcha Enoch *nonnulla divina scripsit.* Praeterea etiam S. Paulus citat Epimenidem, Menandrum et Euripidem, ut arguat ad hominem. Demum ex eo quod liber Enoch sit apocryphus, minime infertur omnia quae in eo continentur esse falsa.

Auctor Epistolae, v. 9 loquitur de altercatione Michaelis Archangeli cum diabolo, circa locum ubi sepeliendum erat corpus Moysis, et adversarii supponunt, hanc narrationem desumptam esse ex quodam libro apocrypho, cui titulus *Assumptio Moysi.*

Resp. in primis, de hoc libro dici posse, quod dictum est de libro Enoch. Praeterea illud factum scire potuit auctor Epistolae per traditionem, et praesertim per revelationem, sicut et Paulus scivit nomina magorum qui mira patrarunt coram Pharaone.

PARS EXEGETICA

835. Exponatur hic locus, (v. 9): «Cum Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus judicium inferre blasphemiae.—836. Sensus hujus loci (v. 19): «Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, Spiritum non habentes.»

835. Causa hujus altercationis juxta S. Chrysostomum et majorem partem interpretum fuit, quod diabolus voluisset ut corpus Moysis sepeliretur in loco cognito et celebri, ut Hebraei in idololatriam proni ipsum Moysem quasi Deum venerarentur et colerent: Michael autem restitit, et curavit ut secreto sepeliretur. Neque dicas, Hebraeos non fuisse tam stolidos ut colerent quasi Deum illum cujus corpus mortuum penes ipsos erat in sepulchro: nam etiam Cretenses Jovem colebant, et tamen ejus sepulchrum ac ossa in Creta esse asserebant: unde merito illos irridens Lactantius inquit: «Quomodo igitur potest Deus, alibi esse vivus, alibi mortuus? Alibi habera templum, alibi sepulchrum?» (1) Illa autem verba «non est ausus judicium inferre blasphemiae» significant quod quamvis jure potuisset blasphemare et convitiari diabolum, tamen modeste et graviter

(1) *Lib. I, Divin. instit.* cap. 11.

illum compescuit, dicens: «Imperet tibi (graece increpet te) Dominus,»; hancque Michaelis modestiam, opponit auctor nostrae Epistolae impudentiae blasphemorum Gnosticorum.

836. Sensus v. 19 est: «*Hi sunt qui segregant semetipsos*, ab Ecclesia Christi, ut sectarum haereticarum parentes sint, *animales*, homines sensuales, *Spiritum non habentes*, qui non ab Spiritu Dei, sed effrenatis suis concupiscentiis moventur.

Caput XXIV

De Apocalypsi S. Joannis.

PARS CRITICA

837. Quid significet hoc nomen Apocalypsis.--838. Summa libri Apocalypseos.—839. Ostenditur argumentis tum internis, tum externis, auctorem hujus libri fuisse S. Joannem Apostolum. Solvuntur objectiones.—840. Deuterocanonicitas hujus libri.— 841. Quo loco et tempore scriptus fuerit hic liber. Errores in hac materia.—842. Causae obscuritatis hujus libri.—843. Quae servare oporteat ad rectam ipsius interpretationem. Systemata interpretationis.

837. Vox *Apocalypsis* graeca est, et latine significat *Revelationem*, non hoc sensu tantum quod designet aparitionem corporalem alicujus, et praesertim Jesu Christi, sed etiam quatenus denotat manifestationem vel declarationem alicujus rei arcanae et occultae. Derivatur a verbo graeco αποκαλυπτω. Jam Paulus adhibuerat vocem *Apocalypsis* in Epist. I ad Corinthios XIV, 26.

Igitur in praesenti materia, Apocalypsis est liber continens revelationes quas S. Joannes Evangelista habuit, cum esset in insula Pathmos.

838. Admodum difficile est exponere argumentum hujus libri, quia quamvis narret ea quae locum habitura sunt «a primo scilicet adventu Cristi usque in saeculi finem, quo erit ejus secundus adventus» ut ait S. Augustinus (1) tamen ea modo nobis obscurissimo narrat, teste S. Hieronymo: «Tot habet sacramenta quod verba. Parum dixi, pro merito voluminis, laus omnis inferior est. In verbis singulis multiplices latent intelligentiae.» (2)

(1) *De civit. Dei*, XX, 8.
(2) *Epist.* LIII, 8.

Liber Apocalypsis constat 22 capitibus, et in tres partes dispesci potest: pars 1.ª (I-III) continet prologum cum monitis ad Episcopos septem Ecclesiarum Asiae, id est Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardis, Philadelphiae et Laodiciae; quae monita pro objecto habent, roborare christianos in accepta fide. Joannes praedicit harum Ecclesiarum Episcopis, quos vocat Angelos, duplicem periculum; nempe haeresim pro praesenti, et persecutionem pro futuro. Pars 2.ª (IV-XIX) continet historiam universae Ecclesiae sub visionibus, figuris et symbolis, et describuntur persecutiones quibus affligetur. Indicantur plagae, quas angeli phialas irae fundentes in mundum allaturi sunt: strages *Gog* et *Magog;* Antichristi ejusque sectatorum in fideles odium; mundi eversio, omnisque creaturae excidium. Pars. 3.ª (XX,-XXIII, exponit illa quae immediate praecedent resurrectionem generalem et universale judicium, et postea annuntiat triumphum Jesu Christi, seu agni, qui ab initio occisus, erit quasi lucerna; et brevi epilogo clauditur liber.

839. Ex veteribus, Cerinthiani, Marcionitae, Alogi aliique negarunt hunc librum esse canonicum, vel Joanni Evangelistae adscribendum. Etiam S. Dionysus Alexandrinus negavit hunc librum esse Joannis Apostoli: de scriptoribus graecis saec. IV et V dicit S. Hieronymus: «Nec graecorum quidem Ecclesiae Apocalypsim Joannis eadem libertate suscipiunt.» (1) Saec. XVI, veterum dubia de origine apostolica et canonicitate Apocalypseos, recoquere coepit, Erasmus. eumque secutus est Lutherus. Moderni rationalistae, internis libri characteribus nixi, negant unum esse auctorem quarti Evangelii et Apocalypseos: et quidam ex ipsis, praesertim ex schola Neotubingiana, ut auctoritatem quarti Evangelii negarent, Apocalypsim Joanni Apostolo tribuerunt; alii, e contra, admissa Evangelii authentia, Apocalysim non Joanni Apostolo, sed aut Joanni presbytero, vel Theologo, aut Joanni Marco, adscribunt.

Contra hos omnes, probabimus authentiam et canonicitatem hujus libri, argumentis tum internis, tum externis:

Et 1.° quidem *argumentis internis.* Auctor seipsum vocat Joannem sine ullo addimento, quod fieri non potuit nisi ab aliquo Joanne auctoritatem in Ecclesias Asiae minoris habente: hic vero non est, nec potuit esse alius nisi Joannes Apostolus, qui illas Ecclesias et fundavit et rexit.

(1) *Epist. ad Dardanum.*

Auctor seipsum dicit discipulum Salvatoris et testem eorum quae narrat, et asserit se esse relegatum in insula Pathmos; quae non nisi de Joanne Evangelista dici possunt; nisi forte dicas, auctorem fuisse aliquem falsarium, qui adhuc vivente Joanne hunc librum edidit; sed hoc impossibile est, ut patet; neque dici potest, nostrum librum compositum fuisse et sub nomine Joannis fraudulenter propagatum paulo post mortem Joannis Apostoli: incredibile enim est, quod illae Ecclesiae nescirent mortem Joannis, quem vere diligebant.

Praeterea status Ecclesiarum, qualis ab auctore Apocalypseos depingitur, perfecte convenit Ecclesiis Asiae minoris, quae ad finem primi saeculi, oppressae inveniebantur persecutionibus haereticorum, sicut praedixerat Paulus (ad Heb.) et oppositione judaizantium.

Deinde hae revelationes S. Joanni Apostolo, melius quam cuilibet alio quadrant, cum ex Evangelio constet, Salvatorem solitum fuisse plura dilecto suo Apostolo revelare, a quo frequenter Apostoli quaerebant quid ei a Domino revelatum fuerit.

Demum in hoc libro, inveniuntur illi characteres amoris et suavitatis, qui communes sunt omnibus libris scriptis a Joanne Apostolo, sicut etiam plurima verba et phrases quibus continuo utebatur hic Apostolus: ut, *Verbum Dei, Agnus Dei, testimonium perhibere, fluvium aquae vitae, mittere in cor,* formula *post haec,* etc. (1)

Probatur eadem veritas, 2.° *argumentis externis.* Innumera sunt Patrum testimonia, pro authentia et canonicitate hujus libri.

Inter Patres II saeculi, S. Justinus qui Evangelizavit Ephesi, 30 ann. post mortem S. Joannis, in controversia cum Triphone, saepissime allegavit Apocalypsim, et hunc librum S. Joanni Apostolo tribuit. Melito, Episcopus Sardensis, (una ex septem Ecclesiis), in Apocalypsim scripsit librum, ut testatur Eusebius (2) S. Irenaeus, discipulus S. Polycarpi qui S. Joannis discipulus fuit, scribit: «Joannes Domini discipulus in apocalypsi sacerdotalem etc.» (3) et insuper addit hunc librum compositum fuisse «hoc pene saeculo ad finem Domitiani imperii» et ad hoc invocat testimonium eorum «qui facie ad faciem Joannem viderunt.»

(1) Cons. Vigouroux, *Man. Biblic. in hunc librum.*
(2) *Hist. Eccles.* IV, 26.
(3) *Adv. haeres.* lib. IV, cap. 20.

Inter saeculi III Patres, Tertullianus hunc librum S. Joanni Apostolo adscribit dicens: «Nam et Apostolus Joannes in Apocalypsi ensem describit ex ore Dei prodeuntem, bis acutum.» (1) Origenes, qui dubia proposuerat circa Epistolas Joannis, cum loquitur de libro Apocalypseos, sine ulla haesitatione eum adscribit Joanni, dicens: «Jam vero, quid dicendum est de eo qui in sinu Christi recubuit, Joanne? Qui quidem unum reliquit Evangelium... scripsit praeterea *Revelationem,* jussus silere, nec septem tonitruum voces perscribere.» (2)

Patres posteriores, uno ore fatentur et admittunt authentiam et canonicitatem hujus libri: inter alios S. Augustinus inquit: «Apocalypsis liber est S. Joannis Evangelistae.» (3) S. Hieronymus, postquam dubia indicavit circa Epist. ad Hebr. et Apocalypsim, subjungit: «Et tamen nos utramque suscipimus, nequaquam hujus temporis consuetudinem, sed veterum scriptorum auctoritatem sequentes, qui plerumque utriusque abutuntur testimoniis, non ut interdum de apocryphis facere solent, se quasi canonicis et ecclesiasticis.» (4) Demum S. Isidorus Hisp. ait: «Joannes, Apostolus et Evangelista.... dum Evangelium Christi in Asia praedicaret, a Domitiano Caesare in Pathmos insulam metallo relegatur, ubi etiam postea Apocalypsim scripsit.» (5)

Fragmentum Muratorii etiam continet nostrum librum. Idem dicendum de omnibus Canonibus a Concilio III Carthaginensi usque ad Tridentinum.

Notatu dignum est hoc decretum Concilii IV Toletani: «Apocalypsim librum multorum Conciliorum auctoritas, et synodica sanctorum Praesulum Romanorum decreta esse Joannis Evangelistae praescribunt et inter divinos libros recipiendum constituerunt. Et quia plurimi sunt qui ejus auctoritatem non recipiunt, si quis deinceps eum non receperit excommunicationis sententiam habebit.»

Demum, liber Apocalypseos, in vetustissimis versionibus, ut Itala, Aethiopica, Arabica, Syriaca etc. invenitur.

Denique, plures haeretici, tum antiqui, tum protestantes, et

(1) *Cont. Marc.* III, 14.
(2) *Apud. Euseb.* VI, 25.
(3) *Serm.* 95. n. 275.
(4) *Epist. ad Dardanum.*
(5) *De vit. et mort. Sanct.* LXXIII.

inter rationalistas, Renan (1) aliique hunc librum Joanni Evangelistae adscribunt.

Objectiones. 1.ª In pluribus Codicibus graecis, hic liber tribuitur, non Joanni Evangelistae, sed Joanni *Theologo*.

Resp. juxta veteres scriptores graecos, Joannem Evangelistam appellatum fuisse generatim *Theologum*; sic eum vocat auctor Synopsis Athan. dicens: «Hoc nomine (*Apocalypsis*) vocatur hic liber, quia hanc revelationem ipse Joannes Evangelista et Theologus in Pathmo insula habuit.» Similiter loquuntur Dydimus Alex; Cyrill, Hieros, et Alex. etc.

2.° Arguunt silentium Patrum Apostolicorum.

Resp. hujusmodi silentium non fuisse absolutum ut ex probationibus constat; jam vero, longe major est auctoritas argumenti positivi, quam negativi, seu nihil dicentis.

3.° Dicunt auctorem quarti Evangelii, numqu am seipsum nominare: sed auctor Apocalypseos se Joannem frequenter vocat.

Resp. antiquitus, auctores librorum historicorum, non solitos fuisse suum nomen hujusmodi scriptis praefigere; sed utique auctores librorum propheticorum.

4.° Affirmant rationalistae cum S. Dionysio Alex., stylum hujus libri omnino differre ab stylo quarti Evangelii: nam prior liber hebraismis scatet, quod non contingit in Joannis Evangelio.

Fatemur aliquam diversitatem styli inter hos duos libros adesse, sed non talem, ut diversitatem auctorum exigat. Praeterea, ut jam diximus, quaedam in Apocalypsi locutiones et phrases, quibus Joannes utitur, in omnibus suis scriptis, inveniuntur: unde absque errandi periculo, affirmari potest, nullum alium librum N. T. tantam habere affinitatem cum 4.° Evangelio quantam habet Apocalypsis. Deinde, praedictae diversitatis, aliquae assignari possunt causae: 1.ª quia, ut scite animadvertit Cornelius a Lapide, in Apocalypsi frequentes fiunt allusiones ad loca, historias et figuras V. T., praesertim vero, ad visiones Ezechielis et Danielis; non ergo est mirum, quod frequentes hebraismi in Apocalypsi inveniantur: 2.ª diversitas characteris interni seu materiae utriusque libri; non enim eodem modo scribunt auctor historicus et propheticus.

840. Quare hic liber sit *deuterocanonicus*. Tribus prioribus

(1) *Vid. de Jesus, Introd.*

saeculis omnes Patres unanimiter agnoverunt, divinam hujus libri inspirationem. S. Dionysius Alex, propter diversitatem styli Apocalypseos cum 4.° Evangelio, nostrum librum adscripsit Joanni Presbytero: praeterea ratione suae obscuritatis, Apocalypsis non erat aptior ut in Ecclesiis legeretur et fideles ipsum intellegerenti ex alia parte, false et perverse hunc librum interpretabantur millenarii cerinthiani, ebionitae, aliique haeretici, quapropter quidam Patres et Concilia, non eum receperunt in suos canones. Sed jam a saeculo IV et praesertim V, nullus fuit dubitationi locus.

841. S. Joannis hunc librum conscripsit, cum esset in insula Pathmos vel paulo post. Jam vero, S. Joannes relegatus fuit in hanc insulam, anno 14 seu ad finem imperii Domitiani, et 95 J. C. Quoad *locum* res indubia est, cum ipsemet Joannes dicat: «Ego Joannes, frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Jesu: fui in insula, quae appellatur Pathmos, propter verbum Dei, et testimonium Jesu: fui in spiritu in Dominica die, et audivi post me vocem magnam, tanquam tubae dicentis, quod vides scribe in libro, et mitte septem Ecclesiis.» (1) Quoad *tempus*, determinatur a S. Irenaeo, qui dicit hunc librum exaratum fuisse» pene hoc saeculo, ad finem Domitiani imperii.» Haec est sententia etiam Eusebii, S.S. Maximi, Hieronymi et omnium Patrum qui hac de re tractarunt. Solus S. Epiphanius, asseruit, S. Joannem relegatum fuisse in insulam Pathmos, tempore Claudii, an 51, J. C.; sed hoc falsum est, quia hoc tempore S. Joannes Hierosolymis erat una cum Petro et Jacobo: praeterea quia probabiliter adhuc fundatae non fuerant Ecclesiae Asiae minoris; et demum, quia teste Bossuet, chronologia operum S. Epiphanii non est omnino fidelis.

Itaque, juxta communiorem sententiam, S. Joannes missus fuit in dolium olei ferventis, tempore Neronis, cui hujusmodi crudelitas optime quadrat: cum Evangelista illaesus exiret, missut est in Asiam, et deinde tempore Domitiani in odium Christi relegatus in insulam Pathmos. Ibi illas mirabiles revelationes habuit, easque scriptis consignavit, vel in eadem insula, vel Ephesi tempore Imperatoris Nervae, qui regnare incoepit anno 96, J. C.

Id ipsum confirmatur ex eodem libro: nam inter septem

(1) *Apoc.* I, 9-10.

Ecclesias Asiae quas commemorat, ut jam diu fundatas, de aliquibus nulla fit mentio in Act. neque in Epist. Pauli, neque verbum dicitur de mansione Joannis in illis Ecclesiis; ergo Apocalypsis, serius, et ideo multo post tempora Neronis scriptus est. Praeterea, persecutio de qua loquitur Joannes (XIII, 7-8) est generalis; sed persecutio Neroniana, limites Urbis non est transgressa.

Demum pictura bestiae coccineae plenae nominibus blasphemiae, et mulieris ebriae de sanguine sanctorum (1) potius quam Neroni, quadrat Domitiano affectatae divinitatis reo, crudelique sanguinis effusione notissimo.

Rationalistae ostendere conantur, librum hunc scriptum fuisse, vel aetate Neronis, vel brevi post mortem ipsius: nam ex ipso libro (XI, 1-2) inferunt, compositionem hujus libri esse anteriorem destructioni templi: ibi enim jubetur templum et altare metiri.

Resp. praedicto loco, non agi de templo materiali Jerusalem: nam etiam Ezequiel (2) et Zacharias, (3) viderunt virum templum metientem, postquam jam diu fuerit destructum. S. Joannes ergo loquitur de templo spirituali, nempe de Ecclesia, in qua totus populus adorat; sed in templum Hierosolymitanum non nisi sacerdotes ingrediebantur.

Ex cap. XVII, 9, ubi sermo est de septem capitibus bestiae, quae totidem reges significant, ex quibus quinque jam ceciderunt, sextus nunc est, et septimus mox venturus est nec diu mansurus, inferunt, hos reges esse imperatores romanos, et sextum, qui *nunc est* esse Neronem.

Resp. hunc locum obscurissimum esse, ut ex diversis interpretationibus scriptorum veterum et modernorum infertur. Juxta S. Hippolytum et S. Beda, S. Joannes non de regibus, sed de regnis loquitur. Victorinus Petav. qui primus in illo loco imperatores Romanos vidit, initium sumpsit a Galba, et sextum Domitianum esse dixit. Inter modernos, praedictos imperatores volunt esse, Julium Caesarem, Augustum, Tiberium, Cajum, Claudium, atque sextum Neronem; alii Augustum, Tiberium, Cajum, Claudium, Neronem et sextum Galbam; alii omissis Galba, Othone et Vitellio, sextum dicunt esse Vespasianum;

(1) XIII et XVII.
(2) *Ezech.* XL. 2 seqq.
(3) *Zach.* II, 1 seqq.

alii Diocletianum, Maximum, Constantium, Galerium, Maximianum, et sextum Maximinum et septimum Julianum Apostatam. Ex hac confussione satis apparet, ex praedicto loco, nihil inferri posse.

842. Prima causa obscuritatis hujus libri. est, quod sit liber propheticus, qui generatim vix intelligitur usque ad complementum prophetiarum, ut contingit in libris propheticis V. Testamenti. Locutio nostri libri est symbolica, et ideo dificilis intelligentiae: ministri Dei sunt angeli, vel etiam stellae: imperium est civitas, Eclesia templum, decreta Salvatoris sunt ensis bis acutus prodens ex ore ipsius Domini; numeri habent valorem indeterminatum; mille anni significat longum spatium temporis: decem dies sunt breve tempus; numerus *binarius*, vim testimonii indicat; *ternarius* Trinitatem; *quaternarius*, limitationem mundi; *septenarius* opus perfectum etc. etc. Sed hujusmodi obscuritas non debet esse causa, ut hunc librum quasi inutilem vel ut non inspiratum rejiciamus. Audiatur potius S. Clemens Alex: «Ego vero librum illum, rejicere omnino non ausim... Sed hujusmodi de illo opinionem conspiciens, quasi sensus mei modum excedat, arcanam quamdam planeque mirabilem singularum rerum intelligentiam latere existimo. Nam etsi ipse non intelligo, suspicor tamen latiorem quemdam sensum verbis subesse. Eaque non meo ipsius judicio metior, atque aestimo, sed plus fidei tribuens, sublimiora esse censeo quam ut a me percipiantur. Nec ea comdemno quae intelligere non potui, verum inde admiror magis quod capere non possum,»

843. Ergo in hujus libri interpretatione ab omni temeritate cavendum est, ne interpretatio errori favens resultet, ut plurimis doctissimis viris contigit. (1) Neque statim aliorum interpretationes rejiciamus quia nostris praeconceptis ideis non accommodantur, modo praedictae interpretationes evidenter erroneae non sint, neque ab Ecclesia damnentur. Unusquisque ergo in suo sensu abundet, non tamen neglectis interpretationibus Sanctorum Patrum.

Ad hujus libri interpretationem, tria sistemata inventa sunt: (2)

(1) Sic opus «*La venida del Mesias en gloria y majestad*» P. Lacunza, S. J. (Aben Ezra) prohibitum fuit, eo quod faveret millenarismo.

(2) Quoad haec systemata cons. Cornely, op. saep. cit. *Introd. special. in N. T. Apocalyp.* Vide etiam opus *El Antecristo y el fin del mundo* por D. Antonio Martínez Sacristan, Astorga, 1890, Wouters, *Dilucid. in Apocal.*

1.um est eorum, qui censent argumentum hujus libri esse ultima Ecclesiae fata, seu S. Joannem agere, de temporibus Antichristi qui in novissimis mundi diebus venturus est. Sic S.S. Irenaeus, Hippolytus, Augustinus, Victorinus Petav, Beda, Cornelius a Lapide aliique.

2.um systema, juxta quod, S. Joannes agit in Apocalypsi de primis Ecclesiae temporibus, deque ejus triumpho contra synagogam et politheismum. P. Salmeron fuit primus auctor hujus systematis, quod modificaverunt Bossuet et Allioli praesertim.

3.um systema docent, argumentum Apocalypseos esse totam Ecclesiae historiam. Varie a variis exponitur.

PARS EXEGETICA

844. Quae sint septem Ecclesiae Asiae, et qui Angeli septem Ecclesiarum.—845. Quinam intelligantur per Gog et Magog quod Satanas congregabit in praelium.—846. Quo sensu dicatur, (V, 12) dignum esse Agnum nempe Christum accipere divinitatem.—847. De Agno seu Christo dicitur (XIII, 8): «Qui occisus est ab origine mundi»: ¿quomodo hoc verum esse potest?—848. Exponitur hic locus (XXI, 1): «Et vidi coelum novum et terram novam. Primum enim coelum et prima terra abiit, et mare jam non est.—849. Num error Millenariorum fundamentum habeat in Apocalypsi.

844. Septem Ecclesiae Asiae, ut supra dictum est, sunt Ecclesiae Ephesi, Smyrnae, Pergami, Thyatirae, Sardis, Philadelphiae et Laodiciae: Angeli vero harum Ecclesiarum, dicuntur earum Episcopi.

Quidam rationalistae dicunt, aetate S. Joannis, Ecclesiam Thyatirae non extitisse. S. Epiphanius loquens contra Alogos, qui hoc ipsum dicebant, fatetur in ea urbe nondum formatam fuisse ecclesiam aetate Joannis, qui idcirco eam prophetico spiritu futuram designavit. Sed quin necesse sit ad hoc extremum confugere, dicimus aetate Joannis vere extitisse Ecclesiam Thyatirae in finibus Mysiae et Lydiae: post aetatem autem apostolicam fatemur illam Ecclesiam a fide defecisse et erroribus Montanistarum et Cataphrygum ita detentam fuisse, ut Alogorum aetate, id est, sub finem saeculi II et initio III, nulla ejus nominis catholica Ecclesia agnosceretur.

845. Cap. V, 7, legimus: «Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae, Gog et Magog.» Haec desumpta sunt ex Ezechiele Propheta, qui de

Gog et Magog loquitur, cap. XXXVIII et XXXIX; quae verba exponens S. Hieronymus ait: «Gog, sermone latino tectum dicitur. Porro Magog interpretatur de tecto. Omnis igitur superbia, et falsi nominis scientia, quae erigit se contra notitiam veritatis, his nominibus demonstratur... Illud quoque breviter annotandum, quod in Ezechiele, Gog princeps terrae Magog esse dicatur, Apocalypsis vero et Gog et Magog nationes esse commemoret, quae egrediuntur de quatuor angulis terrae.» (1) Et S. Augustinus scribit: «Haec erit novissima persecutio novissimo imminente judicio, quam sancta Ecclesia toto terrarum orbe patietur: universa scilicet civitas Christi ab universa diaboli civitate quamtacumque erit utraque super terram. Gentes quippe istae, quas appellat Gog et Magog, non sunt sic accipiendae, tanquam sint aliqui in aliqua parte terrarum Barbari constituti; sive quos quidam suspicantur Getas et Massagetas, propter litteras horum nominum primas, sive aliquos alios alienigenas et a Romano jure sejunctos. Toto namque orbe terrarum significati sunt isti esse, cum dictum est: *Nationes quae sunt in quatuor angulis terrae*, easque subjecit esse *Gog* et *Magog*.» (2)

846. Quo sensu dicitur, v. 12, dignum esse Agnum, id est Christum accipere divinitatem.

Non dicitur Christum accipere divinitatem, hoc sensu, quod eam aliquando non habuisset; in ipso enim, a primo instanti suae humanae conceptionis, habitavit omnis plenitudo divinitatis: sed Christus dicitur accipere divinitatem, cum hujus gloria manifestatur in sua Persona, et adoratur et glorificatur ut Deus.

847. ¿Quomodo verum esse possit, quod de Agno seu Christo dicitur, XIII, 8: «Qui occisus est ab origine mundi.»

Christus dicitur occisus ab origine mundi, quia ipsum figurabant omnes victimae quae ab initio humanitatis Deo oblatae sunt; vel quia effectus sacrificii Christi ascendit usque ad prima mundi tempora, nemo enim salutem consecutus est, nisi per virtutem sanguinis Christi. Denique, Christus dici potest occisus ab origine mundi, id est ab aeterno, quia Deus ab aeterno decrevit, redemptionem hominum per sanguinem Christi.

848. Quomodo exponatur hic locus, XXI, 1: Et vidi coelum

(1) *In cap. XXXVIII, Ezech.*
(2) *De civit. Dei*, Lib. XX, Cap. 11.

novum. Primum enim coelum et prima terra abiit; et mare jam non est.»

Juxta S. Augustinum, hic S. Joannes agit de Ecclesia triumphante in coelo, et de statu mundi post resurrectionem totius carnis. Coelum et terra non erunt nova quoad substantiam, sed tantum quoad qualitatem; non enim habebunt mutationes et corruptiones quibus nunc subjiciuntur.

849. Utrum error Millenariorum fundamentum habeat in Apocalypsi.

Ex his verbis, XX, 4-5: «Et vidi sedes, et sederunt super eas, et judicium datum est illis: et animas decollatorum propter testimonium Jesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem ejus, nec acceperunt characterem ejus in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. Ceteri mortuorum non vixerunt, donec consummentur mille anni. Haec est resurrectio prima. Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis», ex his, inquam verbis nonnulli deduxerunt, justos resurrecturos et cum Christo regnaturos in terra mille annis. Sectatores hujus doctrinae dicuntur *Chiliastae* seu *Millenarii*. Inter illos, quidam ut Cerinthus arbitrantur, justos illos fruituros esse suavibus deliciis materialibus et carnalibus: Cerinthianis adhaeserunt, Marcionitae et Apollinaristae. Alii ut Papias, S. Justinus Martyr, S. Irenaeus, Tertullianus et S. Augustinus, qui aliquando hanc interpretationem defendit, ab illo regno millenario excludunt voluptates corporeas. Hanc putabant esse *resurrectionem primam*, quam post mille annos secutura est *resurrectio secunda*, in qua justi e terra in coelum ascendent.

Notat S. Hieronymus, (1) hunc errorem, ex Judaeorum opinionibus ortum habuisse, qui credebant Messiam restituturum fore regnum Davidis in pristinam gloriam, et per mille annos regnaturum super omnes gentes; cum ergo hoc non contigisset in primo Christi adventu, Millenarii autumabant, futurum in secundo adventu.

Itaque per mille annos intelligitur, illud temporis spatium quod a morte Christi ad adventum Antichristi defluet; qui hoc tempore in statu gratiae moriuntur, in coelum ascendet, ibique

(1) *Lib. 18, in Isaiam.*

usque ad diem judicii cum Christo regnabunt. Et haec est prima resurrectio. Animae justorum, nullum habebunt timorem *mortis secundae*, id est publicae damnationis in judicio: *sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis*, nempe usque ad diem resurrectionis corporum.

Falsitatem Millenarismi demonstrant omnia illa Scripturae loca, in quibus asseritur justos statim a resurrectione in coelum vocandos esse: ex. gr. (Matth XXV): «Venite benedicti... Discedite a me maledicti... Et ibunt in suplicium aeternum, justi autem in vitam aeternam», quam ingredi, tibi charissime lector, mihique Dominus benigne concedat.

FINIS

NOVI TESTAMENTI

ET

TOTIUS OPERIS.

INDEX

PARS II

SEU

Introductio Particularis.

SECTIO I.

De Veteri Testamento.

177. Prologomena. = 178. Schema de auctoribus et aetate librorum Veteris Testamenti. (Página 5.)

CAPUT I.

De Pentateucho.

PARS CRITICA.

179. Notio etymologica Pentateuchi. = 180 Libri qui ipsum constituunt et modus quo a Judaeis palaestinensibus et hellenistis designabantur. = 181. Summatim exponitur quid unusquisque liber contineat. = 182. Magna utilitas studii Pentateuchi sub adspectu religioso, historico, morali, literario ac philosophico. (Pág. 7.)

CAPUT II.

183. Utrum Moyses fuerit persona historica et realis. = 184. Num sit de fide Moysem esse auctorem Pentateuchi. = 185. Errores quoad Pentateuchi auctorem. = 186. Systemata rationalista documentorum, fragmentorum et supplementorum. = 187. Opiniones quorumdam catholicorum. = 188. Ostenditur Pentateuchum, exceptis quibusdam partibus, esse opus Moysis: 1.° testimoniis desumptis ex ipso Pentateucho: 2.° ex aliis libris V. T.: 3.° Ex quibusdam libris N. T.: 4.° traditione judaeo-christiana: 5.° monumentis Aegypti: 6.° ex ipsa lingua qua exaratus est Pentateuchus. (Pág. 12.)

CAPUT III.

189. Eadem veritas evincitur ex Pentateucho Samaritano. Qui fuerint Samaritani. = 190. Inter opinionem quae asserit Samaritanos nonnisi temporibus Alexandri Magni Pentateuchum accepisse, et eam quae docet ipsos possedisse ab initio schismatis ¿quae ut vera amplecti debet? = 191. Daturne vera contradictio inter chronologiam Pentateuchi Samaritani et Hebraei? (Pág. 21.)

CAPUT IV.

§ II.

PARS EXEGETICO—CRITICA.

192. Solvuntur quaedam objectiones quibus adversarii ostendere conantur Pentateuchum non esse opus Moysis, vel ipsum non fuisse totius Pentateuchi auctorem: 1.ª Aetate Moysis scriptura erat ignota. 2.ª In Pentateucho de Moyse loquitur in tertia persona, quaedam laudes ipsi tribuuntur, et de ejus morte fit mentio. = 193. Inveniuntur fragmenta Elohistica et Jehovistica quae uno auctori minime adscribi possunt. = 194. Dantur repetitiones et contradictiones inter caput I et II Genesseos ubi de origene rerum: cap. X ipsius libri asseritur Hevila, Sava, Dadan et Ludin a Cham descendere, et statim dicitur ipsos esse de progenie Sem.: cap. VI. 19. Gen. legitur: «Et ex cunctis animantibus universae carnis bina induces in arcam», et cap. VII, 2 legimus. Et ex omnibus animantibus mundis tolles septena et septena, masculum et feminam.» = 195. Non immerito prima Pentateuchi compositio Sacerdoti Helciae tribuitur, non enim alio modo intelligitur quod libri legis lectio sic Regem populumque commoveret. (Pág. 26.)

CAPUT V.

196. Ostenditur auctoritas historica Pentateuchi. = 197. Num auctoritatem hanc minuant episodium Balaami aliaque miracula de quibus in Pentateucho fit mentio. (Pág. 29.)

CAPUT VI.

198. Solvuntur objectiones adversus divinam Geneseos inspirationem, et ad vindicandum 1.um versum, cap. I. ostenditur 1.° materiam non esse, nec posse esse aeternam. = 199. 2.° ipsam non nisi per creationem oriri potuisse. = 200. 3.° hanc creativam actionem nullam involvere repugnantiam. = 201. 4.° Deum mundum creasse non ab aeterno sed in tempore. = 202. Et 5.° ipsa strata seu terrena geologica evidenter ostendere mundum non esse aeternum. = 203. Adducitur schema terrenorum et formationum geologicarum. (Pág. 31.)

CAPUT VII.

204. Sequentes solvuntur objectiones: Relatio Moysis est falsa: 1.° Quia supponit, mundum spatio sex dierum fuisse formatum, cum tamen hodierna scientia ostenderit, hanc formationem nonnisi longissimis periodis geologicis factam fuisse. Systemata ad explicandos dies genesiacos.=205. 2.° quia Moyses supponit existentiam lucis, ante productionem solis.20=6. 3.° quia videtur Moysem proponere solem et lunam ut astra superioris magnitudinis, cum tamen hodie certum sit alia esse astra multo majora. (Pág. 43.)

CAPUT VIII.

207. Ostenditur ordinem productionis rerum prout habetur in relatione Moysis, apprime respondere principiis et inventis Geologiae et Palaeontologiae. (Pág. 56.)

CAPUT IX.

208. Quotupliciter accipi possit hoc verbum *Diluvium*. 209. Probatur Diluvium Mosaicum verum esse factum historicum, nulli humanae scientiae nec historiae oppositum.=210. Opiniones quoad universalitatem Diluvii.=211. Quid dicendum de universalitate ethnographica relativa diluvii.=212. Causae morales et physicae diluvii. (Pág. 60.)

CAPUT X.

213. Breviter exponitur theoria transformista Darwin et Haeckel. 214. Absurditas monismi. Impossibilitas generationis spontaneae.=215. Principia fundamentalia transformationis Darwinianae rejiciuntur.=216. Probatur transformationem vere specificam et praesertim simii in hominem esse omnino imposibilem.=217. Quid dicendum de evolutionismo seu transformismo juxta cl. P. Arintero.=218. Ostenditur primum hominem, nempe Adam, a Deo creatum fuisse, et ex Adamo procedere omnes alis homines, qui, idcirco ad unam eamdemque speciem pertinent, ut ex similitudinibus seu affinitatibus anatomicis, intellectualibus, moralibus et physiologicis constat. Id ipsum probant perpetua fecunditas generationis inter diversas familias (razas) necnon auctoritas celebriorum naturalistarum, traditio universalis et demum philologia. (Pág. 74.)

CAPUT XI.

219. Nihil evincunt adversus unitatem specificam hominum diversitas coloris, anguli facialis et civilizationis.=220. Neque difficultas desumpta ex eo quod progenies Adami habitasset etiam regiones ultramarinas. (Pág. 91).

CAPUT XII.

221. Potestne aetas hominis cum absoluta certitudine determinari juxta chronologiam biblicam?=222. Contra aetatem 7.000 plus minusve annorum quam generatim catholici homini tribuunt, deducitur fortasse aliquid ex inventis: 1.° in cavernis osseis: 2.° in terrenis quasi tertiariis: 3.° in habitationibus lacustribus et in formationibus turbaceis: 4.° ex succesiva civilizatione cum suis aetatibus petrea, aenea et ferrea et 5.° ex chronologiis antiquorum populorum praesertim Aegypti?=223. Quid dicendum de zodiacis in Denderak et Esne inventis? (Pág. 95.)

CAPUT XIII.

224. Loca illa Pentateuchi in quibus agitur: 1.° de formatione mulieris: 2.° de serpente tentatore: 3.° de gigantibus: 4.° de longevitate Patriarcharum: 5.° de lege á Deo scripta et Moysi tradita in monte Sinai: 6.° de Deo loquente in rubo ignito: 7.° De plagis Aegypti: 8.° de transitu maris Rubri, aliaque similia exponuntur, simulque ostenditur quaenam metaphorice, quaedam vero litteraliter accipienda sint. (Pág. 107.)

CAPUT XIV.

De libro Josue.

PARS CRITICA.

225. Notitiae biographicae Josue.—Duplex ejus missio.—226. Idea generalis hujus libri.=227. Ejus unitas et distinctio á Pentateucho.—228. Ostenditur 1.° auctorem hujus libri fuisse Josue coaevum.—229. 2.° Hunc auctorem fuisse probabiliter ipsum Josue.—230. Fides seu auctoritas historica hujus libri. (Pág. 116.)

PARS EXEGETICO-CRITICA

231. Solvuntur objectiones quae a rationalistis proponuntur 1.° circa transitum Jordanis.—232. 2.° circa stationem solis:—233. et 3.° circa destructionem Jericho. (Pág. 125.)

CAPUT XV.

De libro Judicum.

PARS CRITICA

234. Status politicus populi hebraici post mortem Josue.—235. Qui fuerint Judices et quae eorum attributiones.—236. Quot fuerint judices.—237. Scopus hujus libri.—238. Materia contenta et ejus divisio.—239. Opiniones quoad hujus libri auctorem.—240. Ostenditur auctorem hujus libri fuisse Samuelem.—241. Fides historica et divina libri Judicum. (Pág. 131.)

PARS CRITICO-EXEGETICA

242. Extraordinaria facta Samgar, Gedeon et Sansom quomodo explicanda sint, sicut etiam laudes quae Aod, Jhael et Sansom tribuuntur.—243. Quid dicendum de voto Jephte.—244. Nulla datur contradictio inter chronologiam hujus libri et tertii Regum. (Pág. 138.)

CAPUT XVI.

De libro Ruth.

PARS CRITICA

245. Quid hic liber contineat.—246. Ostenditur auctorem hujus libri probabiliter fuisse Samuelem.—247. Liber hic est vere historicus.—248. Ejus divina inspiratio.—249. Scopus hujus libri. (Pág. 147.)

PARS EXEGETICO-CRITICA

250. Argumenta adversus fidem historicam et divinam hujus libri; Cap. I. v. 1. dicitur Elimelech fuisse Bethlehemitam, et v. 2. ipsum fuisse Ephrathaeum.—251. Videtur in hoc libro non bene legem leviratus applicari, qui non nisi fratrem defuncti obligabat.—252. Actus quidam narrantur qui minus honesti videntur, nempe matrimonium Mahalonis cum alienigena moabitide, contra legem: consilium quod dedit Noemi nuribus suis ut inter gentiles Moab remanerent; quod Ruth de nocte accedens ad Booz rogat eum ut extendat suum pallium super famulam suam.—253. In hoc libro spatium 400 annorum quatuor tantum generationibus impletur, quod impossibile est. (Pág. 150.)

CAPUT XVII.

De duobus primis libris Regum.

PARS CRITICA

254. Quibus nominibus designarent Judaei, graeci et latini libros Regum.—255. Materia duobus primis libris contenta; ejusque divisio.—256. Opiniones circa horum librorum auctorem. Quo tempore probabiliter exarati fuerint.—257. Eorum fides historica et divina.—258. Adversus utramque sequentes solvuntur objectiones: 1.ª In primo libro mentio fit de templo Domini, et in secundo asseritur Deum adhuc non habitasse in domo sua: 2.ª David philisthaeum Goliath occidit, et multo post ipse Goliath ab Adeodato occiditur: 3.ª Magnanimitas Davidis erga Saulem et hujus mors diverso modo narrantur duobus in locis horum librorum: 4.ª Videtur incredibile quod dicitur de pondere coronae Melchonis et caesariei Absalonis: 5.ª Videtur Deum injuste egisse cum Bethsamitis, Oza, filiis Saul et cum omni populo propter peccatum Davidis. (Pág. 153.)

PARS EXEGETICA

259. Quomodo exponatur hic locus (I Reg. XIII. 1) «Filius unius anni erat Saul cum regnare coepisset, duobus autem annis regnavit super Israel. —260. Qua ratione David vere dici potuit (I Reg. XIII, 14) «vir secundum cor Dei» cum tamen immanium delictorum fuerit auctor.—261. Quo sensu dicatur (I Reg. XVIII, 10) «Invasit spiritus malus Saul, et *prophetabat* in medio domus suae.—262. Quomodo haec loca concilientur; (I Reg. XV, 33) «Non vidit Samuel ultra Saul usque in diem mortis suae.» et (I Reg. XIX, 24.) «Et prophetavit (nempe Saul) cum caeteris coram Samuele.—263. Quid dicendum de Pythonissa Endor, et de apparitione animae Samuelis.— 264. Quo sensu Deus de Salomone dicat (II Reg. VII, 15) «Misericordiam meam non auferam ab eo» cum tamen Salomon probabiliter damnatus sit. (Pág 161.)

CAPUT XVIII.

De libris 3.° et 4.° Regum.

PARS CRITICA

265. Historia his libris contenta.—266. Inter hos libros vera datur unitas.--267. Opiniones quoad aetatem et auctorem ipsorum. Probabile est hunc auctorem fuisse Jeremiam.—268. Fides historica et divina his libris debita. —269. Sequentia solvuntur objecta: Falsum est et absurdum videtur quod in his libris dicitur: 1.° de extensione imperii Salomonis; 2.° de victu quotidiano domus suae: 3.° de equorum numero; 4.° de pecuniis in templi constructione expensis; 5.° de defectione Salomonis non obstante ejus coelesti sapientia. 6.° de destructione exercitus Sennacherib.: 7.° de assumptione Eliae per currum igneum: et 8.° de retrocessione umbrae solis in horologio Achaz.—270. Quaedam difficultas chronologica solvitur. (Pág. 164.)

PARS EXEGITICA

271. Quo sensu dicatur (3.° Reg. III, 12) Salomonem omnes sapientia superasse; cum tamen ipso sapientiores fuissent Adam, Moyses et B.ª V. Maria.—272. Utrum ex his verbis Elisaei (4.° Reg. III, 15) «Adducite mihi psaltem; cumque caneret psaltes, facta est super eum manus Domini» deducatur spiritum prophetiae vi naturali tribuendum esse.—273. An David peccaverit dum morti proximus Salomoni imperavit ut Joab et Semei occideret. —274. Quomodo intelligitur quod Salomon aedificaret templum quin malleus et securis aut aliud instrumentum ferreum audirentur.—275. ¿Mentitus est propheta Michaeas dum Regi Achab dixit (3.° Reg. XXII, 15) «Ascende et vade prospere (in urbem Ramoth Galaad) et tradet eam Dominus in manu Regis» et tamen Achab in proelio periit?—276. Quomodo concilientur haec loca: (3.° Reg. VIII, 9.) «In arca autem non erat aliud nisi duae

tabulae lapideae quas posuerat in ea Moyses in Horeb» et (ad. Heb. IX, 4.) «In qua arca erat urna aurea habens manna et virga Aaron quae fronduerat et tabulae Testamenti.—277. Similiter concilientur haec alia: (3.° Reg. XV, 14) «Excelsa autem non abstulit.» (nempe Reg. Asa, et II Paral. XIV, 2.) »Subvertit (Asa) altaria peregrini cultus et excelsa.»—278. Quae doctrina practica deducenda sit ex consilio quod iniit rex Roboam cum senibus et adolescentibus. (Pág. 172.)

CAPUT XIX.

De libris Paralipomenon.

PARS CRITICA

279. Quomodo judaei et Alexandrini hos libros appellarent. Num distingui debeant a quibusdam annalibus antiquis regum Judae et Isrraelis.—280. Brevis expositio eorum quae in his libris continentur.—281. Judicium Sti. Hieronymi de necessitate hos libros discendi ad studium sacrae Scripturae. — 282. Ostenditur auctorem Paralipomenon probabiliter fuisse Esdram.—283. Sequentes solvuntur objectiones: 1.ª In Esdrae canone, Paralipomena postremum locum occupant: 2.ª Chaldaismi sunt valde frequentes: 3.ª Posteri remotissimi Zorobabelis recensentur: 4.ª in his libris mentio fit de odio inter judaeos et israelitas, cui locum dedit aedificatio templi in monte Garizim quae omnia auctorem Esdrae multo posteriorem postulant. —284. Ostenditur fides historica et divina horum libro rum. (Pág. 174.)

PARS EXEGETICA

285. Quomodo regi Joram litterae Eliae afferri potuerunt (II Paral. XXI. 12) cum Elias sub rege Josaphat, Jorami patre, in coelum raptus fuerit.?—286. Quomodo haec loca concilientur (II Paral. XXXVI. 9.) Octo annorum erat Joachim cum regnare coepisset» et (IV Reg. XXIV, 8) «Decem et octo annorum erat Joachim cum regnare coepisset.—287. Quae doctrina practica inferre licéat ex his verbis (II Paral XII. 1.) «Cumque roboratum fuisset regnum Roboam, dereliquit legem Domini».—288. Exponatur hic locus: (II. Paral. XV. 3)» Transibunt autem multi dies in Isrrael, absque vero Deo, et absque sacerdote doctore, et absque lege. (Pág. 179.)

CAPUT XX.

De libris Esdrae et Nehemiae.

PARS CRITICA

289. Quis fuerit Esdras.—290. Libri Esdrae et Nehemiae habebanturne antiquitus in uno volumine?—291. Quid contineat liber Esdrae.—292. Ostenditur auctorem hujus libri fuisse Esdram. — 293. Quod in hoc libro de Esdra in tertia persona agatur, ipsique laudes tribuantur sufficit ut com-

positio hujus libri abjudicetur Esdrae?—294. Scopus auctoris.—295. Historica et divina auctoritas hujus libri.—296. Notitiae biographicae Nehemiae. —297. Ipsius libri descriptio.—298. Scopus auctoris. (Pág. 182.)

PARS EXEGETICO-CRITICA

299. ¿Quomodo Esdrae cap. IV. v. 6. dicitur Assuerum esse regem Persarum et v. 7., hunc regem fuisse Artaxerxem, cum constet tunc regem Persarum fuisse Cambysem?—300. Quo sensu cap. V. v. 1 dicitur Addo fuisse patrem Zachariae, cum ex Zacharia, cap. I. v. 1.° Addo fuisse patrem Barachiae et avum Zachariae constet?—301. Videtur librum qui nomine Nehemiae insignitur, non fuisse ab hoc auctore conscriptum: quia usque ad Massoretarum tempus unum cum Esdra opus constituebat.—302. Deneganda est huic libro fides historica et divina; 1.° Quia Esdras mortuus est ante adventum Nehemiae e Babylonia, et tamen cap. VIII et IX. Esdras apparet ut comes Nehemiae: 2.° quia proponit ut coaevos Darium Codomanum, Jeddoa (qui vixit Alexandri tempore) Sannaballath, Nehemiam et Zorobabelem.--303. Num edictum Cyri fuerit adimpletio alicujus prophetiae. (Pág. 186.)

CAPUT XXI.

De libro Tobiae.

PARS CRITICA

304. Materia hoc libro contenta.—305. Auctor hujus libri.—306. Lingua. 307. Num hic liber vere sit historicus.—308. Ejus divina auctoritas.— 309. Sequentes solvuntur objectiones: 1.ª Cap. I. v. 18, dicitur Salmanasari successise filium suum Sennacherib, et tamen inter utrumque regnavit Sargon: 2.ª supponitur civitas Rages existens, cum tamen juxta Strabonem multo post aedificata fuerit a Seleuco Nicatore: 3.ª Cap. III. v. 7, dicitur Saram habitare Rages, sicut etiam Gabelus: et statim Cap. VI., 6 et IX. 3 legitur Tobiam juniorem cum esset Rages, mississe Angelum in Rages ut pecuniam a Gabelo acciperet.—310. Incredibilia videntur, ea quae dicuntur de morte maritorum Sarae, de liberatione Tobiae junioris, de curatione Tobiae senis, etc... (Pág. 188.)

PARS EXEGETICA

311. Quomodo exponatur hic locus, Cap. VIII, 3. «Tum Raphael angelus apprehendit daemonium, et religavit illud in deserto superioris Aegypti.»— 312. ¿Mentitus est ne angelus cum dixit, V. 18. «Ego sum Azarias Ananiae magni filius.»—313. Quomodo Tobias senior potuit loqui, XIV, 7, de incendio templi, cum hoc multo posteriori tempore locum habuisset?—314. Quomodo intelligitur quod Tobias necessitate coactus esset, ut á Gabelo pecuniam

peteret, cum constet a Salmanasare divitiis cumulatum fuisse.—315. Cujus speciei fuerit immanis piscis qui exiit de flumine Tigris ut Tobiam devoraret? (Pág. 193.)

CAPUT XXII.

De libro Judith.

PARS CRITICA

316. Brevis hujus libri descriptio.—317. Num hic liber sit vere historicus.—318. Quo tempore haec historia contigerit.—319.—Auctor hujus libri —320. Qua lingua exaratus fuerit.—321. Scopus auctoris juxta Patres et rationalistas.—322. Divina auctoritas libri Judith. (Pág. 194.)

PARS EXEGETICA

323. In his quae Judith fecit et dixit, excusari potest a peccato?—324. An Bethulia vere extiterit et ubi sita fuerit.—325. Quomodo Summus Pontifex vocatur in hoc libro, modo Eliachim modo Joacim. (Pág. 201.)

CAPUT XXIII.

De libro Esther.

PARS CRITICA

326. Brevis descriptio historiae Estheris et Mardochaei.—327. Veracitas historica hujus libri. — 328. Lingua. — 329. Opiniones circa auctorem hujus libri.—330. Quo tempore haec historia contigerit.—331. Ostenditur divina auctoritas libri Esther etiam quoad partem deuterocanonicam. (Pág. 203.)

PARS EXEGETICA

332. Quomodo idem rex, modo Assuerus, modo Artaxerxes in hoc libro nominetur.—333. Utrum licitum fuerit matrimonium Esther cum Assuero.—334.—Quomodo magna illa convivia, de quibus in hoc libro agitur concilientur cum sobrietate Persarum.—335. Incredibile videtur quod magno illo convivio adessent omnes praefecti regni, nisi dicamus omnes provincias absque suo praeside vel auctoritate mansisse spatio sex mensium.—336. Irrisorium videtur decretum de uxorum subjectione, cum constet in Oriente mulieres suorum maritorum vere servas fuisse.—337. Inverosimile etiam est quod Aman et Mardochaeus, homines alienigenae, primas regni dignitates obtinuissent.—338. Nec magis credibilia sunt: 1.um quod Mardochaeus non honorasset Aman sicut omnes alii: 2.um quod Aman hac de causa obtinuisset á rege decretum exterminii omnium judaeorum: A 3.um quod rex revocaverit hoc decretum quod erat irrevocabile.— 339. Vindicta, quam hebraei de suis hostibus sumpserunt, ¿fuit ne licita?—340. Quaedam apparentes contradictiones dilucidantur. (Pág. 209.)

CAPUT XXIV.

De libro Job.

PARS CRITICA

341. Biographia Patriarchae Job.—342. Num hic liber vere sit historicus.—343. Divina inspiratio hujus libri ostenditur.—344. An omnia quae in hoc libro continentur sint vera et divinitus inspirata?—345. Opiniones quoad ejus auctorem.—346. Num probabiliter fuerit ipse Job.—347. Quo tempore haec historia contigerit.—348. Solvuntur sequentes objectiones adversus historicam et divinam hujus libri auctoritatem: 1.ª Persona Job est valde indefinita: 2.ª Conversatio Angelorum et Satanae cum Deo videtur ridicula: 3.ª Bonitati divinae opponitur quod Deus Satanae tantam tribueret libertatem ut tentaret Job; 4.ª neque verisimile est quod ommes illae calamitates una post aliam venirent, ita ut in qualibet earum unus tantum incolumis exiret ut Jobi notitiam deferret: 5.ª demum videtur incredibile quod Patriarchae Job duplicarentur omnia quae amisserat, et aetate jam provectus sicut et ipsius uxor, habuerit ex ea septem filios et tres filias. (Pág. 214.)

PARS EXEGETICA

349. Num Job maledicendo diem nativitatis suae, aliisque verbis peccaverit.—350. Quomodo haec loca concilientur: (XXVII. 6) «Neque enim reprehendit me cor meum in omni vita mea.» et (VII, 20) «¡Peccavi! ¿Quid faciam tibi ó custos hominum?—351. Quomodo hic locus exponatur, (II. 13.) «Et sederunt cum eo in terra septem diebus et septem noctibus, et nemo loquebatur ei verbum.»—352. Quae animalia designent Behemot et Leviatham.—353. Quae doctrina dogmatica et moralis in hoc libro commendetur. (Pág. 221.)

CAPUT XXV.

De libro Psalmorum.

PARS CRITICA

354. Diversae species psalmorum.—355. Quomodo a Judaeis et Graecis vocabantur.—356. Psalmi *schirim, mizmorim, schirim-mizmor* et *mizmor-schirim.*—357. De musicorum coetibus a Davide et Salomone institutis, et de instrumentis musicis quibus utebantur.—358 Variae divisiones psalterii justa judaeos et christianos.—359. Numerus psalmorum. Discrepantia inter textum hebraicum, graecum et vulgatam.—360. Tituli psalmorum. Quae oporteat scire ad eorum intelligentiam. Num hujusmodi tituli authentici sint. —361. Quid dicendum de psalmis Machabaicis et de psalmo CLI.—362. Num omnes psalmi sint Davidis.—363. Ostenditur divina libri psalmorum

inspiratio.—364. Psalmi Messianici sensu tum litterali, tum spiriatuali, et eorum existentia.— 365. Causae obscuritatis hujus libri.—366. Ipsius excellentia et utilitas.--367. Solvuntur objectiones adversus divinam inspirationem libri psalmorum: 1.ª Saepe David in psalmis se ipsum populumque suum facit justum, quod cum libris historicis V. T. componi nequit: 2.ª Omnes alios populos vocat impios, ipsisque mala gravia precatur: 3.ª non alias poenas neque praemia nisi temporalia proponit: et 4.ª numquam de futura vita in hoc libro mentio fit. (Pág. 223.)

PARS EXEGETICA

368. Num haec verba, psal. LXXXI, 1 «Deus stetit in synagoga deorum: in medio autem Deos dijudicat» polytheismum contineant.--369. Quomodo sit vera haec sententia: psal. XIII, 3, «Omnes declinaverunt, simul inutiles fac ti sunt, non est qui faciat bonum: non est usque ad unum» cum semper fuerint justi in mundo?—370. Quomodo haec loca exponantur: 1.um Si dormiatis inter medios cleros, pennae columbae deargentate, et posteriora dorsi ejus in pallore auri» (Psal. LXVII, 14); 2.um «Et aedificavit sicut unicornium sanctificium suum in terra quam fundavit in saecula.» (Psal. LXXVII, 69); 3.um Increpa feras arundinis, congregatio taurorum in vaccis populorum ut excludant eos qui probati sunt argento.» (Psal. LXVII, 31. 4.um Cum sancto sanctus eris, et cum viro innocente innocens eris: et cum electo electus eris, et cum perverso perverteris.» (Psal. XVII, 26-27): et 5.um Moab olla spei meae. In Idumaeam extendam calceamentum meum. (Psal. LIX, 10.) (Pág 234.)

CAPUT XXVI.

De libro Proverbiorum.

PARS CRITICA

371. Ratio ordinis in canone Proverbiorum, Ecclesiastes et Cantici Canticorum.—372. Quomodo liber Proverbiorum antiquitus vocabatur a judaeis et christianis.—373. Quid nomini *proverbii* intelligatur. Utrum omnes hujus libri sententiae *proverbia* dici possint.—374. Divisio hujus libri. —375. Ostenditur probabiliter Salomonem fuisse auctorem hujus libri.—376. De collectionibus proverbiorum et a quibus factae fuerint.—377. Divina hujus libri inspiratio.—378. Adversus eam rationalistae sequentes objectiones proponunt, 1.ª Contradictio existit inter haec duo loca (XXVI. 4): «Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam» et (ibidem V. 5.) «Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens esse videatur.» 2.ª Salomon hunc librum scripsit cum esset jam captus a mulieribus idola colentibus: unde non est credibile quod a Deo fuerit inspiratus. (Pág. 237.)

PARS EXEGETICA

379. Nonne experientiae contradicit haec sententia: «Non affligit Deus fame animam justi? (X, 3.)—380. Quae sit sapientia de qua agitur cap. VIII, et IX.—381. Exponantur haec loca. (X, 30) «Justus in aeternum non commovebitur, impii autem non habitabunt super terram.» (XI, 31.) «Si justus in terra recipit, quanto magis impius et peccator?» (XVII, 15) «Qui justificat impium abominabilis est apud Deum» (XX. 25) «Ruina est homini devorare sanctos et post vota retractare.» (Pág. 243.)

CAPUT XXVII.

De libro Ecclesiastes.

PARS CRITICA

382. Opiniones quoad significationem vocis *Ecclesiastes.*—383. Materia contenta et ejus divisio.—384. Ostenditur auctorem hujus libri fuisse Salomonem.—385. Solvuntur sequentes objectiones: 1.ª Cap. I, v. 12, legitur Ecclesiastem *fuisse* regem in Jerusalem: cum ergo hunc librum scripsit jam non erat rex: Salomon autem regnavit usque ad mortem. 2.ª (Ibidem v. 16) dicit Ecclesiastes, ipsum praecessisse *omnes* sapientia, qui fuerant ante eum in Jerusalem: sed ante Salomonem non fuit in Jerusalem nisi David: 3.ª Quomodo Salomon potest esse auctor hujus libri, cum cap. VIII, 2, dicat: «Ego os regis observo.» 4.ª Lingua hebraica hujus libri affinis est illi quae in usu erat temporibus Esdrae et Nehemiae. 5.ª Magna datur diversitas styli inter hunc librum et proverbia: 6.ª Videtur in hoc libro descriptionem fieri populi hebraici status, paulo ante captivitatem.—386. Ostenditur divina inspiratio libri Ecclesiastes. (Pág. 245.)

PARS EXEGETICO-CRITICA

387. Objectio 1.ª Videtur favere scepticismo religioso hic locus. (III. 21) «¿Quis novit si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, et spiritus jumentorum descendat deorsum..»?—388. 2.ª Quod confirmatur hoc alio loco (III. 19.) «Idcirco unus est interitus hominis et jumentorum, et aequa utriusque conditio: sicut moritur homo, sic et illa moriuntur: similiter spirant omnia et nihil habet homo jumento amplius.»—389. 3.ª Videtur auctorem hujus libri omnem negare progressum scientificum his verbis: (I. 10). «Nihil sub sole novum, nec valet quisquam dicere: Ecce hoc recens est; jam enim praecessit in saeculis quae fuerunt ante nos.»—390. 4.ª cap. I, II, et IX, auctor docet, sortem hominis nullo modo posse vitari aut mutari; quod favet fatalismo.—391. Exponuntur haec loca. (VII. 5) «Cor sapientium ubi est tristitia, et cor stultorum ubi laetitia.» et (X. 2) «Cor sapientis in dextera ejus, et cor stulti in sinistra illius.» (Pág. 249.)

CAPUT XXVIII.

De Canticis Canticorum.

PARS CRITICA

392. De nominibus hujus libri.—393. Doctrina quam continet.—394 Unitas hujus libri.—395. Ostenditur ipsius auctorem fuisse Salomonem.—396. Quo tempore Salomon hunc librum conscripserit.—397. Opiniones et errores quoad interpetrationem hujus libri: nempe schola litteralis, mystica et allegorica.—398. Scopus libri.—399. Probatur ejus divina inspiratio. (Pág. 251.)

PARS EXEGETICA

